



Toronto University Library

Presented by

Trinity College, Dublin,


through the Committee formed in

The Old Country

to aid in replacing the loss caused by

The disastrous Fire of February the 11th 1890





the
Sheel.

THE
WHOLE WORKS
OF THE
MOST REV. JAMES USSHER, D. D.
LORD ARCHBISHOP OF ARMAGH,
AND
PRIMATE OF ALL IRELAND.

VOLUME V.

STAMP

6/100

vol. 5 + 6 .

BRITANNICARUM ECCLESiarUM

ANTIQUITATES,

QUIBUS INSERTA EST PESTIFERÆ ADVERSUS DEI GRATIAM A PELAGIO
BRITANNO IN ECCLESIAM INDUCTÆ HERESEOS

HISTORIA.

COLLECTORE

JACOBO USSERIO,

ARCHIEPISCOPO ARMACHANO TOTIUS HIBERNIÆ PRIMATE.

DUBLINII.

1639.

Digitized by the Internet Archive
in 2008 with funding from
Microsoft Corporation

CONTENTS

OF

THE FIFTH VOLUME.

CAPUT I.

	PAG.
Britanni ante acceptam fidem Christianam idololatræ. De apostolis, qui in Britannicis insulis evangelium primi prædicasse dicuntur: Jacobo Zebedæi, Simone Zelota, Simone Petro, et B. Paulo. De Aristohulo item, et Claudia Britanna	11

CAPUT II.

De duodecim Philippi discipulis, et Josepho Arimathæensi, Glastoniensium monachorum traditiones; veterum nominibus fucata, et in Europæorum generalibus conciliis venditata	25
---	----

CAPUT III.

De Taurino, Eutropio, Timotheo, Novato, Praxede, Pudentiana, Marcello, et Lucio primo Bavarorum ac Rhætorum doctore. De tempore, quo Lucius in Britannia regnavisse dicitur, variantes authorum sententiæ, et in qua insulæ parte imperium ille obtinuerit	48
--	----

CAPUT IV.

De literis, quæ a rege Lucio, per legatos Eluanum et Medwinum, ad Eleutherum Romanum episcopum missæ fuisse dicuntur. De doctoribus Cantabrigiensibus, nec non Timotheo, Fagano, Derwiano et Aarone, qui fidem tum Britannis feruntur prædicavisse	64
--	----

	PAG.
CAPUT V.	
De XXV. episcopatibus et archiepiscopatibus III. qui Lucii temporibus, flaminum et archiflaminum loco, instituti fuisse dicuntur. De Londinensi sede metropolitana, et ejus translatione ad Cantuariensem. De Eboracensi, et pallio inde translato ad Dolensem in Britannia Armorica. De Legionensi, et ejus translatione ad sedem Menevensem ac Landavensem. De tomo Anacleti; et provinciarum numero, in quas a Romanis divisa est Britannia	79

CAPUT VI.

Fagani et Duviani iter Romanum, et reditus in Britanniam. Eleutheri papæ epistola ad Lucium. Fagani et Duviani res gestæ in insula Avaloniæ. Antiquitatis ecclesiæ Glastoniensis assertio: et nova ab Ina et Dunstano facta restauratio. Privilegia varia a Saxonice regibus eidem concessa. Arthuri donatio, et sepulchri inventio. Henrici II. et Edvardi III. diplomata. Possessiones et libertates ecclesiis a Lucio tributæ. Wintoniensis ecclesiæ antiquitates. Fundatio ecclesiæ S. Petri Westmonasteriensis, B. Mariæ Doverensis, et S. Martini Cantuariensis. De Cantabrigiensi et Bannochorensi gymnasio: et Lucii regis exitu	126
--	-----

CAPUT VII.

De fide a Britannis usque ad Diocletiani tempora conservata: cum Origenis et Tertulliani ea de re testimonio. De Mellone Britanno, Rothomagensium præsulc. De sævissima hic a Maximiano Herculio excitata persecutione; et passis in ea Albano, Amphibalo, Julio, Aarone, Socrate, Stephano, Augulio, et aliis innumeris. De pace Britannicis ecclesiis, altero post cœptam persecutionem anno, a Constantio Chloro Augusti Constantini magni patre restituta	170
---	-----

CAPUT VIII.

De patria Constantini Magni, et matris ejus Helenæ, variæ et discrepantes authorum sententiæ: quam alii Britanniam, alii Galliam, alii Bithyniam, nonnulli etiam Daciam fuisse volunt: Guilielmi Camdeni et Justi Lipsii de Britannica Constantini origine amica concertatio. De pace Ecclesiæ reddita: deque basilica S. Albani quam Verolamii, et S. Amphibali quam Wintoniæ tunc constructam aiunt. De Britannicis episcopis qui concilio Arelatensi interfuerunt; et Britannorum cum patribus Nicænis in Paschatis observatione et Arianæ hæreseos condem-	
--	--

natione consensu. De Britannicis episcopis qui in synodo Sardicensi et Ariminensi adfuerunt. Quamdiu ab Ariana perfidia immunis manserit Britannia, et quando ea contaminari cœpta. De Maximo in Britannia tyrannidem arripiente; Britannica colonia in Armonicam deducta, et LXXI. fœminarum millibus quibus ea occasione insula hæc exhausta fuisse fingitur. Peregrinatio Hierosolymitana et Romana, ut ab aliis ita etiam a Britannis, frequentata. Inde Origenis prava doctrina, atque ex illa enata nova Pelagiana et Cœlestiana hæresis, in orbem diffusa. Pelagius Britannus, Cœlestius Scotus, uterque monachus fuit. Quando, et quo in loco, venenum hoc ab illis spargi cœptum est 212

CAPUT IX.

Rerum adversus Pelagium Britannum et Celestium Scotum, Innocentii Romani episcopi temporibus, gestarum historia. Quantum creverit pernicioza istorum hæresis; quibus potissimum in locis propagata, quibus scriptis et artibus ab eis propugnata fuerit. Conventus Carthaginiensis in Celestii, Hierosolymitanus et Diospolitani in Pelagii examine quid egerit. Scripta ab Augustino, Hieronymo et Orosio illis opposita: et damnationis ab utraque synodo Africana, Carthaginiensi et Milevitana, atque Innocentio pontifice lata in eos sententia 263

CAPUT X.

Rerum contra Pelagium et Celestium, Zosimi et Bonifacii proximorum Innocentii successorum temporibus, gestarum historia. Quomodo Zosimus eorum causam primo vehementer egerit, nec minus vehementer postea condemnaverit. Africanorum contra eos episcoporum zelus, et frequentibus ad Zosimum missis literis, et anathematismis in duabus plenariis synodis adversus nefariam hæresim promulgatis, luculenter expressus. Quibus legibus et ipsos hæresiarchas et eorum sectatores Romani imperatores coercuerint: et quomodo funesta hæc Ecclesiæ pestis profligata tandem fuerit, atque in toto orbe condemnata 308

CAPUT XI.

De Celestii et Juliani novis conatibus, et Pelagianæ partis antistitibus, ex Italia Celestini pontificis, ex Gallia Valentiniani III. Cæsaris opera fugatis. De Semipelagianismi seminibus a Johanne Cassiano inter Massilienses primum jactis. De Fastidio Britannorum episcopo, Timotheo hæresiarcha, Agricola Pelagiano, Severo Sulpicio, et Leporio Pelagii discipulo. De Ger-

mani et Lupi in Britanniam adventu, et rebus ab eis ibidem gestis: eaque occasione de Albani reliquiis nonnulla interjecta. De Semipelagianismo inter Massilienses et Lirinenses caput attollente; et a B. Augustino atque Prospero editis scriptis refutato. Ut Nestoriani cum Pelagianis conspiraverint; et utrique, tum a concilio universali Ephesino, tum a Celestino Romano pontifice, damnati fuerint 354

CAPUT XII.

Semipelagiani a Prospero scriptis refutati: Pelagiani a Xysto III. et Leone I. repressi. Britanni, a Scotis et Pictis conculcati, ab Aetio Romanæ militiæ magistro auxilium frustra implorant. Idem fame confecti, recuperatis postea viribus hostes repellunt. De regibus eorum Constantino, et filio Constante Wintoniensi monacho, quid Britannica historia: de pace et rerum abundantia illis restituta, novaque vitiorum segete simul accrescente, quid Gildas tradat. Pelagiana hæresis emergens in Istria a Leone Magno, in urbe Romana a B. Prospero, in Britannia a S. Germano et Severo prosternitur. De S. Germani et Vortigerni Britannorum regis congressu fabulæ: Anglo-Saxones a Britannis invitati, Hengisto et Horsa ducibus, in insulam adveniunt. Ex quibus Germaniæ provinciis novi coloni ducti fuerint, et in quibus Britannia locis considerint. Tempus eorum adventus explicatum, et cum vicinorum Francorum in Gallias migratione comparatum. Quomodo, auctis viribus, ex amicis hostes effecti, Britannicam rempublicam et Ecclesiam opprimerint. De miserorum Britannorum reliquiis solum vertere coactis: eaque occasione, de eorum in Batavia, et Britannia Armorica collocatis sedibus 418

CAPUT XIII.

De Fausto Britanno Semipelagianorum coryphæo, et conciliis Arelatensi atque Lugdunensi, quibus ille interfuit: de Gennadii quoque ecclesiasticorum dogmatum libello, et Lucidi Palinodia. De Gilda Albano, Davide Menevensi, et Dubricio archiepiscopo. De Ambrosii Aureliani regno, et rebus gestis. De Gelasii Romani et Johannis Alexandrini scriptis contra Pelagianos editis: et Romanæ septuaginta episcoporum synodi decreto. De Godelberto presbytero, Paulino, Gundleo, Cadoco et Winwaloco. De Nazaleodo et Arthuro Britannorum regibus; persecutione Saxonica, Gildæ Albani et Cadoci Lancarvanensis exitu. De Iltuto, et ejus discipulis. De synodis Breviensi et Victoriana in Britannia habitis. De Badonico prælio, et nativitate Gildæ Badonici 488

CLEMENTISSIMÒ ET AUGUSTISSIMO

PRINCIPI CAROLO,

DEI GRATIA, MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ

REGI,

FIDEI DEFENSORI,

&c. &c.

SÆPIUS animo meo, Serenissime Princeps, oratoris obversabatur illud: “Nescire^a quid antea quam natus sis acciderit, id est semper esse puerum.” Indeque mihi insitum fuisse diffiteri non possum rerum gestarum et memoriæ veteris ordinem cognoscendi singulare quoddam et prope incredibile desiderium. Quo in studio, quum exterarum gentium ἀρχαιολογιῶν mediocrem aliquam assecutus mihi visus fuisset intelligentiam: etiam illa cogitatio mentem meam identidem subiit; magnæ et inconsiderantiæ et imprudentiæ

^a Cic. I. in Orat.

notam non potuisse me effugere, si in alienis tantopere occupatus domestica negligerem, atque in ipsa patria peregrinus et hospes existerem. Sed obstitit rei summa obscuritas, ex antiquariæ, ut ita dicam, supellectilis defectu nata : qui hic tantus est, ut Britannicorum historicorum antiquissimus Gildas ante annos mille, et quod excurrit, profiteri non dubitaverit ; hausisse se quæ tradiderat, “ non tam ex scriptis patriæ, scriptorumve monumentis (quippe quæ, siqua fuerint, aut ignibus hostium exusta, aut civium exulum classe longius deportata, non compareant) quam transmarina relatione quæ, crebris irrupta intercapedinibus, non satis claret.”

Neque damnum hoc resarcire potuerunt vel Ninii (specioso Gildæ ipsius nomine fucata) collectanea ; vel liber ille Britannicus, quem a Gualtero Oxoniensi archidiacono ex Armorica advectum Galfridus Monemuthensis Latine transtulit ; vel posteriorum etiam monachorum de veterum sanctorum actis commenta recentia, quorum lectoribus crebro illam Epicharmi insurrare opus fuerit cantilenam^b :

Νῆφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα τὰῦτα τῶν φρενῶν.

^b M. Cic. ad Attic. lib. 1. ep. 19. Vid. Polyb. lib. 17. pag. 768, et 945. edit. Græco-Latin. Casauboni.

^c Nervos atque artus esse sapientiæ, non temere credere. Qu. Cicero ; de petit. Consulat.

At quum in fœcibus etiam istis aliquampiam demersam animadverterem veritatem, et in ipso sterquilinio gemmam offendi potuisse non desperarem: purioris antiquitatis monumentis cum sequioris ævi illis alteris diligenter comparatis, e fodina ista præstantioris metalli ramenta aut stricturas aliquas eruere conatus sum. Sic tamen, ut sagenæ evangelicæ operam istam certo quodam consilio non absimilem esse voluerim, quæ “jacta^d in mare res cujusvis generis coegit: impletam vero subduxerunt in litus, et sedentes quæ bona erant in vasa collegerunt, quæ autem putria foras projece-
runt;” ab æquo lectore nihil hic expectans aliud, quam quod suo jure sibi deposcebat nostrorum historicorum post Bedam præcipuus, Guilielmus Malmesburiensis bibliothecarius. “Sic quis post me scribendi de talibus munus attentaverit; mihi debeat collectionis gratiam, sibi habeat electionis materiam.”

Hoc autem, crasso licet filo contextum, opus tantæ majestatis patrocínio ut dicare auderem, incitamenta habui neque pauca neque levia. Primum, argumenti genus ipsum, in Ecclesiarum magnæ Britannicæ et Hibernicæ rebus explicandis occupatum, cujus clientelæ committendum potius

^d Matth. cap. 13. ver. 47, 48.

^e Guil. Malmesbur. de gest. Reg. Anglor. lib. 5.

fuerat, quam florentissimarum harum insularum summi Domini atque Monarchæ? Scriptum deinde, felicissimæ memoriæ JACOBI regis jussu et auspiciis susceptum, eo ad meliorem vitam recepto, cui potiore jure debebatur quam præstantissimi parentis optimo hæredi; accedit et regiæ tuæ benignitatis recordatio, cujus fructus sæpe tuli lætos atque uberes: quæ eum me nexu et mancipio totum tuum effecerit, peculium etiam omne, et quicquid mei est, in tuam pariter traduxit potestatem. DEUS OPTIMUS MAXIMUS, regum suorum custos et vindex, “ Vitam^f TIBI det prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum.” Veteris Ecclesiæ pro imperatoribus suis vota hæc solennia, pro tua et tuorum salute, redintegrat, et toto animi affectu Numini divino nuncupat

Serenissimæ Tuæ Majestatis

Servus humillimus,

JACOBUS ARMACHANUS.

^f Tertullian. Apologetic. sect. 30.

LECTORI.

QUOD de Gallicana, nobis proxima, ecclesia notavit nuper prætor Narbonensis Franciscus Bosquetus; “incertam longa antiquitate, et posterorum commentis, originem” illius extitisse: idem in nostris quoque Britannicis verissimum fuisse comperimus. In quibus illud etiam locum habere negari non potest, quod de primis hujusmodi commentorum authoribus idem addidit: “Primos, si verum amamus, hujusmodi zelotas monachos in Galliis habuimus. Illi simplici ac fervida, ideoque minus cauta et sæpe inconsulta, religione percusi, ad illiciendas hominum mentes et augustiori sanctorum nomine ad eorum cultum revocandas, illustres eorum titulos, primum sibi, dein credulæ plebi persuasos proposuerunt. Ex horum officina Martialis Lemovicensis apostolatus, Ursini Bituricensis discipulatus, Dionysii Parisiensis arcopagitica, Pauli Narbonensis proconsularis dignitas, amborum apostoli Pauli magisterium, et in aliis Ecclesiis similia, prodire. Quibus quidem, sano judicio et constanti animo, Galli primum episcopi restitere. At ubi ecclesiæ Gallicanæ parentibus, sanctissimis fidei præconibus, detractis his spoliis injuriam fieri mentibus ingenuis et probis persuasum est: paulatim error communi consensu consurgere, et tandem antiquitate sua contra veritatem præscribere.” Hæc in primi ecclesiæ Gallicanæ historiarum libri editione prima (secunda enim tantam *παρρησίαν* ferre non poterat) cruditissimus Bosquetus.

Et in Britannia quidem ipsis apostolorum temporibus annuntiatum fuisse Christi evangelium, authores habemus locupletissimos, Eusebium, Theodoretum, Arnobium juniorem et Gildam Britannum: a Josepho vero Arimat hænsi id fuisse præstitum, Glastoniensium monachorum traditio est; nec ita tamen antiqua, ut ante Normannica tempora certum aliquod in probatæ fidei scriptore quoquam deprehendi possit illius vestigium. De primo similiter Christiano Britannorum rege, in Beda et libro pontificali, B. Hieronymo et Damaso perperam attributo, primum legimus: Lucium regem Britannicum, missa ad Eleutherum Romanum episcopum epistola, illius opera Christianum effectum fuisse. Britannicæ consarcinator historiæ, id satis esse non existimans, regulo hoc in Romanæ insulæ monarcham transformato, in urbibus illius XXVIII. totidem ab eo constitutos episcopos somniavit: cui et suum de Flaminibus et Archiflaminibus centonem Galfridus Monemuthensis deinde assuit. Neque quisquam fere locus repertus est illustrior, qui non a Lucio institutorum suorum vel originem vel amplificacionem deinceps accesseret.

Harum vero antiquitatum, sive verarum sive falsarum, reliquias ut undique dispersas sub uno aspectu ponerem; omnibus unum in locum coactis scriptoribus, ex ingenti immensoque isto campo quæ ad rem nostram spectare videbantur studiose excepsi: usu continuo ad laborem istum obdurescente et percallecente nostra patientia. Ac primum, ne quid hic me fugeret, editorum nostrorum historicorum antiquiores quidem, Gildam, Adamnam, Bedam, Asserium Menevensem, integros, posteriores vero ubi videbatur opus, cum manuscriptis codicibus diligenter, nec sine fructu, contuli. In scripterum deinde nondum luci redditorum sylvam me abstrusi densam atque asperam: quorum, præ aliis, maximam mihi suppeditavit copiam bibliotheca illa Cottoniana nobilis; quæ una ad Britannicæ gentis historiam perficiendam plura confert admini-

cula, quam omnes omnium aliæ junctæ simul. Ea vero amicissimi D. Roberti Cottoni (quem ut antiquitatum suarum promum condum semper celebrabit Britannia) summa humanitate, non minus quam mea ipsius et olim patuit, et continuata D. Thomæ filii ipsius tum in equestri ordine atque baronetti dignitate, tum in bibliothecæ conservandæ et augendæ cura, successoris unici benevolentia adhuc patet; Isocraticæ illius monitionis hic certe non immemoris. *Πρόπει^a τοὺς παῖδας, ὡσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας πατρικῆς κληρονομεῖν.*

In nostra autem hac ex omni scriptorum genere promiscue congesta farragine, si quis obscuriorum aut minus spectatæ fidei authorum subinde hic citata mirabitur testimonia: cogitare illum velim, aliud esse historiam scribere, aliud materiam hinc inde convehere, unde delectu adhibito sylvam dicendi historicus possit ducere; et ut de fide narrationis rectius judicare quis possit, interesse sæpenumero, ut quam obscuris et novitiis illa nitatur authoribus, clare intelligat. Alioqui non ita nos iudicii inopes existimare quis debet, ut Galfridum Monemuthensem, aut Hectorem Boethium, aut ex infimis subselliis testem aliquem alium advocaremus; si in antiquiore aut melioris notæ aliquo quod ab ipsis traditum est reperiri potuisset chronographo.

Quod si frivola etiam nonnulla, dubia multa, et falsa quoque non pauca, commemorata hic objectet alius: de frivolis responsum hoc a Flavio Vopisco accipiat, in Aureliano suo. “Frivola hæc fortasse cuiquam et nimis levia esse videantur: sed curiositas nihil recusat.” De dubiis, ex clarissimi Junii Manilianis, hoc habeat alterum: “nec multis rebus ejusmodi credere, nec credendas obtrudere cuiquam, sed legendas probandasque iudicio

^a Ut rei familiaris, sic et amicitia: paternæ liberis capienda est hæreditas. Isocrat. ad Demonic.

certo." Valdeque mihi placere sciat Euripidis illam sententiam :

Σώφρονος^b δ' ἀπιστίας
Ὀὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς.

Nam ad aperte falsa quod attinet: non parum etiam lectoris interesse putabam, ex isto ut cognosceret specimine, quam fœdis ineptiis sanctorum vitas totamque Ecclesiæ historiam ætas superior contaminaverit; atque novorum miraculorum et visionum obtentu, hominum simplicitati illuserit. Ita, de S. Albani corpore inter Verolamienses et Colonienses cœnobitas lite orta, miracula miraculis opposita; et in consimili de B. Patricii reliquiis inter Glastonienses et Dunenses monachos controversia, ab utraque parte visiones productas hic videbit visionibus contrarias. In iis enim percensendis quæ ex Elizabethæ Schonaugiensis et Richardi Præmonstratensis revelationibus de Ursulanis virginibus retulimus, quis tam patientis fuerit stomachi, ut Apuleianum illud sæpius usurpare non cogatur? "Nihil^c hac fabula fabulosius, nihil isto mendacio absurdus."

Et tamen, ne nullam solidioris materiæ partem comparere hic uspiam morosulus quispiam criminaretur: hæreseos Dei gratiam impugnantis, a Pelagio Britanno ab inferis primum excitatæ et Fausti Britanni novo mangonio denuo Christiano orbi venditatæ, historiam secundum ordinem temporum digestam placuit interjicere. Nam "licet hæc ficus fatua toties sit præcisa, toties eradicata, toties combusta, incinerata et usque ad nihilum conculcata; quam late tamen et dense adhuc non desinit germinare, et sua vitulina vitiosa (quanto subtilius solito,

^b Prudenti incredulitate nihil est mortalibus utilis. Euripid. in Helena, ver. 1637.

^c L. Apulei. Metamorphos. lib. 1.

tanto periculosius) propagare," et Thomas Bradwardinus^d conquestus est olim, et nos hodie non sine causa conquerimur. Sicubi vero, vel in hoc, vel in argumento illo altero, aliorum expectationi minus satisfecerim: occupationes quibus indies distineor maximæ, aliquid excusationis ab æquis, ut spero, rerum æstimatoribus impetrabunt. Dublinii, anno CIO IOC XXXIX. IV. Non. August.

^d Bradwardin. Præfat. in libros de causa Dei contra Pelag.

BRITANNICARUM ECCLESiarUM ANTIQUITATES.

CAPUT I.

Britanni ante acceptam fidem Christianam idololatræ. De apostolis, qui in Britannicis insulis evangelium primi prædicasse dicuntur : Jacobo Zebedæi, Simone Zelota, Simone Petro, et B. Paulo. De Aristobulo item, et Claudia Britanna.

PRISCÆ illius ignorantia^a temporibus, quæ salutarem Christi adventum præcesserunt, Britannos et Hibernos nostros communem reliquarum gentium sortem subiisse, id est, “fuisse^b absque Christo, alienos a republica Israelis, et extraneos quod ad fœdera promissionis attinet, spem non habentes, et sine Deo in mundo :” non est quod quisquam dubitet. “Neque enim Britannia fertilis provincia tyrannorum,” inquebat olim impius Porphyrius^c, “et Scoticæ gentes omnesque usque ad oceanum per circuitum barbaræ nationes Moysen prophetasque cognoverant.” Neque minus falluntur viri^d docti, qui Britannos a Druidibus suis in unius Dei cultu semper institutos fuisse tradunt, quam nugatus est Postellus, quum ab He-

^a Act. cap. 17. ver. 30.

^b Ephes. cap. 2. ver. 12.

^c Apud Hieronymum ad Ctesiphontem advers. Pelag.

^d Camden. Britann. pag. 47, 48. edit. Londini ann. 1607. Fr. Godwin. de convers. Britann. cap. 3. part. 23. apud quem Origenes pro Tertulliano est reponendus.

bræis^e Hibernorum originem conatus est arcessere. Nam et Origenes^f, quem illi authorem citant, plane contrarium indicat, “ terram Britanniae ante adventum Christi in minus dei religionem” minime consensisse: nominatim vero Andrasten sive Andaten, Victoriae deam, Dio Cassius^g, Apollinem et Dianam alii a Britannis coli consuevisse prodiderunt: et de eorum idolomania gentilis ipsorum Gildas tam clarum perhibet testimonium, ut res in quaestionem vocari non debeat. Sic enim ille: “ Igitur omitens priscos illos communesque cum omnibus gentibus errores, quibus ante adventum Christi in carne omne humanum genus obligabatur adstrictum; nec enumerans patriae portenta ipsa diabolica, pene numero Egyptiaca vincentia, quorum nonnulla lineamentis adhuc deformibus intra vel extra deserta mœnia, solito more rigentia torvis vultibus intuemur: neque nominatim inclamitans montes ipsos, aut colles, vel fluvijs, olim exitiales, nunc vero humanis usibus utiles, quibus divinus honor a cæco tunc populo cumulabatur, &c.” Ut de illorum temporum miserrima, et subsequentium felicissima conditione, in epitaphio Nepotiani B. Hieronymus pronuntiare non dubitaverit. “ Ubi^h tunc totius orbis homines, ab India usque ad Britanniam, a rigida septentrionis plaga usque ad fervores Atlantici oceani tam innumerabiles populi, et tantarum gentium multitudines;

Quamⁱ variae linguis, habitu tam vestis et armis?

Piscium ritu ac locustarum, et velut muscae et culices conterebantur; absque notitia enim sui Creatoris, omnis homo pecus est. Nunc vero passionem Christi, et resurrectionem ejus, cunctarum gentium et voces et literae sonant.”

Nam quum temporum plenitudo advenisset, “ mysterium^k quod a temporibus seculorum tacitum fuit, factum est manifestum, et per Scripturas propheticas ex imperio

^e Camden. Hibern. pag. 726.

^f Orig. in Ezechiel. homil. 4.

^g Xiphilin. epitom. in Neron. Vid. Camden. in Somersetshire, pag. 170. et in Yorkshire, pag. 563. et Jo. Selden. ad marmora Arundelliana, pag. 176. Vid. Laurent. Pignor. Symbol. epistol. cap. 23. pag. 77, 78.

^h Hieron. ad Heliodor. epist. 3.

ⁱ Aeneid. lib. 8. ver. 723.

^k Rom. cap. 16. ver. 25, 26.

æterni Dei ad obedientiam fidei omnibus gentibus declaratum." Indeque iis qui in tenebris et umbra mortis erant positi, lumen illud gentibus patefaciendum affulsit: de quo apud prophetam Deus; "Constitui te ut sis lux gentium, ut sis saluti usque ad fines terræ." Christo enim apostolis suis imperante, ut^m profecti in mundum univ-ersum, prædicarent evangelium omni creaturæ; egressi illi prædicarunt ubique, ita ut nullum locum cœlesti doctrinæ occultum esse sinerent; "μη νήσους, μη ἡπειρον, μηδ' ἔτινα τρίτην ἀνθρώποις κατοικίαν ἢ φύσιν ἐδίδου, non insulas, non continentem, non si quam tertiam habitationem hominibus natura concessit:" quemadmodum Gregoriusⁿ Nysenus loquitur. Atque ita completum est quod per Esaiam olim Deus prædixerat: "Mittam^o ex eis ad gentes in oceano, insulasque remotissimas, quæ non audiverant famam meam, neque viderant gloriam meam, ut indicent gloriam meam in gentibus." Nam "verbum Dei," Augustini verba hæc sunt^p, "non in sola continenti terra prædicatum est; sed etiam in insulis, quæ constitutæ sunt in medio mari: et ipsæ plenæ Christianis, plenæ sunt servis Dei. Non enim separat mare eum, qui fecerat mare. Quo naves possunt accedere, verba Dei non possunt?"

Et quidem a primo exortu Evangelii suscepisse Britanos Christi fidem, illa Gildæ satis indicant; "Interea glaciali frigore rigenti insulæ, et velut longiore terrarum recessu soli visibili non proximæ verus ille non de firmamento solum^q temporali, sed de summa etiam cœlorum arce tempora cuncta excedente, universo orbi præfulgidum sui coruscum ostendens tempore, ut scinus, summo Tiberii Cæsaris (quo absque ullo impedimento ejus propagabatur religio comminata, senatu nolente, a principe^r morte delatoribus^s militum ejusdem) radios suos primum indulget, id est, sua præcepta Christus. Quæ licet ab

^l Esai. cap. 49. ver. 6. Act. cap. 13. ver. 47.

^m Marc. cap. 16. ver. 15, 20. cum Coloss. cap. 1. ver. 23.

ⁿ Orat. in Petrum et Paulum, edit. Ingolstad. 1620.

^o Esai. cap. 66. ver. 19. Vid. Lyran. in Psal. 97. ver. 1. multitudo insularum, de Anglia et Hibernia.

^p in expositione Psal. 96. op. tom. 4. pag. 1013.

^q al. Sol.

^r Tiberio scil.

^s i. e. accusatoribus Christianorum.

incolis tepide suscepta sunt; apud quosdam tamen integre, et alios minus, usque ad persecutionem Diocletiani permansere." Hæc Gildas; ubi quod de tempore summo Tiberii dicit, ex Eusebii chronico exponendum est: in quo ad annum vel ultimum, vel penultimum Tiberii annotatum est, "Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad senatum, ut inter cætera sacra reciperetur. Verum quum ex consulto patrum, Christianos eliminari urbe placuisset; Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem. Scribit Tertullianus in apologetico."

Verba Tertulliani¹ hæc sunt; "Tiberius, cujus tempore nomen Christianum in sæculum introivit, annunciatum sibi ex Syria Palæstina, quod illic veritatem illius divinitatis revelaverat, detulit ad senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non in se probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum." Subdit Eusebius libro secundo historiæ ecclesiasticæ, capite tertio, Ruffino interprete. "Quod profecto divina providentia ita tunc Cæsaris sensibus ingessit, ut absque ullo obstaculo, in ipsis duntaxat initiis Evangelii sermo usquequaque percurreret. Unde et factum est, ut repente quasi cœlitus lumen ostensum, aut radius quidam solis erumpens, totum orbem claritate superni luminis illustraret: ut compleretur illa prophetia quæ dixerat, *In^u omnem terram exivit sonus eorum, evangelistarum scilicet et apostolorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Ex quo et per omnes civitates ac vicos, immensæ multitudines, velut messium tempore frumenta ad areas, ita ad Ecclesias populi congregabantur." "Congregatio^w Christianorum in omne hominum penetravit genus; nec ulla natio Romani orbis remansit, quæ cultus ejus expers relinqueretur." *Μία^x ἡ ἐκκλησία, ἣν ἰδρῶσαντο οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι ἀπὸ περάτων ἕως περάτων ἐν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ, οἰκείοις ἰδρῶσι καὶ πόνοις.*

¹ Tertul. apol. cap. 5. op. pag. 6.

^u Psal. 94. ver. 4. Rom. cap. 10. ver. 18.

^w Hegesippus vel Ambrosius potius, lib. 2. de Excid. Hierosol. cap. 12.

^x Interpolator epistolæ Ignatii ad Philadelph. ed. Cotcler. tom. 2. pag. 77.

Hinc Arnobius³ “ Tam velociter currit sermo ejus ut, cum per tot millia annorum in sola Judæa notus fuerit Deus, nunc intra paucos annos, nec ipsos INDOS lateat a parte orientis, nec ipsos BRITONES a parte occidentis. Ubique cucurrit velociter sermo ejus.” Gildas vero inter tempus hoc summum Tiberii Cæsariis, quo lumen Evangelii per universum terrarum orbem spargi cœptum est, et rem a Romanis, (post acceptam a Boadicia regina, quam Leenam ille appellat dolosam, cladem illam maximam) adversus Britannos gestam, de qua proxime verba fecerat; hoc est, inter XXXVI. vulgatæ nostræ æræ Christianæ annum, et LXI. (quo a Paulino Suetonio recuperata iterum provincia est, cæsis Britannorum octoginta millibus) veritatis suæ radios Britannia primū indulsisse Christum significat. Unde inter gentes apostolorum ministerio ad fidem conversas, Britannos quoque connumerat Theodoretus libro nono Ἑλλήνων παθημάτων θεραπευτικῆς. Οἱ δὲ ἡμέτεροι ἀλιεῖς, inquit, καὶ οἱ τελῶναι, καὶ ὁ σκυτοτόμος ἅπασιν ἀνθρώποις τοὺς εὐαγγελικοὺς προσειρηνόχασι νόμους· καὶ οὐ μόνον Ῥωμαίους καὶ ὑπὸ τούτοις τελοῦντας, ἀλλὰ καὶ τὰ Σκυθηκὰ καὶ τὰ Σαυροματικὰ ἔθνη, καὶ Ἰνδοὺς καὶ Αἰθίοπας, καὶ Πέρσας καὶ Σῆρας, καὶ Ὑρκανοὺς, καὶ Βακτριανοὺς, καὶ Βρεττανοὺς, καὶ Κίμβροους, καὶ Γερμανοὺς, καὶ ἀπαξαπλῶς πᾶν ἔθνος καὶ γένος ἀνθρώπων, δέξασθαι τοῦ σταυρωθέντος τοὺς νόμους ἀνέπεισαν. Nostri illi piscatores ac publicani, sutorque ille noster, cunctis nationibus legem evangelicam detulerunt. Neque solum Romanos, quique sub Romano vivunt imperio, sed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Persas, Seras, Hyrcanos, BRITANNOS, Cimnerios et Germanos, utque semel dicatur, omne hominum genus, nationesque omnes induxerunt crucifixi leges accipere.” Sed quisnam ex illo apostolorum choro ad Britannicas nostras insulas accesserit; non eadem est omnium auctorum sententia.

S. JACOBUM Zebedæi filium, fratrem Johannis, abisse in occidentem, multaque iis locis fecisse miracula; ex Anastasii patriarchæ Antiocheni libro de passionibus mar-

³ in Psalm. 147.

tyrum, Arabice scripto, quidam^a referunt. Eundem “ Hispaniæ et occidentalium locorum populis evangelium prædicavisse, et in occasum mundi lucem prædicationis infudisse” tradit etiam Isidorus in libro de patribus utriusque Testamenti^a et eum secutus Freculphus Lexoviensis^b, “ Primum^c omnium apostolorum prædicavisse in oris occidentalibus” asserit quoque author chronici, quod Maximi Cæsaraugustani episcopi circumfertur nomine. Britannis, ille qui Flavii Lucii Dextri larvam induit, Hibernis Vincentius Bellovacensis prædicavisse illum affirmat. Sic enim prior in chronico, ad annum Christi XLI. “ Rediens Jacobus Gallias invisit, ac Britannias, ac Venetiarum^d oppida, ubi prædicat; ac Hierosolymam revertitur, de rebus gravissimis consulturus beatam Virginem et Petrum.” Posterior, in speculo historiali^e, (in Basileensi etiam concilio, ab Alphonso Garsia de sancta Maria, Castellani regis oratore, productus) ita: “ Apostolis diversa cosmi climata adeuntibus, nutu Dei Jacobus Hiberniæ oris appulsus, verbum Dei prædicavit intrepidus, ubi septem discipulos elegisse fertur: scilicet Torquatium, Secundum, Indalecium, Tisephontem, Eufrasium, Cecilium, Isichium, quorum colloquio lolium extirparet, ac telluri aridæ et diu sterili semina verbi Dei committeret. Cumque dies immineret supremus, Hierosolymam cum eis perrexit, ibique martyrium subiit.”

Verum Jacobum ab Herode occisum, priusquam apostoli divisi essent in “ diversa cosmi climata” (ut cum Turpino^f loquitur Vincentius) ostendunt alii^g: et quos ipse Vincentius secutus est authores. Turpinus in vita Caroli Magni, et Calixtus II. in libro de miraculis S. Jacobi apostoli, et translatione corporis ejus (si tamen idem utriusque operis author non fuerit) non in Hibernia, sed

^a Johan. Mariana, de adventu Jacobi in Hispaniam, cap. 7.

^b cap. 72.

^c Chronicorum tom. 2. lib. 2. cap. 4.

^d Maxim. chronic. ad annum Christi 583.

^e Vannes in Britannia Armorica. Vid. infra cap. 16.

^f lib. 8. cap. 7.

^g Turpin. de gestis Caroli magni cap. 1.

^h Vid. Baronium, annal. tom. 1. ann. 44. sec. 1. cap. 14.

in Galæcia ista facta referunt. “Novem discipulos in Galæcia,” ait in præfatione sua Calixtus^h, “dum adhuc viveret, apostolus elegisse dicitur: quorum septem, aliis duobus in Galæcia prædicandi causa remanentibus, cum eo Hierosolymis perrexerunt, ejusque corpus post passionem per mare ad Galæciam deportaverunt. De quibus beatus Hieronymus in suo martyrologio sic dixit, ac beato Chromatio scripsit: quod sepulto in Galæcia beati Jacobi corpore, ab apostolis Petro et Paulo infulis episcopalibus apud Romam ordinantur, et ad prædicandum Dei verbum ad Hispanias, adhuc gentili errore implicatas, diriguntur. Tandem vero prædicatione sua innumeris gentibus illustratis, Torquatus Acci, Tisephon^k Vergi, Secundus Abulæ, Indalecius Ursi, Cæcilius Eliberri, Esicius^l Carsecæ, Eufrasius Eliturgi, scilicet Idibus Maii quieverunt.”

Et ita sane in martyrologio Romano (quod Hieronymi^m nomine olim editum, suppositaⁿ quoque ejusdem ad Chromatium et Heliodorum epistola, confirmat Baronius) ut et in Bedæ, Usuardi, Notkeri et Adonis martyrologiis, ad Idus Maii, legimus; “Romæ hos a sanctis apostolis episcopos ordinatos, et ad prædicandum verbum Dei in Hispanias directos esse: cumque diversis urbibus evangelizassent, et innumeras multitudines Christi fidei subjugasent;” tandem in dictis Hispaniæ locis quievisse. In veteri Romanæ Ecclesiæ martyrologio, quod suo præfixit Ado, non aliud de illis dicitur, quam quod “Romæ ab apostolis^o ordinati sunt.” In Britannico vero^p, quod describendum curavit Ricemarchus Sulgeni Menevensis episcopi filius, ne nominantur quidem. In apostolorum tamen catalogo, qui epistolæ ad Chromatium et Heliodo-

^h MS. in bibliotheca Collegii Benedicti Cantabrig. et Coll. Baliol. Oxon. et D. Roberti Cotton.

^k al. Ctesiphon.

^l al. Hiesychius.

^m Baron. de Martyrolog. Rom. cap. 9.

ⁿ Ibid. cap. 5, 6, 7.

^o Petro, sc. et Paulo, ut habet Gregorius VII. lib. 1. Registr. epist. 64.

^p Habetur MS. in bibliotheca D. Guil. Bedelli Kilmorensis apud nos episcopi.

rum ibi subicitur, de Jacobo legitur: "Hic Hispaniæ, et in occidentalia loca prædicavit: et sub Herode gladio cæsus occubuit." Addit Ordericus Vitalis Uticensis monachus, libro secundo ecclesiasticæ historiæ, septem ipsius discipulos cadaver ejus in Hispaniam detulisse, "et a rege Galliciæ susceptos, primum fidem et religionem Hiberis prædicavisse." An pro Hiberis Vincentius alicubi Hibernis exaratum repererit, aliis conjiciendum relinquo: certe hujusmodi aliquo errore dictos Jacobi discipulos ad Hiberniam translatos esse, a vero non est absimile.

SIMONEM ZELOTEM evangelii doctrinam "ad occidentalem oceanum, Britannicasque insulas" pertulisse, author est Nicephorus⁹ Callisti. Eundem "in Britannia crucifixum, occisum et sepultum esse," tradit in synopsi Dorotheus: astipulantibus etiam Græcorum menologiis^r. In quibus ad Maii diem decimum de Simone ita scriptum legimus. "Υστέρων δὲ ἐν Βρετανίᾳ γενόμενος, καὶ πολλοὺς τῷ λόγῳ τοῦ εὐαγγελίου φωτίσας, ὑπὸ τῶν ἀπίστων σταυρωθεὶς καὶ τεθεὶς θάπτεται ἐκεῖ. Postremo in Britanniam profectus, cum multos evangelii verbo illustrasset, ab infidelibus crucifixus, illic sepultus est." In martyrologio tamen et breviario Romano, ut et in Bedæ, Usuardi, atque Adonis martyrologiis, ad Octobris diem octavum et vigesimum in Perside martyrium subiisse legitur.

SIMONEM PETRUM, "duodecim quidem annos esse versatum in oriente, viginti autem et tres annos transgisse Romæ, et in Britannia, et in civitatibus quæ sunt in occidente," retulit alicubi Eusebius Pamphili; siquidem Simeoni Metaphrastæ credimus. Apud^s quem etiam legimus, Petrum in Britannia "longo tempore fuisse moratum, et multas gentes non nominatas attraxisse ad fidem Christi;" ad extremum vero, cum "verbo gratiæ multos illuminasset, et ecclesias constituisset, episcopos et pres-

⁹ Niceph. hist. ecclesiast. lib. 2. cap. 40.

^r Menolog. tom. 2. Antiqu. lect. Henr. Canisii. Antholog. Græc. edit. Rom. ann. 1598. pag. 406. et Menæis edit. Venet. ann. 1588.

^s Metaphrast. commentar. de Petro et Paulo, ad diem 29. Junii, de quo vid. Baron, annal. tom. 1. an. 61. sec. 4.

byteros et diaconos ordinasset, XII. anno Cæsaris Neronis rursus Romam reversam esse."

S. PAULUM doctorem Gentium τὸν^t τὴν οἰκουμένην στα-
δεύσαντα, καὶ τῷ περὶ πίστεως δρόμῳ τὸν κόσμον μικρὸν
ἀποφύναντα, (ut de eo loquitur Basilius Seleuciensis)
"ab oceano usque ad oceanum cucurrisset," affirmat Hie-
ronymus^u: "imitantem Dominum suum et solem justitiæ,
de quo legimus; *A^w summo cælo egressio ejus, et occursus
ejus, usque ad summum ejus,* ut ante eum terra deficeret
quam studium prædicandi:" et post primam apologiam,
cujus ipse in posteriore ad Timotheum epistola meminit,
a Nerone dimissum, evangelium^x Christi in occidentis
quoque partibus prædicavisse. Verba apostoli^y sunt: "In
prima mea defensione nemo mihi adfuit; sed omnes me de-
reliquerunt. Non illis imputetur. Dominus autem mihi
adstitit, et confortavit; ut per me prædicatio impleatur,
et audiant omnes gentes." In quem locum Theodoretus:
"Quando," inquit, "appellatione usus, Romam a Festo
missus est, defensione audita fuit absolutus, et in Hispaniam
profectus est, et ad alias gentes excurrrens, eis doctrinæ
lucem attulit;" atque, ut alibi addit idem^z, "Insulis
quæ in mari jacent, utilitatem attulit." Unde de eo Venantius
Fortunatus^a:

Transiit Oceanum, vel qua facit insula portum,
Quasque Britannus habet terras, quasque ultima Thule.

Et Sophronius patriarcha Hierosolymitanus, in sermone
de natali apostolorum, Paulum Hispanis et Britannis
evangelium prædicasse significat: quod tamen ex aliorum^b

^t Terræ habitabilis stadia percurrentem, et cursu pro fide suscepto mundi angustias demonstrantem. Basl. Seleuc. orat. 2. (sive de Adamo I.)

^u Hieron. com. in Amos, cap. 5. ^w Psal. 19. ver. 6.

^x Hier. in catal. Script. eccl. in Paulo, et Hilduinus in Arcopag. et Adæ in libello de festiv. apost.

^y 2 Tim. cap. 4. ver. 16, 17.

^z Theodoret. in Psal. 116.

^a libro 3. de vita Martini.

^b Madgeburgens. Centur. 1. lib. 2. cap. 2. Rob. Person. de 3. convers. Angliæ, part. 1. cap. 1. sec. 22. Jo. Pits. tom. 1. relat. Anglic. pag. 11.

fide refero, mihi enim ipsi auctorem videre nondum contigit. Vetus quoque interpret sermonis Chrysostomi^c de Pentecoste, ab Hispaniis “in ultimas partes” terræ eum cucurrisse innuit. Denique “tanquam^d cœlestis quædam volucris orbem habitabilem circumcirca peragrans; triginta^e et quinque annis evangelico pro Christo certamine peracto,” ut scribit Nicephorus, Romæ demum sub Nerone martyrio cursum consummavit.

Aristobulum quoque cujus ipse in epistola ad Romanos^f meminit, Britannorum episcopum a Paulo ordinatum, in Menæis Græcorum invenio: ubi Aristobuli ad decimum quintum diem Martii, hujusmodi fit commemoratio: “Ὁὐτος ἦν εἰς τῶν ἑβδομήκοντα μαθητῶν, ἠκολούθησε δὲ τῷ ἁγίῳ ἀποστόλῳ Παύλῳ, κηρύττων τὸ εὐαγγέλιον εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην διακονῶν αὐτῷ· ὕψ' οὗ καὶ χειροτονεῖται ἐπίσκοπος εἰς τὴν τῶν Βρετανῶν χώραν, ἀγρίων ἀνδρῶν καὶ ὠμοτάτων παρ' ὧν ποτὲ μὲν τυπτόμενος, ποτὲ δὲ καὶ κατὰ τῆς ἀγορᾶς συρόμενος, πολλοὺς ἔπεισε τῷ Χριστῷ προσελθεῖν· ὕθεν· καὶ ἐκκλησίας συστησάμενος, καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους ἐν αὐτῇ καταστήσας, ἐτελειώθη. E septuaginta discipulis erat hic unus, sequutus est autem S. Paulum, prædicans evangelium, et ubique terrarum ministrans illi. A quo et episcopus ordinatus est in Britannorum regionem, ferorum

^c Tom. 3. Latin. edit. Paris. ann. 1546. et Basil. ann. 1558.

^d Οἷά τις πτηνὸς αἰθέριος ὁ Παῦλος διέθει, κύκλῳ διατρέχων τὴν οἰκουμένην. Nicephor. Callist. ecclesiast. histor. lib. 3. cap. 1. καθάπερ ὑποπτερός τις πᾶσαν διαδραμὼν τὴν οἰκουμένην ἰσαγήνευσε. Menæa Græc. Jun. 29.

^e Πᾶσαν σχεδὸν τὴν γῆν διελθὼν, καὶ ἐπὶ πέντε καὶ τριάκοντα ὑπὲρ Χριστοῦ τῷ εὐαγγελίῳ διαθλεύσας ἐνιαυτοῖς. Niceph. hist. eccles. lib. 12. cap. 34. Vix triginta annorum spatio et Romanos, et Persas, et Parthos, et Medos, et Iudos, et Scythas, et Sauromatas, et Sarracenos, et omne prorsus humanum genus sub jugum mitteret veritatis, &c. Chrysost. homil. 4. de laudib. Pauli. Clemens in epistola ad Corinthios pag. 8. de eodem: Κῆρυξ γενόμενος ἐν τῇ ἀνατολῇ καὶ ἐν τῇ δύσει, τὸ γενναῖον τῆς πίστεως αὐτοῦ κλέος ἔλαβεν δικαιοσύνην διδάξαι ὅλον τὸν κόσμον, καὶ ἐπὶ τὸ τέλος τῆς δύσεως ἐλθὼν, καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου. In oriente ac occidente verbi præco factus, illustrem fidei suæ famam sortitus est, in justitia mundum universum instruens, et ad occidentis terminos veniens, et sub imperatoribus martyrium subiens, sic e mundo migravit.

^f Rom. cap. 16. ver. 10.

et sævissimorum hominum. A quibus aliquando quidem verberibus affectus, aliquando etiam per forum tractus, multis persuasit ut Christo se adjungerent. Unde et ecclesiis constitutis, et presbyteris et diaconis in ea ordinatis, vitam consummavit."

Similiter et apud Dorotheum in synopsis, Aristobulum episcopum Britanniae factum fuisse legimus: et in fragmento, quod Helecae Cæsaraugustani episcopi nomine habetur editum: "Britannis celebris est memoria multorum martyrum, præcipue S. Aristobuli unius de LXXII. discipulis, qui dictus est etiam Zebedæus (Pater Jacobi, et Joannis martyris, Mariæ Salome) qui cum Petro Romam petivit. Inde relictis domesticis suis, missus in Angliam episcopus, occubuit martyr in secundo anno imperatoris Neronis sævissimi." Ita enim pagina 108. editionis Cæsaraugustanæ habetur. Verum quæ parenthesi inclusimus, sic sunt corrigenda: "Pater Jacobi et Joannis, maritus Mariæ Salomes." In sequente enim pagina, Concordia Petri apostoli uxor, Aristobuli et Salomes filia fuisse perhibetur. "S. Petrus," inquit author, "in honore habetur in Hispaniis, et ejus uxor Concordia passa Romæ sub Nerone, non multo prius quam ipse pateretur. Fuit hæc, ut docet M. Maximus in commentariis ad epistolam S. Petri, filia Aristobuli vel Zebedæi, et Salomes; socrus etiam Andreæ, qui duxit alteram sororem Concordiæ, et Jacobi et Joannis. Fuit autem Aristobulus cognomento Zebedæus, frater Barnabæ apostoli Domini." Hæc ille: cui de Petro, ducente in uxorem filiam Aristobuli, fratris Barnabæ apostoli, astipulantur etiam Græci apud Metaphrastam in commentario de Petro et Paulo, et in Menæis, ad XXIX. Junii diem.

In fine posterioris^g ad Timotheum epistolæ, commemorantur simul ab apostolo Pudens, et Linus, et Claudia. Linum, primum Ecclesiæ Romanæ episcopum a Paulo ordinatum, Claudiæ filium fuisse innuit Pseudo-Clemens^h. Patrem vero Lini Herculanium quendam fuisse liber pon-

^g 2 Tim. cap. 4. ver. 21.

^h lib. 7. Constitutionum apostolicarum, cap. 47.

tificalis asserit. Nostri Claudiam natione Britannam, et Pudentis uxorem fuisse, ex Martiale poeta colligunt: qui de Claudia ita cecinit:

Claudia cæruleis cum sit Ruffina Britannis
 Edita, cur Latiae pectora plebis habet?
 Quale decus formæ? Romanam credere matres
 Italides possunt, Atthides esse suam.
 Dii bene, quod sancto peperit fecunda marito
 Quot sperat generos, quotque puella nurus.
 Sic placeat superis, ut conjuge gaudeat uno,
 Et semper natis gaudcat illa tribus.

Atque iterum^k de nuptiis Pudentis et Claudiae:

Claudia, Rufe, meo nubit peregrina Pudenti;
 Macte esto tædis, o Hymenæe, tuis.
 Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo,
 Massica Thesæis tam bene vina favis.
 Nec melius teneris junguntur vitibus ulmi,
 Nec plus lotos aquas, littora myrtus amat.
 Candida perpetuo reside Concordia lecto,
 Tamque pari semper sit Venus æqua jugo.
 Diligat ipsa senem quondam: sed et illa marito
 Tunc quoque cum fuerit, non videatur anus.

Quod epigramma cum ad Rufum de Pudente scriptum fuerit: Thomas Dempsterus^l, homo multæ lectionis, sed nullius plane iudicii, ipsi Pudenti nomen etiam Rufi apposuit, ut inde fortasse disceremus, quare uxor illius "Claudia Romano cognomento assumpto Rufina dicta" fuerit: pari nempe acumine, quo eandem Claudiam "inter matronas laude continentiae clarissimas numerare Plutarchum^m" idem asserit: cum is Κλαυδίας τῆς παλαιᾶς Claudiae illius priscae, Vestalis utique illius nominatissimæ,

Quæⁿ contra satie Albulam tumentem
 Duxit virgineo ratem capillo:

Non hujus, quæ eodem cum illo vixit seculo, mentionem

^l Martial. lib. 11. epigram. 53.

^k Id. lib. 4. epigram. 13.

^l Dempster. Historiæ ecclesiasticæ (quam vocat) lib. 3. num. 102.

^m lib. de conjug. præcept. ad finem.

ⁿ Sidon. Apollinar. in Propemptico ad libellum. Carm. 24.

faciat. Et quo Pudentem maritum, centurionem aut primipilarem in Britannia vel Germania militantem, exulem in Scotiam, ob Christianæ pietatis professionem, extra Romani imperii fines, relegatum fuisse colligit, ex illo Martialis carmine :

Cernere^o Parrhasios dum te juvat, Aule, triones
Cominus et Scythici sidera ferre poli.

Ubi argutissimus criticus Scotici vocabulum, pro Scythici, reponendum esse conjicit: oblitus, apud Claudianum, Apollinarem Sidonium ac veteres illos, primam Scotici nominis syllabam semper productam legi; et in antiquis manuscriptis Scottos geminata litera passim exarari consuevisse. Neque sui dissimilis est, quum addit, Personium "probare^p in conversione Anglicana Claudiam non potuisse esse Anglam," quasi quisquam eam Dempsteri insaniret insaniam, ut Claudie temporibus Angliam quæreret in Britannia: aut id argumentatione sua conficere non conaretur Personius, B. Claudiam cujus Paulus meminit, non fuisse Britannam illam, cujus formæ decus Trajano imperante Martialis laudaverit; et consequenter, absque ullo fundamento vel Scotam constitui vel Anglam. Quamquam argumentum illud, quo potissimum ille nititur, a temporis ratione deductum, non multum urgeat. Neque enim si in undecimo quem citavimus epigrammatum libello occurrunt aliqua sub^q tertio vel Nervæ vel Trajani consulatione conscripta carmina; sequetur, et reliqua omnia eodem tempore fuisse composita. Et licet sub Trajano mortem poeta obierit: senem tamen decessisse cogitandum est, et prius familiariter usum esse Silio Italico, secundi belli

^o Martial. lib. 6. Epigram. 53.

^p Rob. Person. de convers. Ang. part. 1. cap. 1. sec. 18. Vid. Is. Pontani hist. Gelricæ lib. 1. pag. 72.

^q Martial. lib. 11. epigram. 4.

Et qui purpureis jam tertia nomina fastis,
Iane, refers Nervæ.

Trajanus vero post adoptionem, Nerva etiam dictus est: ut apud Elianum, in Tacticorum præmio ad Hadrian. Imp. 'Ἐπεὶ εἰ τῷ Θεῷ πατρὶ σου Νέρωνα συμβαλὼν, &c.

Punici scriptore: quo consulatum gerente, Neronem interiisse, et alii authores confirmant, et ipse Martialis^r significat illis de Silio versiculis:

Postquam bis senis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacro orbe fuit:
Emcritos Musis et Phœbo tradidit annos,
Proque suo ccelebrat nunc Heliconæ foro.

Nerone vero summam rerum obtinente (et quidem, ut pluribus placet, sub finem imperii illius) a Paulo illa scripta est epistola, in qua Timotheum salutant Pudens et Linus et Claudia. Sed de his in capite tertio iterum etiam erit dicendi locus.

^r Martial. lib. 7. Epigram. 63.

CAP. II.

De duodecim Philippi discipulis, et Josepho Arimathæensi, Glastoniensium monachorum traditiones; veterum nominibus fucatæ, et in Europæorum generalibus conciliis venditatæ.

AD Glastoniensium monachorum, de Josepho Arimathæensi et ejus sociis, traditiones nunc venio: quas etsi Normannorum adventu antiquiores non existimem, et posteriorum temporum superstitionem plane redoleant; tamen qualescunque sunt, ex Guilielmi Malmesburiensis de antiquitate Glastoniensis ecclesiæ libello exhibere visum est. Sic igitur ille, præmissa præfatione ad Henricum Blesensem, Henrici I. regis ex Adela sorore nepotem, Wintoniensem tum episcopum et Glastoniensem abbatem, archæologiam suam ab apostolicis exorditur temporibus.

“ Post Dominicæ resurrectionis gloriam, ascensionisque triumphum, ac Spiritus paracliti de supernis missionem (qui discipulorum corda temporalis pœnæ adhuc formidine trepidantia replevit, scientiam omnium linguarum tribuendo) erant omnes credentes simul cum mulieribus, et Maria matre Jesu, ut Lucas narrat evangelista: et verbum Dei disseminabatur, crescebatque numerus credentium quotidie; eratque omnibus cor unum et anima una. Invidiæ ergo facibus accensi sacerdotes Judæorum cum Pharisæis et Scribis, concitaverunt persecutionem in Ecclesia, interficiendo protomartyrem Stephanum, et fere a finibus suis omnes procul pellentes. Hac igitur persecutionis procella sæviante, dispersi credentes petierunt diversa regna terrarum a Domino sibi delegata, verbum salutis gentibus propinando. Sanctus autem Philippus, ut testatur Frecul-

plus libro secundo, capitulo quarto, regionem Francorum adiens gratia prædicandi plures ad fidem convertit et baptizavit. Volens igitur verbum Christi dilatari, duodecim ex suis discipulis elegit, et ad evangelizandum verbum vitæ misit in Britanniam: quibus, ut ferunt, charissimum amicum suum Joseph ab Arimathia, qui et Dominum sepelevit, præfecit. Venientes igitur in Britanniam anno ab incarnatione Domini sexagesimo tertio, ab assumptione beatæ Mariæ decimoquinto, fidem Christi fiducialiter prædicabant. Rex autem barbarus cum sua gente, tam nova audiens et inconsueta, omnino prædicationi eorum consentire renuebat, nec paternas traditiones commutare volebat: quia tamen de longe venerant, vitæque eorum exigebat modestia; quandam insulam sylvis, rubis atque paludibus circumdatam, ab incolis Ynswitrin nuncupatam, in lateribus suæ regionis ad habitandum concessit. Postea etiam alii duo reges pagani successive comperta vitæ eorum sanctimonia, unicuique eorum unam portionem terræ concesserunt; ac ad petitionem ipsorum, secundum morem gentis, brevi^a dictas duodecim hidas confirmaverunt. Unde et duodecim hidae per eos adhuc, ut creditur, nomen sortiuntur.”

“ Prædicti itaque sancti in eodem deserto conversantes, post pusillum temporis visione archangeli Gabrielis admoniti sunt ecclesiã in honore sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ, in loco cœlitus eis demonstrato construere. Qui divinis præceptis non segniter obedientes, secundum quod eis fuerat ostensum, quandam capellam, inferius per circuitum virgis torquatis muros perficientes, consummaverunt in anno post passionem Domini tricesimo primo, post assumptionem gloriosæ virginis decimo quinto, et deformi quidem schemate, sed Dei multipliciter adornatam virtute. Et cum hæc in hac regione prima fuerit; ampliori eam dignitate Dei filius insignivit, ipsam videlicet in honore suæ matris dedicando. Duodecim igitur sancti sæpius memorati, in eodem loco Deo et beatæ virgini devota exhibentes obsequia; vigiliis, jejuniis et orationi-

^a Literis.

bus vacantes, ejusdem virginis auxilio ac visione (ut credi piū est) in omnibus necessitatibus refocillabantur. Hæc autem ita se habere, tum ex charta beati Patricii, tum ex scriptis seniorum cognoscimus."

Addit præterea Malmesburiensis, ad Glastoniensis ecclesiæ antiquitatem comprobendam, et sequens testimonium: "Monachus quidam Glastoniæ, Godefridus nomine, (de cujus epistola hoc capitulum assumpsimus) tempore Henrici Blesensis, abbatis Glastoniensis, cum in pago Parisiacensi apud sanctum Dionysium moraretur; senior quidam ex monachis interrogavit eum: quo genus, unde domo? Respondit, Normannum, e Britannia monasterio quod Glastingeia dicitur, monachum. Papæ, inquit, an adhuc stat illa perpetuæ virginis et misericordiæ matris vetusta ecclesia? Stat, inquit. Tum ille lepido attacktu caput G. Glastoniensis demulcens, diu silentio suspensum tenuit, ac sic demum ora resolvit; hæc gloriosissimi martyris Dionysii ecclesia, et illa de qua te asseris, eandem privilegii dignitatem habent: ista in Gallia, illa in Britannia uno eodem tempore exortæ, a summo et magno pontifice consecratæ. Uno tamen gradu illa supereminet: Roma etenim secunda vocatur."

Refert Cæsar Baronius ex^b actis Mariæ Magdalænæ et sociorum, dispersione facta post mortem Stephani, "Lazarum, Mariam Magdalenam, Martham, et Marcellam pedisequam, in quos Judæi majori odio exardescebant, non tantum Hierosolymis pulsos esse, sed una cum Maximo discipulo, navi absque remigio impositos, in certum periculum mari fuisse creditos: quos divina providentia Massiliam tradunt appulisse." Additque ex historia Anglorum, quæ manuscripta habetur in bibliotheca Vaticana, sed (quod ille tacet, et nos suo loco patefaciemus) nostris temporibus scripta, "comitem ejusdem discriminis Josephum ab Arimathæa nobilem decurionem; quem tradunt ex Gallia in Britanniam navigasse, illicque post prædica-

^b Baron. annal. tom. I. ann. 35. sec. 5. Vid. Petrum de Natalibus, lib. 6. cap. 124. Melchiorem Inchofer, de veritate epistolæ B. Mariæ ad Messanenses, cap. 13. et Fran. Bosquet. eccles. Gallican. hist. lib. 1. sec. 3.

tum evangelium diem clausisse extremum." In Pseudo-Dextri quoque chronico, ad annum Christi XLVIII. similiter legimus; "Hierosolymitani Judæi vehementer infensi B. Lazaro, Magdalenæ, Marthæ, Marcellæ, Maximino, Josepho ab Arimathia nobili decurioni, et aliis plurimis; navi sine remigio velisque, ac sine gubernatore eos impo-
nunt, et exulare mandant: qui per vastum mare divinitus delati, ad Massiliensem portum incolumes appellant." Et in fragmento Helecæ attributo; "Fama est, Magdalenam Lazari sororem, cum Lazaro, Maximo atque Chelidonio, Marcella, Josepho ab Arimathia, venisse in Galliam Aquitanicam; ibique prædicasse Domini Jesu sanctum evangelium: ut docent luculenter Gallorum historiæ, et est traditio ubique satis recepta illius regionis." Quod autem de Philippi in Galliis apostolatu habet Freculphus a Malmesburiensi citatus; ex Isidori libro de patribus utriusque Testamenti^c ad verbum expressit. Apud utrumque enim legimus, Philippum Gallis prædicasse Christum, "barbarasque gentes, vicinasque tenebris, et tumentis oceano conjunctas, ad scientiæ lucem, fideique portum deduxisse." Neque hic mihi Baronii^d conjectura placet, Isidori ista a Gallis nostris ad Galatas Asiaticos traducentis: multoque minus, nuperi operum Isidori editoris, Jacobi Breullii temeritas, Galatis pro Gallis in ipso textu, sine ulla veteris lectionis commemoratione, reponentis. Nam præterquam quod Isidorus in hoc ipso opere, capite secundo et octogesimo et in officio Toletano, quod^e Gothicum et Mozarabum vulgo appellatur: itemque Julianus Toletanus archiepiscopus in Nahum^f prophetam scribens, et Beda (vel quicumque author fuit collectaneorum et florum ad calcem tertii tomii operum ipsius adjectorum) Philippo Galliam assignant: idemque "Gallis prædica-

^c Vid. cap. 74.

^d Baron. tom. I. ann. 44. sec. 32. et eum secutus Jacobus Valdesius, de dignitate reg. Hisp. cap. 6. sec. 56.

^e Offic. Mozar. in festo S. Jac. tomo 2. Auctarii bibliothecæ patrum, edit. Paris. ann. 1610. col. 1659. in Hymno de S. Jacobo quem inde desumptum commentario suo in Dextri chronicon inseruit Franc. Bivarius, pag. 86.

^f Ibid. col. 205.

visse Christum" legitur, in libello de festis apostolorum, qui in Hieronymiano martyrologio manuscripto habetur, ex quo pleraque omnia in librum suum de patribus novi Testamenti transcripsit Isidorus: illa barbararum gentium oceano conjunctarum mentio, Europæos Gallos, non Gallo-Græcos ab Isidoro intellectos esse satis evincit.

Quod vero Josephi Arimathæensis opera in gentibus Britannicis ad fidem perducendis Philippus usus fuerit, id totum ex Glastoniensium monachorum lacunis haustum est: a quibus et barbari illi manarunt versiculi, ex chronicis quibusdam de rege Arvirago agentibus citati^g:

Intrat Avalloniam duodena caterva virorum;
Flos Arimathææ Joseph est primus eorum.
Josephes ex Joseph genitus patrem comitatur;
His aliisque decem jus Glastoniæ propriatur.

Atque ex^h aliis, paris elegantia, isti:

Joseph cum sociis jussit transire Philippus
Ad terram Britonum divinum promere verbum.
Fertⁱ hos camisia qui promissum tenuerunt:
Navigio ceteri terræ mox applicuerunt.
Regi consuluit Joseph tunc credere Christum:
Arviragus renuit rex hoc, nec credit in ipsum.
Glastoniæ bis sex hidas dedit Arviragus rex:
Joseph cum sociis jura reliquit eis.
Anno trigeno primo post vulnera Christi,
Ecclesiam virgis faciunt cum laudibus isti.

Habetur et hodie Welliæ in ædibus D. Thomæ Hugonis equitis aurati, tabula ænea, columnæ Glastoniensis ecclesiæ olim affixa: cui incisum legitur: "Anno post passionem Domini XXXI. duodecim sancti, ex quibus Joseph ab Arimathia primus erat, huc venerunt, qui Ecclesiam hujus regni primam in hoc loco construxerunt, quam Christus in honorem suæ matris et locum pro eorum sepultura præsentialiter dedicavit." Est etiam penes nobi-

^g Joh. Capgrav. in vita Josephi. Tabula magna Glastoniensis.

^h Ex appendice chronici Glastoniensis, MS. in bibliotheca Cottoniana.

ⁱ Habetur ineptissima hæc fabella in magna Glastoniensis ecclesiæ tabula, et apud Capgravium in vita Josephi.

lissimum virum, D. Guilielmum Howardum, Thomæ Norfolkici Ducis filium, ingens tabula, Glastonienses antiquitates undique conquisitas complectens: in qua, inter alia fabulosissima, et ista legimus: “Joseph ab Arimathia beati Philippi apostoli discipulatus se contulit, atque ejus salubri doctrina affluenter refertus et ab ipso cum filio suo Josepho baptizatus est. Postea vero a beato Johanne apostolo ipsi prædicationi Ephesiorum insudante, beatæ perpetuæque virginis Mariæ paranymphus delegatus est: ejusdem quoque gloriosæ virginis venerandæ assumptioni cum beato Philippo cæterisque discipulis interfuit, atque ea quæ de Domino Jesu Christo atque ejus gloriosa genitrice Maria audierat et viderat instanter per diversas regiones prædicans, ac multos convertens et baptizans; tandem decimo quinto post eandem gloriosam assumptionem anno, cum memorato filio suo Josepho ad sanctum Philippum in Gallias venit. Ac deinde secundum quod legitur in libro qui dicitur Graal, Joseph ab Arimathia, qui dominum sepelivit, baptizatus a beato Philippo apostolo venit in majorem Britanniam, sibi et semini ejus promissam, cum uxore, et filio Josepho nomine, quem ipse Salvator noster in civitate Saraz prius in episcopum consecraverat.”

Sequuntur deinde portenta illa, quæ in vita Josephi refert Capgravius ex eodem nugacissimo libro, qui sanctum Graal appellatur, cujus auctor Guilielmo Malmesburiensi paulo videtur fuisse posterior; licet ab Helinando Cluniacensi, Frigidi montis in Gallia monacho, ad annum salutis DCCXX. referatur. Sic enim ille in chronico, a Vincentio^k Bellovacensi citato: “Hoc,” inquit, “tempore in Britannia cuidam eremitæ monstrata est mirabilis quædam visio per angelum, de sancto Joseph decurione nobili, qui corpus Domini deposuit de cruce, et de catino illo vel de paropside, in quo Dominus cœnavit cum discipulis suis, de quo ab eodem eremita descripta est historia, quæ dicitur de Gradali. Gradalis autem vel Gradale Gallice

^k Vincent. Specul. Historial. lib. 23. cap. 147.

dicitur scutella lata, et aliquantulum profunda, in qua pretiosæ dapes cum suo jure divitibus solent apponi, gradatim unus morsellus post alium in diversis ordinibus; et dicitur vulgari nomine Graal, quia grata et acceptabilis est, in ea comedenti, tum propter continens, quia forte argentea est, vel de alia pretiosa materia; tum propter contentum, id est, ordinem multiplicem dapum pretiosarum. Hanc historiam Latine scriptam inveniri non potui: sed tantum Gallice scripta habetur a quibusdam proceribus, nec facile (ut aiunt) inveniri potest."

Multa vero inde in fabulosa regis Arthuri acta, lingua Anglicana a se edita, transtulit Thomas Malorius: qui Sangreal vocem hic usurpat, ad sanguinis realis notionem proxime accedentem; partem¹ enim pretiosissimi sanguinis Servatoris nostri repositum hic fuisse fingit: sive in cruce effusi, sive ex suprema Christi cœna reservati: de qua Stephanus Forcatulus: "Britanni^m sacræ illius cœnæ pignus ac testimonium secum attulisse Josephum commemorant: nempe catinum sanctissimis convivis appositum, diutissime in magna ceremonia, tanquam pignus quoddam securitatis Britannicæ; non aliter atque Trojanum Palladium." Hæc ille: de aucta etiam a Josepho vetere magia Britannica effatum non minus a ratione quam a religione remotum postea adjiciens: "Auxitⁿ prodigiosos ritus Josephus Arimathæus, advena Britannicæ plausibilis; qui de Solomonis fonte artem hauserat. Fuit namque hic sapiens rex imbutus divinitus secretiore sapientia: incantationes^o composuit, quibus morbi pellerentur, et dæmones fugarentur, non redituri."

De duodecim discipulis a B. Philippo in Britanniam missis, Malmesburiensis quidam monachus in eulogii sui libro secundo hunc in modum meminit: "Anno Incarnationis Domini LXIII. et assumptionis beatæ virginis Mariæ

¹ Hist. Anglic. Arthuri, a Molorio edit. lib. 11. cap. ult.

^m Forcatul. de Gallorum imperio et philosophia, lib. 7. pag. 989.

ⁿ Id. ibid. pag. 1002. Vid. Jacob. Valdesium, de dignitate Hispaniæ, cap. 16. sec. 12.

^o Ex Josepho, lib. 8. Antiquit. Judaic. cap. 2.

XV. duodecim discipuli venerunt in Britanniam majorem, missi a beato Philippo apostolo ad verbum Dei ibidem prædicandum: quorum primus fuit Joseph ab Arimathia, qui Jesum Christum sepelivit. Quibus rex Arviragus, licet paganus, ne ulterius laborarent, duodecim hidas terræ eis contulit in insula Avalloniæ, quæ nunc dicitur Glastonia. In quo loco ecclesiam in honore beatæ virginis per admonitionem S. Michaelis archangeli, de virgis torquatis muros facientes, construxerunt."

In chronico^p quoque Glastoniensi anno MCCLIX. exarato, scriptum legimus: "Anno ab Incarnatione LXIII. discipuli sanctorum Philippi et Jacobi apostolorum venerunt in Britanniam: a quibus primum oratorium in insula Avalloniæ, in honore S. Mariæ fuit constructum, in anno post assumptionem ejusdem quinto decimo." Et in alio^q, a monacho cœnobii S. Augustini Cantuariensis anno MCCCCVI. conscripto: "Rex Yna fuit primus fundator monasterii Glastoniensis. Monachi tamen ibidem aliam prætendunt foundationem a rege Arvirago (filio Kimbelini regis Britonum, in cujus tempore Christus Jesus de Maria virgine natus fuit) et quod ab Arthuro rege dotatum fuit pluribus possessionibus." Item in libro de prærogativis et dignitatibus ordinem monasticum concernentibus, qui a Thoma Walsinghamio scriptus putatur: "S. Philippus apostolus Jesu Christi misit in Britanniam duodecim prædicatores, quorum primus et præcipuus fuit Joseph ab Arimathia, qui Christum sepelivit. Qui Glasconiam venientes, acceperunt possessionem hidarum duodecim, ab Arvirago nobili rege Britanniae, adhuc paganis erroribus involuto. Hi per Gabrielis archangeli admonitionem, ecclesiam in honore sanctæ Dei genetricis Mariæ construxerunt anno post passionem Domini tricesimo primo."

Johannes Tinmuthensis, ex Glastoniensis monasterii libris, ita rem narrat: "Ex^r quo apostoli in regiones diversas erant divisi ad prædicandum verbum vitæ, sanctus

^p MS. in bibliotheca Cottoniana.

^q MS. M. Roberti Haræi.

^r Similia ad verbum pene reperiuntur in MS. Cottoniano, ubi variæ prophetiæ Merlini aliorumque una sunt collectæ.

Philippus apostolus regionem Franciæ cum suis discipulis sortitus est: de quibus misit in Britanniam duodecim (quorum primus erat Joseph ab Arimathia, qui et Dominum sepelivit) anno ab incarnatione Domini sexagesimo tertio, et ab assumptione sanctæ Mariæ quinto decimo: quibus duodecim hidæ ab Arvirago paganicis erroribus decepto concessæ erant. Qui ibidem Deo servientes, per Gabrielis archangeli admonitionem, ecclesiam in honore sanctæ Dei genetricis Mariæ construxerant. Cumque fidem Christi constanter prædicarent, rex barbarus cum gente sua tam nova audiens et inconsueta, omnino prædicationi eorum consentire renuebat, nec paternas traditiones commutare volebat: quia tamen de longe venerant, ad petitionem eorum quandam insulam sylvis paludibusque circumdatam ad inhabitandum concessit. Erat enim portio illa duodecim hidarum, et quandam capellam (ut præmittitur) ex virgis torquatis construxerunt anno post passionem Domini XXXI."

Hæc Johannes^s Tinmuthensis, in sanctilogio Britanniæ, et ejus exscriptor Johannes Capgravius in nova legenda Angliæ, sed prudenter præmisso hoc prologo. "Quæ inferius digesta sunt, apud Glastoniam ex libris monasterii illius excerpsi: quæ si veritatem sapiant, lectoris arbitrio relinquo." Et hoc ad extremum subjecto epilogo. "Ego vero in præscriptis et dubiis, et in sequentibus nonnullis, auctoritatem discutiendi et definiendi mihi non præsumo: sed tanquam relator simplex, quæ in diversis libris et locis cum laboribus et difficultate sedulus indagator reperire potui, ardua peritis ventilanda relinquens, sine invidia communico."

Polydorus Vergilius, vir naris emunctioris, sublatis crasioribus illis monachorum fabulamentis, historiam hanc ita proponit. "Joseph^t ille, qui, teste Matthæo evangelista, ab Arimathæa civitate oriundus, Christi corpus sepeliverat, sive casu, sive consilio, ita volente Deo, cum non parvo comitatu, in Britanniam venit: ubi tam ipse, quam ejus socii,

^s Jo. de Tinmouth. et Jo. Capgrav. in vita S. Patricii.

^t Polyd. Angl. hist. lib. 2.

cum de evangelio prædicarent, atque dogma Christi sedulo docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, salutiferaque fruge imbuti, baptizati sunt. Isti viri certe divino spiritu afflati, cum a rege parum terræ ad inhabitandum (proxime Welliam oppidum, circiter millia passuum quatuor) dono accepissent, ibi novæ religionis prima jecerunt fundamenta, ubi hodie est templum magnificum cœnobiumque monasticæ familiæ D. Benedicti ordinis nobile. Loco nomen est Glasconia. Hæc omnino Christianæ pietatis in Britannia extitere primordia; quam deinde Lucius rex, sicut paulo post dicemus, prope extinctam baptismi fonte sublatus mirabiliter accendit, pieque adauxit. Nam Gildas testis est, Britannos jam inde ab initio orti evangelii, Christianam recepisse religionem." Hæc Polydorus. Et ante eum Richardus Lepidus Bartholinus. "Nec^x me præterit," inquit, "Josephum ab Arimathea, cum a Judæis nequiter in carcerem ductus fuisset, et a Deo Optimo Maximo miraculose liberatum taliter ut nusquam postea in Judæa visum fuisse. Nam, ut annalium scriptores prodiderunt, in Britanniam transmigravit; ibique et cultum Christi docuit, et multa sui monumenta in valle Avilonis, quæ adhuc visuntur, reliquit."

Eadem etiam de Josephi adventu refert Thomas Scropus, Dromorensis quondam in Hibernia episcopus, capite septimo libri quem de Carmelitani ordinis antiquitate scripsit. Et Thomas Harfeldius, in breviario regum Anglorum: ubi Faganum et Duvianum (sive Deruvianum) Lucii regis temporibus in insula Avalloniæ "antiquam ecclesiam a discipulis Christi fabricatam reperisse dicit, cum antiquis scriptis, qualiter sanctis apostolis ad prædicandum dispersis, sanctus Philippus in Franciam veniens duodecim ex suis discipulis in Britanniam misit; quibus et Joseph ab Arimathia præfecit." Et extat sane adhuc magni nostri Patricii nomine, a Glastoniensibus monachis conficta epistola (charta ea est B. Patricii, a Malmesburiensi superius citata) in qua de origine ecclesiæ quæ Anglo-Saxonibus

^x Lepid. epist. ad D. Robertum Wingfeld, edit. Lovan. ann. 1517.

Ealdeirc, id est, vetusta ecclesia dicta est, ita ille disserens introducitur. “Ostenderunt mihi fratres scripta sanctorum Phagani et Deruviani: in quibus continebatur, quod duodecim discipuli sanctorum Philippi et Jacobi ipsam vetustam ecclesiam construxerant in honore prælibatæ advocatricis nostræ, B. Mariæ virginis, per doctrinamentum beati archangeli Gabrielis. Insuper et quod Dominus eandem ecclesiam cœlitus in honore suæ matris dedicaverat: et quod tres reges pagani ipsis duodecim, ad eorum sustentementum, duodecim portiones terræ dederunt.” Indequè Malmesburiensis: “Duodecim discipulis sanctorum Philippi et Jacobi anno Dominicæ Incarnationis LXIII. in Britanniam venientibus, tres reges licet pagani XII. portiones terræ contulerunt: unde adhuc nomen XII. hidarum perseverat.” Hæc ille in libro de antiquitate Glastoniensis ecclesiæ: ubi XII. harum hidarum metas cum locis præcipuis quæ intra earum limites continentur, diligenter describit. Earundem etiam in libro censuali Guilielmi I. Anglorum regis, qui Domesday^y appellatur, ejusmodi fit mentio. “Ecclesia Glastingebury habet in ipsa villa XII. hydas quæ nunquam geldaverunt.”

Dicitur autem hida tanta terræ portio, quanta ad familiam alendam sufficiat (unde quod Beda in ecclesiastica historia familiam vocat, Saxonicus illius interpres Hýðelande^y vertit) vel quanta unico per annum coli possit aratro; quemadmodum tum ex Dunstani charta anno DCCCCLXIII. data, in qua terræ partem concedit “septem aratorum^z, quod Anglice dicitur septem hidas:” tum ex Matthæo Parisiensi, Henrico Huntindoniensi, Johanne Londinensi, Thoma Walsinghamo, et aliis nostri observant antiquarii^a. Tres vero istos reges paganos, Arviragum, Marium et Coillum fuisse, ad marginem libri Malmesburiensis, qui MS. habetur in bibliotheca collegii

^y Domus Dei, in magno Glastoniensis monasterii registro, quod secretum Domini vocatur, fol. 249. b.

^z Ploughlands.

^a Guil. Lambard in *Ἀρχαιονομ.* Jo. Selden, in Polyolb. Cant. II. Et Not. in Hengham, pag. 127, 128. Et D. Hen. Spelman. in Glossario. verb. Hida.

S. Trinitatis Cantabrigiæ, annotatum invenio: quod ipsum etiam innuit Johannes Capgravius; quanquam parum hic sibi constans. In vita enim Patricii, Johannem Timmuthensem secutus et Hardingum in chronico^b, duodecim istas hidas ab Arvirago concessas fuisse scribit; in Josephi vero vita, a duobus illius successoribus, Mario Arviragi, et Coillo Marii filio. Quos tamen reges Johannes Hardingus paganos extitisse vix admittit. Arviragum enim a Josepho Arimathæensi^c ad fidem conversum et salutari baptismo ablutum fuisse narrat: Marium^d vero et Coillum religione Christiana aliquantum imbutos, licet ad eam quæ par erat perfectionem non pertigerint. Quomodo et Richardus^e Vitus Basinstochius, Arviragum “erga religionem Christianam bene affectum” fuisse ait: Cælum quoque, illius ex filio Mario nepotem, “instructum religione Christiana parumper dum viveret, non tamen ut id publice præ se ferret.”

Ex Juvenale vero constat^f Arviragum Domitiano impetrante regem Britannorum extitisse: quum sub Vespasiano anno LXXVI. Josephus noster obiisse dicatur^g.

Patricii discipulus Gildas Albanus, de victoria Aurelii Ambrosii librum scripsisse dicitur: quem de rebus a Josepho et sociis apud Glastonienses gestis authorem citat Foxus^h noster. Sed neque ille ejusmodi librum unquam vidit: neque Nicolao Sandero ulla fides adhibenda, Gildæ hic auctoritatem tam confidenter in libro primo de schismate ita venditanti; “Glasconia locus est in occidentali Angliæ parte, qui tam traditione perpetua, quam antiquissimorum scriptorum auctoritate, is esse creditur, quem Josephus ab Arimathia, qui Christum sepelivit, Judæorum persecutionibus Judæa ejectus, sub Nerone imperatore in Britanniam cum multis sociis delatus, ab Arvirago Britannorum rege obtinuit, in quo sacellum Deo cæli conderet; anno Christi quinquagesimo. Ita enim Gildas Britannus,

^b chron. cap. 47.

^d Harding. chron. cap. 50.

^f in cap. 15. infra, a nobis citando.

^h Jo. Fox. Act. et Monum. lib. 1, et 2.

^c Harding. chron. cap. 48.

^e Vit. histor. Britann. lib. 4.

^g infra, pag. 43.

scriptor Christianus, qui propter excellentem eruditionem sapiens cognominatur, ante mille fere et centum annos memoriæ prodidit; et omnes deinde Anglorum annales confirmant.”

Johannes Capgraviusⁱ, in vita Josephi, his alium etiam testem addit Melkinum, quem ante Merlinum fuisse ait. Ejus hæc produciuntur verba, quæ ex variis^k exemplaribus descripta hic exhibemus, licet quæ legantur prorsus indigna. “ Insula Avallonis avida funere paganorum præ cæteris in orbe ad sepulturam eorum omnium sperulis prophetiæ vaticinantibus decorata, et in futurum ornata, erit altissimum laudantibus. Abbadare^l potens in Saphat^m, paganorum nobilissimus, cum centum et quatuor millibus, dormitionem ibi accepit. Inter quos Josephi de Marmoreⁿ (ab Arimathia nomine) cepit somnum perpetuum. Et jacet in linea bifurcata juxta meridianum angulum oratorii cratibus præparatæ^o super potentem adorandam virginem, supradictis sperulatis locum habentibus^p tredecim. Habet enim secum Joseph in sarcophago duo vascula alba et argentea, cruore prophetæ Jesu et sudore perimpleta. Cum reperietur ejus sarcophagum integrum, illibatam, in futuris temporibus videbitur; et erit apertum toto orbi terrarum. Et tunc nec aqua nec ros cœli insulam nobilissimam habitantibus poterit deficere. Per multum tem-

ⁱ Et eo antiquior alius, ad marginem Matthæi Florilegi MS. in bibliotheca D. Jacobi Waræi, Melkinus (vel potius Mewynus) qui ante Merlinum fuit, inter cætera gesta de temporibus Britonum in libro suo hæc dicit; “ Joseph ab Arimathia nobilis decurio in insula Avaloniæ cum XI. sociis suis somnum cepit perpetuum: et jacet in meridiano angulo lineæ bifurcatæ oratorii adorandæ virginis. Habet enim secum duo vascula argentea alba cruore et sudore magni prophetæ Jesu perimpleta. Et per multum tempus ante diem Judicii ejus corpus integrum et illibatam reperietur; et erit apertum toti orbi terrarum. Tunc nec ros nec pluvia deficiet habitantibus insulam nobilissimam.

^k Nota monachi cujusdam Glastoniensis præfix. libro Guil. Malmes. de antiquit. Glaston. in MS. bibliotheca Collégii S. Trinitat. Cantabrig. Et subjecta chronico Glastoniensi in MS. bibliotheca Cottoniana. Tabula magna Glastoniensis, penes D. Gulielmum Howardum. Capgrav. in vita Josephi Arimath. &c. Johannes Glastoniens. monachus, &c.

^l al. *Albadan.*

^m al. *Masphati.*

ⁿ al. *Marmeria.*

^o al. *præparatis.*

^p al. *habitantibus.* Jo. Glast.

pus ante diem judicialem in Josaphat erant aperta hæc et viventibus declarata." Hunc Mevinum Britannum chronographum appellat Johannes Hardingus in chronico suo poemate⁹, pro quo Nenii nomen, capite octavo et quadragesimo irrepsit : ubi bellam istam ex eo recitat fabellam, quod Josephus Arvirago regi pro gentis Britannicæ insignibus crucem, quæ Georgiana postea dicta est, in clypeo argenteo depictam tradiderit.

Verum et otio meo et lectoris patientia abutar, si nugacissima commenta, quæ ex stramentitiis ejusmodi scriptis tum ab Hardingo et Capgravio, tum in magna Glastoniensium tabula de Josepho referuntur, commemorem. Illud minime prætereundum, quod in Europæanorum nostrorum synodis generalibus, quando de Britannici regni dignitate cum Gallis et Hispanis habita est controversia, ad hanc de Josepho traditionem provocare subinde soliti sunt Anglicanæ gentis oratores. Agitata est hæc quæstio anno MCCCCIX. in Pisano primum, deinde anno MCCCCXVII. in Constantiensi concilio : ex quo excerpta est "Nobilissima disceptatio super dignitate et magnitudine regnorum Britannici et Gallici, habita ab utriusque oratoribus et legatis in concilio Constantiensi," Lovanii anno MDXVII. typis excusa. Eam ex actis concilii in ipsa urbe Constantiensi asservatis edendam curavit D. Robertus Wingfeldius eques auratus, Henrici VIII. Anglorum regis ad Maximilianum imperatorem orator : quam etiam in duobus MSS.^r ejusdem concilii exemplaribus invenimus. Hic vero quum in tricesima sessione mota est hæc quæstio : "an juri et rationi consonum sit, æquiparare regnum Angliæ regno Franciæ, in concilio generali:" pro dignitate Ecclesiæ Anglicanæ, inter alia allegatum est, quod "Statim^s post passionem Christi Joseph ab Arimathia, nobilis decurio, qui Christum de

⁹ cap. 50, et 51.

^r Eorum alterum habetur in bibliotheca regia : alterum (quod Petri Bembi Cardinalis aliquando fuerat) in privata D. Henrici Wottonii V. Cl.

^s Eadem fere leguntur libello de provinciis Angliæ, MS. in bibliotheca Cœto-niana.

cruce deposuit, cum XII. sociis vineam Domini de mane colendam, Angliam videlicet ingressus est, et populos ad fidem convertit. Quibus rex XII. hidas terræ in diocesi Bathoniensi pro victu assignavit: qui in monasterio Glastoniensi Bathoniensis diocesis, ut scribitur, tumultantur. Super quibus XII. hidis prædictis dictum monasterium antiquitus dotatum dignoscitur. Sed regnum Franciæ tempore sancti Dionysii et ejus ministerio fideni Christi recepit."

Idem etiam in Senensi concilio anno MCCCCXXIV. a Richardo Flemmingo Lincolniensi episcopo et Lincolniensis collegii apud Oxonienses conditore, propositum est: quum adversus Hispanos, Scotos et Gallos coram Martino V. ab Anglis renovata esset hæc controversia. Sed in Basileensi præcipue concilio, anno MCCCCXXXIV. inter oratores regis Angliæ et Castellæ efferbuit hæc contentio: ubi quæ nostris hac in parte ab Alphonso Garsia de sancta Maria, legum doctore ac Compostellanæ et Segobiensis ecclesiarum decano, objecta sunt, ex schedis Cottonianis visum est proponere, et excutere. "Oratores regis Angliæ," ait ille, "tam in præsentia vestrarum reverendissimarum paternitatum, quam in sacra deputatione reformatorii, dixerunt præferendos se propter antiquiorem susceptionem fidei Christianæ. Nam dicunt, quod ille nobilis decurio Joseph ab Arimathia una cum aliis, anno XV. post assumptionem gloriosæ virginis Mariæ venit in Angliam, et magnam ejus partem ad fidem Christi convertit. Et post non longo tempore a passione Christi, Eleutherius papa regnum Angliæ totaliter convertit ad fidem."

Ad primum vero illud de Josepho respondet. I. "Per interemptionem. Nego enim (inquit) Joseph illum venisse in Angliam. Ille ergo qui dicit, probat: (juxta l. Ei qui ff. de proba.) Producat ergo in medium aliqua historia vel scriptura authentica. II. Per probabilitatem contrariam. Nam licet ei qui negat non incumbat probatio: (ut l. actor. C. de proba.) tamen interdum probatur negativa per judicium; quando habet comitantiam temporum. (ut l. optimam C. contrahentium et com. stipu.) In hoc ergo casu bene potest probari hæc negativa per

scripturam contrariam. Continetur enim in floribus sanctorum, sub legenda Jacobi minoris, contrarium. Hoc legitur quoque quod Titus intrans Hierusalem, quemdam murum densissimum vidit, ipsumque perforari jussit: et intus quendam senem repperunt, qui dixit se esse Joseph ab Arimathia, et se ibidem esse inclusum a Judæis quia Christum sepelisset, et quod usque ad tempus istud cœlesti cibo sit pastus. In evangelio tamen Nicodemi dicitur^t, quod Christus eum liberavit post resurrectionem suam, et in Arimathiam duxit. Potest autem dici quod eductus cum a prædicatione non cessaret, iterum sit ab ipsis Judæis inclusus. Hæc ubi supra. Cum ergo Joseph fuerit incarceratus tanto tempore apud Jerusalem, impossibile est eum fuisse in Anglia, cum sit magna distantia. III. Potest dici, quod licet hoc fuisset verum, (quod tamen non fuit) non sequitur ergo quod totum solum illud suscepit fidem. IV. Dicitur, dato illo quod negatur, adhuc tamen Hispani primo susceperunt fidem, quod probatur, quia Jacobus martyrium subiit vivente Petro. Scriptum est enim de Herode, quod occidit Jacobum gladio, et apposuit ut apprehenderet Petrum, Actuum capite duodecimo. Sed constat, quod Petrus passus est sub Nerone. Nero autem fuit prope annum Domini LIV. et Titus fuit prope annum Domini LXXX. Jam certum est quod si Joseph fuisset in Anglia, hoc fuisset postquam de carcere fuisset liberatus per Titum, et sic post octogesimum annum a nativitate Domini: et Jacobus mortuus est ante Nerone pluribus annis, quasi prope quadragesimum annum a nativitate Domini. Et Hispania suscepit fidem a Jacobo, vivente eo, vel statim in sepultura ejus; ut supra dixi. Ergo Hispania est in fide antiquior." Hæc ad patres Basileensis concilii Alphonsus Garsias: in quibus quædam sunt levia admodum, nonnulla etiam oppido ridicula.

Ad primam ejus responsionem quod attinet: historias et scripta antiqua Josephi ad Britannos legationem confirmantia, quanta potuimus diligentia superius collegimus,

^t Sive gestis Pilati apud Gregor. Turonens. histor. lib. 1. cap. 20.

atque in medium produximus. Quibus jam addimus oratorum et legatorum regis Angliæ, in hac ipsa synodo propositam assertionem. "Certum est in Anglia reperiri in libris antiquissimis et archivis, præcipue in archivis abbatiaë notabilis Glastonensis, diocesis Bathoniensis; quod Joseph ab Arimathia cum duodecim sociis, aut ex persecutione Herodiana, vel præsidum Romanorum in Judæa, ad Angliam vectus est. Ibidem, quæ de Christo viderat et audierat prædicavit, et prædicando plures convertit; convertendo, multa et infinita sibi, ab illis quos converterat ad fidem collata, conquæsivit; conquæsita postea templo Christo per eum erecto reliquit: (et hoc, tempore quo Petrus in Antiochia prædicavit fidem:) quod templum a Joseph erectum, in locum religiosum et abbatiæ dignitatem translatum est, et laus Christi per notabile monasterium præservatur ad præsens."

Probabilitatem contrariam, quam secundo loco urget, negamus omnino esse probabilem. Neque enim aliquem hodie, si Thomam Dempsterum exceperis, tam stulte credulum esse existimamus, cui absurdissimum illud commentum, de Josepho muro incluso, probabile videri possit: et de legendæ aureæ authore Jacobo de Voragine, ex^w cujus areolis fœtidi isti sanctorum flores sunt decerpti, in ipsa Hispania a Ludovico Vive^x et Melchione Cano^y jamdudum lata est sententia; ferrei oris eum virum fuisse, atque plumbei cordis.

Tertium illud, quod totum Britanniaë regnum Josephi ministerio fidem non susceperit; verum quidem est, sed ad rem non pertinet. Nam nec totum regnum Hispaniaë a Jacobo conversum fuisse ipsi Hispani dicent; nec integra regna ab ullo apostolorum Christiana facta esse constat: et de antiquitate, non de universalitate susceptionis fidei instituta est quæstio.

Quartum vero et postremum, partim incertis, partim

^w Apparatus ad histor. Scot. lib. 1. cap. 7. pag. 27. Vid. Melchionem Inchofer, de veritate epistolæ B. Mariæ ad Messanenses, cap. 13. pag. 71, 72.

^x Jacob. Januens. in legenda S. Jacobi minoris.

^y Vives, de causis corrupt. artium, lib. 2.

^z Can. de locis Theolog. lib. 11. cap. 6.

falsis nititur fundamentis. Jacobi prædicationem in Hispania, inter incerta posuit Rodericus Ximinius Toletanus archiepiscopus, in concertatione quam anno MCCXV. in Lateranensi concilio cum præsule Compostellano de primatu habuit. Ejus verba, a Garsia Loaisa e libro MS. bibliothecæ Toletanæ edita, hæc sunt. “ Si^r inducat (Compostellanus) primam divini verbi promulgationem, et plurimorum conversionem ad fidem Christi in Hispania (per Jacobum factam:) qui divinam paginam noverunt, testimonium perhibeant. Ego tantum legi, datam ei fuisse potestatem prædicandi in Hispania: sed interim, cum per Judæam et Samariam divinam legem seminaret, sub Herode Hierosolymis truncato capite exhalavit animam, et Domino reddidit. Quomodo ergo ibi prædicavit, quomondum ingressus est? aut sine prædicatione, quos, obsecro, convertit ad Dominum?” Nec ex parte altera certum est, quantumvis id ita esse affirmet Alphonsus, “ quod si Joseph fuisset in Anglia, hoc fuisset postquam de carcere liberatus fuisset per Titum, et sic post octuagesimum annum a nativitate Domini.” A Tito enim, anno æræ Christianæ (non octogesimo sed) septuagesimo eversam esse Hierosolymam certum est: quæ vero de Josepho Arimathæensi tunc per eum liberato pro certis assumuntur, nugæ sunt nugerrimæ.

Guilielmus^a quidem Eysengreineus ex annalibus Anglorum narrat eum “ post urbis Hierosolymæ destructionem apostolis adhæsisse; atque hoc pacto jam senem in Britanniam profectum, in urbe Wellia Christum prædicavisse.” Sed temporis illam circumstantiam in nullis Anglorum annalibus expressam reperit. Glastonienses, et Malmesburiensis monachus in secundo Eulogii sui libro, Josephi adventum ad annum Christi LXIII. referunt: quem ab assumptione beatæ virginis XV. fuisse tradunt. Oratores Angli, ut diximus, in Basileensi hoc concilio, templum a Josepho in Britannia erectum asserunt, “ tem-

^r Collect. Concil. Hispan. a Loaisa edit. pag. 291. et Concil. edit. Colon. an. 1618. tom. 2. part. 2. pag. 317, 318. Vide Baron. annal. tom. 9. an. 816. sec. 49, 50, 51, 52. et bibliothec. Floriacens. Joannis a Bosco, part. 2. pag. 184.

^a Eysengrein. cent. 1. part. 6. distinct. 6.

porc quo Petrus in Antiochia prædicavit fidem." et in Constantiensi, "statim post passionem Christi" eundem Britanniam ingressum esse, et populos ad fidem convertisse defendunt. Quod et cum ipsius Josephi ætate, qui Domino passionem adeunte inter Judæos senator^b honoratus fuerat, et cum iis quæ initio ex Gilda de tempore summo Tiberii Cæsaris produximus, bene quadrat. Johannes enim Hardingius indignus est, cujus hic ulla habeatur ratio: qui^c Josephum per ipsos quadraginta duos a Christi morte annos, non quidem in muro, sed in Caiphæ carcere detentum, sine omni cibo et potu vixisse; deinde a Vespasiano liberatum, et in Britanniam anno Christi LXXVI. perductum, ibique regi Arvirago et conjugii ipsius Genissæ (quæ Claudii imperatoris filia fuisse fingitur) commendatum fuisse fabulatur. Johannes Balæus, Ossoriensis aliquando apud Hibernos episcopus, eodem illo anno ex vita hac migrasse eum scribit. "In sancta senectute (inquit^d) Josephus inter discipulos tandem quietam morte carnis dormitionem accepit, in Avalonica solitudine sepultus, anno a Christi incarnatione LXXVI. Mario regnante in Britannia. Postea translatum est ejus corpus ad Glasconiense monachorum collegium, et in pretiosa theca repositum. Neque desunt (inquit ille) qui ex conjecturis habeant, contextuisse illum ad ecclesias Britannorum epistolas quasdam." Quam conjecturam ut verisimiliorem redderet Guilielmus Eysengreineus, ne a præsentate ad præsentate literæ scriptæ putarentur, "reliquisse insulam et, ut renovaret sui memoriam, scripsisse epistolam ad Britannos" illum fingit: Anglorum hic quoque citatis annalibus; in quibus tamen neque Britanniam eum reliquisse, neque ejusmodi aliquam epistolam scripsisse,

^b Mar. cap. 15. ver. 43. ἐπιστήμων βουλευτὸς quod a vulgato interprete, nobilis decurio, redditur, de quo videndus commentarius B. Hieronymi in Matth. cap. 27. et Ludovici de Dieu V. C. in Marc. cap. 15. Et H. Grotii, in Matth. cap. 27. ver. 57. Qui apud Plinium Secundum, lib. 10. epist. 113. Buleutes in Rescripto Trajani, epist. 114. decuriones appellantur.

^c Jo. Harding. chronic. cap. 47.

^d Bal. script. Britan. Centur. 1. cap. 22.

neque alibi quam Glastoniæ mortuum et sepultum fuisse, uspiam traditum invenimus^e.

Extat vetustus catalogus sanctorum in Anglia sepultorum Saxonice scriptus, ac Latine, a Goteelino Bertiniano monacho Cantuariensi, Anselmi archiepiscopi diebus editus: et de reliquis in Glastoniensi monasterio repositis libellus alter, Henrici III. Anglorum regis temporibus exaratus. In neutro vero Josephi ulla occurrit mentio. Anno demum MCCCXLV. a Johanne Blomæo Londinensi, cujusdam revelationis sibi factæ prætextu, ab Edwardo III. licentia quærendi corpus Josephi ab Arimathia impetrata est: quam, ex archivis regiis^f in arce Londonensi asservatis a me descriptam, lectori communicare non gravabor.

“ Rex omnibus ad quos, &c. salutem. Supplicavit nobis Johannes Blome de London, ut eum sibi (sicut asserit) divinitus sit injunctum, ut venerandum corpus decurionis nobilis Josephi ab Arimathia, quod infra septa monasterii Glastoniensis in Christo quiescit humatum, et est ad honorem et multorum ædificationem his temporibus revelandum, quærat donec inveniatur diligenter. Et quia in quibusdam antiquis scripturis dicitur contineri corpus ejus ibidem fuisse sepultum. Nos, si sit ita, desiderantes monumentum ejus, et venerandas ipsius reliquias, qui redemptori nostro morienti tantum exhibebat pietatis et humanitatis obsequium, corpus ejus de cruce deponendo, et illud in monumento suo novo ponendo, devotis honoribus prævenire; et sperantes nobis et toti regno nostro ex revelatione prædicta gratiam uberiores provenire: concessimus et licentiam dedimus (quantum in nobis est) eidem Johanni quod ipse infra præcinctum dicti monasterii fodere, et illas prætiosas reliquias juxta injunctionem et revelationem sibi factam quærere valeat in locis ubi melius viderit expedire: dum tamen absque damno dilectorum

^e Septonice enim sepultum fuisse (ea Dorsettensium Shaftesburia est) per errorem scriptum legitur in Jo. Cæli historię Cantabrig. lib. 1. pag. 23. nam Glasconie ibidem, pag. 31. legitur.

^f Patent. ann. 19. Edward. III. part. membran. 8.

nobis in Christo, abbatis et conventus dicti monasterii, et ruina ecclesiæ et domorum suarum ibidem id fieri valeat; et quod ad id ipsorum abbatis et conventus licentiam habeat et assensum. In cujus, &c. Teste Rege

PER IPSUM REGEM.

Apud Westmonaster.

VIII. die Junii.

Quem habuerit eventum ista inquisitio, non invenio: ab his tamen qui Glastoniense monasterium viderunt est proditum, et sacellum ibi Josephi nomini dicatum, et tumulum etiam positum fuisse, hoc inscriptum epitaphio.

Ad Britones veni, postquam Christum sepelivi;
 _____ docui, requievi.

Quibus adde, si libet, et Guilielmi Goodi Jesuitæ narrationem, qui Henrico VIII. regnante Glastoniæ natus et puer educatus est. “Glasconiæ^s extabant (inquit) laminæ æneæ sculptæ ad perpetuandam memoriam, sacella, crypta, cruces, arma, observatio festi S. Josephi ad VI. Calendas Augusti, quamdiu monachi regum chartis munitissime gaudebant: nunc omnia cum ruinis confusa perierunt. Nemo tamen monachorum unquam scivit certum locum sepulchri hujus sancti, vel designavit. Reconditum abditissime dixerunt, vel ibi, vel in monte, qui monti acuto vicinus, et cui nomen Hamden-hill: et futurum, ut quando reperietur corpus ejus, universus eo mundus confluat præ magnitudine et numero miraculorum quæ fient.”

“Et inter cætera memini me vidisse Glasconiæ in cruce lapidea, quæ sub regina Elizabetha subversa fuit, laminam æneam in qua scribebatur, Josephum ab Arimathæa trigesimo anno post passionem Christi venisse in Britanniam cum undecim vel duodecim sociis, permissumque ei

^s Edvard. Maihew congregat. Anglican. ordinis Benedict. Tabul. 2. pag. 1118, 1119.

ab Arvirago rege, Glasconiæ quæ tunc erat insula dicta Avalonia, habitare, tanquam solitarios viros et simplices: et quod attulerit secum duo vasa argentea non grandia, in^h quibus erat de sanguine et aqua sacratissima, quæ profluxerat de latere Christi mortui. Crux autem ista erecta est ante multos annos ad denotandam longitudinem sacelli ab eodem sancto Josepho ex vimineis cratibus constructi in honorem beatissimæ virginis; deducta scilicet linea recta a medio illius crucis ad latus sacelli postea lapidibus quadratis exædificati: sub qua item erat olim illud sacellum Sancti Josephi in crypta subterranea. Foris autem in muro hujus sacelli beatæ virginis erant in lapide sculpta vetustissimis literis hæc duo verba, *JESUS, MARIA*. Et confirmant antiqua arma Glasconiensis monasterii, quæ sunt hujusmodi: Scutum album in quo per longum erigitur stipes crucis viridis et nodosæ, et de latere ad latus extenduntur brachia seu rami crucis stipiti consimilia. Sparguntur guttæ sanguinis per omnem aream scuti. Utrunque ad latera stipitis, et sub alis crucis, ponitur ampulla inaurata. Et hæc semper denominabantur insignia Sancti Josephi: qui ibi habitasse pie credebatur, et fortasse sepultus esse."

Eundem cum sociis ibi fuisse sepultum, in magna Glas-toniensium tabula ita traditum invenio. "Ibi requiescunt XII. discipuli: quorum primas et custos fuit Joseph ab Arimathia, qui Dominum sepelivit. Multi ex paganis per eos ad fidem Christi conversi ac baptizati ibidem requiescunt, quorum, propter eorum multitudinem, non est numerus." De iisdem eulogii author, libro secundo: "Ibidem diu commorantes, multisque de dicto regno ad locum confluentibus per eosdem ad Christum conversis, tandem in pace quieverunt. Joseph vero ab Arimathia ibidem sepultus est juxta dictam Ecclesiam [B. Mariæ] cum duabus phialis plenis de sudore Christi sanguineo, quas secum de terra sancta detulerat." Quis vero inde usque ad Lucii regis tempora loci illius status fuerit, Guilielmus Malmes-

^h Vid. supr. pag. 31, et 37.

buriensis his verbis edocet. “ Sancti¹ igitur memorati in eadem eremo sic degentes, effluentibus multis annorum curriculis carnis ergastulo sunt educti: idemque locus cœpit esse ferarum latibulum, qui prius fuerat habitatio sanctorum.”

¹ Guil. Malmesbur. de antiquitat. Glaston. et eum secutus Johannes de Tinmouth, et Capgravius in vita Patricii.

CAP. III.

De Taurino, Eutropio, Timotheo, Novato, Praxede, Pudentiana, Marcello, et Lucio primo Bavarorum ac Rhætorum doctorc. De tempore quo Lucius in Britannia regnavisse dicitur, variantes authorum sententiæ, et in qua insulæ parte imperium ille obtinuerit.

SUNT qui Taurinum^a Eboracensem episcopum primis huius Christianismi temporibus martyrium pertulisse putent: Vincentii Bellovacensis eam in rem producto testimonio. Verum ex ipso Vincentio apparet, non Eboracensium in Britannia, sed Ebroicensium in Gallia, Taurinum fuisse episcopum: ut tabularum^b Ebroicensium, martyrologii^c Romani, Orderici^d Vitalis, Radulphi^e de Diceto, Antonini^f, et aliorum testimonia huc advocare necesse non sit. Quanquam etiam in Weneri^g Laerii Fasciculo Eboracensis ille episcopus appelletur; et in Hartmanni^h Schedelii chronico, inter eos qui sub Trajano floruerunt, non solum Thaurinus episcopus Eboracensis recenseatur, sed etiam Eutropius episcopus Cantu. Qui tamen non alius accipiendus videtur, quam ille Santonicae urbis in Gallia episcopus; cujus, præter alios, in primo libro de gloria martyrum, capite quinquagesimo et sexto Gregorius Turonensis meminit.

^a Guil. Harrison. in descrip. Britan. lib. 1. cap. 9. ex Vincent. Specul. historial. lib. 10. cap. 17. vel potius 76. Vid. Magdeburgens. centur. 2. cap. 10. col. 228.

^b Demochar. de Missa, lib. 2. cap. 21.

^c Martyrolog. di. 11. August.

^d Orderic. ecclesiastic. histor. lib. 5. pag. 553.

^e Dicet. Chronic. MS. ad ann. Dom. 90.

^f Antonin. histor. part. 1. titul. 6. cap. 28. sec. 4.

^g Wern. Fascic. tempor. ad ann. Christi 94.

^h Schedel. Chronic. in 6. ætate mundi, fol. 111. a. edit. Norimberg. ann. 1493.

Rhætis et Bavaris evangelium Lucius quidam primus annuntiasset dicitur : quem alii¹ Britannicum regem fuisse asserunt, alii negant ; alii Lucium Cyrenæum fuisse pronuntiant, cujus apud Lucam in Actis^k fit mentio. Eundemque ipsum Lucium Cyrenæum alii Simonis illius^l qui Christo crucem portavit, filium, alii, in quibus est Aventinus^m, Pauli commilitonem et cognatum (cujus ipse in epistola ad Romanosⁿ meminit) fuisse censent : alii etiam cum rege Britannico confundunt. “ Principes apostolici senatus Petrum et Paulum ex Roma unum misisse, qui Lucium regem Britanniae convertens, faceret regalem sacerdotem,” affirmat Sigismundus^o Meisterlinus Augustanus. Nec desunt, qui Lucium hunc Britannicum a Timotheo S. Pauli discipulo baptizatum fuisse tradant. Ita Petrus Equilinus : “ Lucius^p beatus confessor fuit rex Britanniae, baptizatus a Timotheo discipulo sancti Pauli. Qui regno composito et bene ordinato, relictis omnibus secularibus pompis, multisque ad Deum conversis ; veniens per Augustam in civitatem Curiae, multis ad vitæ perfectionem exemplo et doctrinis inductis, die III. Decembris in pace quievit : ut dicit frater Bartholemæus^q.” Et Johannes Nauclerus : “ Invenio^r,” inquit, “ in legenda sancti Timothei apostoli, quod venerit in Britanniam, et Lucium ejus gentis regem cum tota insula ad fidem Christi converterit. Et illud magis concordat legendæ sancti Lucii, quæ habetur in ecclesia Curiensi, ubi fuit episcopus et martyrio coronatus.” Henricus^s Pantaleon

¹ Vid. M. Velsorum, rer. August. Vindelic. lib. 6. ad ann. Dom. 179. Gasp. Bruschi de Germaniæ episcopat. cap. 3. Sebast. Munster. cosmograph. lib. 3. pag. 519. Achillem Gassarum, in Augustanæ urbis descript. ibid. pag. 603. Et Arnoldum Mermannium, in Theatro conversionis gentium. Λούκιος ἐπίσκοπος Βασιλικίας Σωρίας. Hippolyto in libello inedito de 70. discipulis.

^k Act. cap. 13. ver. 1.

^l Mark. cap. 15. ver. 21.

^m Jo. Aventin. annal. Boior. lib. 2.

ⁿ Rom. cap. 16. cap. 21.

^o Sigismund. chronic. Augustan. ecclesiastic. cap. 3. tom. 3. scriptor. rerum Germanic. a Pistorio edit. pag. 592. excus. Francofurt. ann. 1607.

^p Petr. de Natalib. lib. 1. cap. 24.

^q Bartholemæus Anglicus (ut videtur) in chronico de Sanctis.

^r Naucler. chronograph. volum. 2. generat. 6.

^s Pantal. de viris illustr. German. part. 1.

similiter ex ecclesiæ Curienſis annalibus: “ Quoniam apostoꝝ discipuli passim per terrarum orbem Christo Ecclesiam colligerent, factum est ut etiam Britannia a S. Pauli auditoribus ab idolorum cultu ad Christum converteretur. Itaque factum est ut S. Lucius Timothei discipulus, et ex regio Britannorum sanguine prognatus, sibi proposuerit plures homines in errore perseverantes Christo lucrificare. Propterea Rhenum ascendens ubique evangelium prædicavit, atque demum in Boioarian pervenit, &c.” Denique Dempsterus^t, die III. Decembris, quo Curia apud Rhætos illum quievisse supra est dictum, “ in Scotia baptismationem Lucii regis per Timotheum S. Pauli discipulum, cum Emerita sorore,” ex Constantini Felicis ephemeridibus factam esse notat.

Hic vero notandum est, præter Timotheum illum, ad quem a B. Paulo binæ scriptæ sunt epistolæ, alium etiam a scriptoribus commemorari ejusdem Pauli discipulum, qui ad Antonini Pii imperatoris, et Pii episcopi Romani tempora vitam produxisse dicitur. Qua ratione ejusdem fere cum Polycarpo fuisset ætatis, qui, testante Irenæo, “ ab apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt;” Roman tamen sub Aniceto Pii successore venit, et septimo^w demum anno Marci Aurelii Veri, successoris Antonini Pii, nobili martyrio vitam consummavit. De Timothei hujus exitu in epistola Pio^x I. Romano episcopo inscripta ita legimus: “ Presbyteri illi qui ab apostolis educati usque ad nos pervenerunt, cum quibus semel verbum fidei partiti sumus, a Domino vocati, in cubilibus æternis clausi tenentur, Sanctus Timotheus et Marcus per bonum certamen transierunt.” Utrumque sub Antonino imperatore martyrio coronatum esse, ex antiquis ecclesiasticis^y tabulis refert

^t Dempster. in Menolog. Scotic. Decemb. 3. et histor. ecclesiastic. Scotor. lib. 5. num. 482.

^u Irenæ. lib. 3. cap. 3. Euseb. lib. 3. cap. 30. (Græc. 35.) lib. 4. cap. 13. (Græc. 14.) et lib. 5. cap. 24. (Græc. 26.)

^w Euseb. lib. 4. histor. cap. 14. (Græc. 15.) et in chronico.

^x Pii epist. I. ad Justum Viennens. episc. in Orthodoxograph. et tom. 1. Concil. edit. Bini. ann. 1618. pag. 70.

^y Martyrolog. Roman. di. 24. Mart. Baron. annal. tom. 2. ann. 166. sec. 2.

Baronius: qui tamen non Antoninum Pium (intra cujus imperium omnes Pii episcopi annos comprehensos esse ex Eusebio intelligimus) sed Marcum Aurelium, qui vulgo Antoninus philosophus appellatur, hic intelligendum esse statuit; ut suas ipsius hypotheses, quibus primorum urbis Romæ episcoporum tempora mire turbavit, tueatur.

In vetere Romanæ Ecclesiæ martyrologio quod suo præmittendum curavit Ado, ad XII. Kalendas Julii, Romæ celebrari dicitur natalis “Novati, fratris Timothei presbyteri, qui ab apostolis eruditi sunt.” Idem etiam in suis martyrologiis habent Beda, Usuardus, Ado, et Notkerus, ad eundem diem. Addit Usuardus, “horum sorores fuisse beatam Potentianam et Praxedem, sacras virgines Christi.” Quod non in Jacobi^z Januensis solum legenda et Petri^a Equilini sanctorum catalogo, et Antonini^b chronico, sed etiam in vita Praxedis, quæ in collectione historiarum sanctorum Lovanii anno MCCCCLXXXV. edita habetur; in novo quoque martyrologio Romano traditum invenio: ut Raphaelem^c Volaterranum præteream qui Novato quidem eundem quem Praxedi et Potentianæ patrem Pudentem assignat, sed Pudentem cum tota domo sub Antonino imperatore a Pio pontifice primum Christianum factum esse asserit, licet Pudentem illum, cujus in posteriore epistola ad Timotheum facta est mentio, una cum Paulo sub Nerone capite truncatum fuisse, in fine synopsos suæ affirmet Dorotheus. Petri Equilini verba hæc sunt: “Novatus discipulus fuit illustrissimi generis urbis Romæ, Pudentis discipuli Pauli apostoli filius, et frater Timothei presbyteri: quorum sorores fuerunt sancta Potentiana et Praxedis.” Martyrologii Romani ista: “XII. Kalend. Julii, Romæ depositio sancti Novati, filii beati Pudentis senatoris, et fratris sancti Timothei presbyteri, et sanctarum Christi virginum Pudentianæ et Praxedis, qui ab apostolis eruditi sunt in fide.” Ubi Baronius in

^z Jacob. de Voragine, in legenda SS. Praxedis et Potentianæ.

^a Petr. de Natalib. lib. 5. cap. 130.

^b Antonin. chronic. tit. 6. cap. 28, sec. 6.

^c Volaterran. Anthropolog. lib. 18.

notationibus, ex horum actis a pastore presbytero scriptis apparere ait, Timotheum et Novatum “filios Pudentis senatoris, fratres vero prædictarum sanctarum virginum” extitisse. At neque ex illis quæ hinc excerpta vel martyrologio suo Ado^d vel annalibus suis inseruit ipse Baronius^e, neque ex antiquissimis pseudo-pastoris illius exemplaribus, quæ in Cottoniana bibliotheca videre contigit, quicquam ejusmodi colligere potui. In his quidem Pudentiana et Praxedes germanæ, Timotheus et Novatus germani appellantur: sed hos illarum fuisse germanos nusquam dicitur.

Baronius tamen^f quatuor hisce non unum solum patrem Pudentem, quod ab aliis quoque factum ostendimus, sed unam etiam matrem Priscillam, non alium, opinor, quam seipsum auctorem hic secutus, satis confidenter assignat. Verum tum in actis Potentianæ sive Pudentianæ manuscriptis, quæ a pastore etiam illo ad Timotheum scripta finguntur, tum in vita Pudentis apud Petrum^g Equilinum; Priscilla non uxor sed mater Pudentis, Sabinella mater Pudentianæ et Praxedis, uxor vero Pudentis statuitur. Quorum prius de Priscilla illud, in suis etiam manuscriptis Pudentianæ actis reperiri agnoscit ipse Baronius^h: posterius hoc de Sabinella, in martyrologiis etiam Bedæ, Adonis et Notkeri, ad XIV. Kalendas Junii, legitur. Quod si Timotheum et Novatum Pudentis filios fuisse admittamus: Claudia fortasse Britanna, ex qua liberos aliquot Pudentem suscepisse Martialis auctor est, mater illis assignanda videretur, potius quam Priscilla. (Sabinellæ enim filios fuisse nemo dicit) atque ita minus esset mirandum, quod convertendi Britannos curam Timotheus hic in se susciperet, si ipse Britannica satus fuisset origine. Lucii certe regis conversio ultra Pii episcopi Romani tempora, quibus Timotheum vixisse ostendimus, protendi non po-

^d Ado in Martyrolog. 12. Kalend. Julii.

^e Baron. ann. 162. sec. 2.

^f Id. ann. 159. sec. 8. et 166. sec. 2.

^g Petr. de Natalibus, catalog. Sanctor. lib. 5. cap. 14.

^h Baron. Martyrolog. Roman. Januar. 16. Jacobus Januensis, in legenda aurea, cap. 91. de SS. Praxede et Potentiana. “In pace quieverunt circa annos Domini CLXV. sub Marco Antonino.”

test: si verum sit quod in Britannica¹ historia est traditum, eum “ ab hac migravisse vita anno ab incarnatione Domini centesimo quinquagesimo sexto.” Id enim post Galfridum Monemuthensem affirmant Johannes Castorius, Thomas Harfeldius, Ponticus^k Virunnius, authores annalium Wigorniensium, Halensium, et aliorum anonyorum complurium.

Sed non est dissimulandum, de tempore conversionis Lucii miram reperiri inter scriptores discordiam. “ Centum ferme annis a partu virginis,” eam contigisse pronuntiat Paulus Jovius in descriptione Britanniae. Albertus^l Crantzius sub “ Alexandro primo ejus nominis summo pontifice” factam esse notat: Ninius, sub antecessore illius Euaristo. “ Anno,” inquit, “ Dominicae incarnationis centesimo sexagesimo quarto Lucius Britannicus rex cum universis regulis totius Britanniae baptismum susceperunt; missa legatione ab imperatoribus Romanorum, et a papa Romano Euaristo.” Vel ut habetur in duobus bibliothecae Cottonianae exemplaribus antiquissimis, quae nullum tamen auctoris nomen praeferunt: “ Post centum et sexaginta septem annos post adventum Christi, Lucius Britannicus rex cum omnibus regulis totius Britannicae gentis baptismum suscepit; missa legatione ab imperatore Romanorum, et a papa Romano Euaristo.” Quae temporibus pessime divisa esse, nemo non videt. Euaristum enim undecimo Trajani anno, qui fuit aerae Christianae centesimo et octavo Gallo et Bradua consulibus vivere desiisse, ex Eusebio et libro pontificali constat: anno vero centesimo sexagesimo quarto et centesimo sexagesimo septimo duo fratres Marcus et Lucius Aurelius simul Romanum imperium administrarunt; sed episcopatum nondum adeptus est Eleutherius, sive (ut in vetustis codicibus rectius appellatur) Eleutherus, sub quo Lucium primum Christo

¹ Galfrid. Monemuthens. de gestis Briton. lib. 2. cap. 2.

^k Initio lib. 5. in prima editione, quae prodit Augustae Vindelic. anno 1534. nam in posterioribus editionibus pro anno 156. male repositus habetur 158.

^l Crantz. Metropol. lib. 1. cap. 6.

nomen dedisse, tum apud omnes communiter auctores, tum in uno etiam ipsius Nini exemplari scriptum invenio. Venerabilis Beda libro primo historiae Anglorum, capite quarto ita rem explicat: "Anno ab incarnatione Domini centesimo quinquagesimo sexto, Marcus Antoninus Verus, quartus decimus ab Augusto, regnum cum Aurelio Commodo fratre suscepit. Quorum temporibus cum Eleuther vir sanctus pontificatui Romanæ Ecclesiæ præesset, misit ad eum Lucius Britannorum rex epistolam, obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur. Et mox effectum piæ postulationis consecutus est. Susceptamque fidem Britanni usque in tempora Diocletiani principis inviolatam integramque quietam in pace servabant." Et in epitome ejusdem historiae: "Anno Dominicæ incarnationis centesimo sexagesimo septimo, Eleuther Romæ præsul factus, quindecim annis Ecclesiam gloriosissime rexit: cui literas rex Britanniaë Lucius mittens, ut Christianus efficeretur petiit et impetravit."

Ex quibus duobus locis inter se collatis observo, I. Bedam, suas quasdam rationes secutum, exordium imperii Marci et Lucii Aurelii (quod in annum nativitatis Dominicæ, juxta vulgarem nostram supputationem, CLXI. incidit) ab anno Dominicæ incarnationis CLVI. repetere: et quidem a fine illius, ut videtur. Quandoquidem ipsi circa Nonas Martii imperare inceperunt; anni vero incarnationis in IX. Kalend. April. terminantur. II. Lucio Aurelio tribuere illum (cum Julio Capitolino, Aurelio Victore, et Eutropio) annos imperii XI. non IX. ut ab aliis factum. III. Ad XI. illorum annorum extremum, Eleutheriani episcopatus exordium ab eo referri: ut anni CLVI. ex CLXV. subducti calculus manifestum facit. Et quidem juxta libri pontificalis rationes initium Eleutheri ab XI. Marci anno fuisse deducendum quo consules fuerunt Severus et Herennianus: (erat is vulgaris nostræ æræ annus CLXXI. juxta Bedæ vero hypothesin CLXVII.) licet juxta Eusebianam chronologiam, quam nos ut veriores sequimur, a XVI. ejusdem anno deduci debuisset, ab anno videlicet Christi CLXXVII. sive æræ vulgatæ Dionysianæ CLXXVI. quo consulatum gesserunt Pollio

et Aper. IV. Cum Marci et Lucii Aurelii temporibus Lucium Britannorum regem epistolam misisse Beda significet; et ipsius Eleutheri initium (ut jam ostensum est) in conjuncti duorum fratrum imperii postremo anno collocet: ex illius sententia, Lucii legationem ad primum Eleutheri annum necessario esse referendam. Id quod in Latino-Saxonicis annalibus, quos a V. Cl. Guilielmo Camdeno acceptos in instructissima sua bibliotheca reposuit D. Robertus Cottonus, ita clarius expressum invenio. “Anno CLXVII. Eleutherus suscepit papatum, et tenuit XV. annos, et hoc ipso anno misit Lucius Britwalanorum rex [on dýran ýlcan zeape řende luciur rex bñitpalana cing 7 bæd řulpihřep. 7 he him řona řende.] Similiter et recentiores, Platina in vita Eleutheri, et Nauclerus in *chronographia*^m, “Inito pontificatu, statim epistolam accepit a Lucio rege Britanno, qua rogabatur, ut se suos in Christianorum numerum reciperet.” Jacobus Philippus Bergomensis, in supplemento chronicorum, libro octavo. “Hic in principio sui pontificatus a Lucio Britannico rege epistolam accepit, qua rogabatur, ut se suosque omnes baptizare dignaretur.” Ant. Sabellicusⁿ, et Hector Boethius^o, “Cum hoc nuper dignitatem adeptus, Lucius Britanniae rex per literas egit, ut se et suos vellet Christianorum numero addicere.”

Marianus Scotus, et ejus sectator Florentius Wigorniensis, ut ut in applicatione annorum Domini ad annos imperatorum a Beda, Eusebio et aliis omnibus discedat, initium tamen Eleutheri cum Eusebio in chronico ad XVI. Marci (XV. habent vulgati codices, contra fidem MSS. Mariani exemplarium :) legationem Lucii cum Beda ad initium Eleutheri, et horum utrumque ad consulatum Pollionis et Apri non male retulit. Nec temporis, quo fides Christiana a Lucio primum est suscepta, certior aliqua circumscriptione inveniri potest inter tam multas tamque discrepantes hac de re scriptorum sententias: quarum

^m Volum. 2. generat. 6.

ⁿ Enneadis 7. lib. 5.

^o Scotor. histor. lib. 5.

viginti quinque visum est subijcere. Assignant enim hic annum Christi

CXXXVII. Burtoncensium annalium interpolator.

CL. Annales monasterii de Crokysdene, et Bartholomæus de Cotton, in tractatu de archiepiscopis et episcopis Angliæ.

CLV. Galfridus Malmesburiensis, et Johannes Gerbrandus Leydensis, in chronic. Bel. lib. 2. cap. 1.

CLVI. Gotcelinus Bertinianus monachus, in majore historia vitæ Augustini, capite tricesimo secundo. Guido de Columna, a Fabiano citatus, author libri de primo statu Landavensis Ecclesiæ : cumque secutus Johannes Tinmuthensis et Johannes Capgravius in vita Dubricii. Thomas Rudburnus senior in chronico minore. Thomas Stubs in libro de Eboracensibus archiepiscopis. Chronicon vetus^p, vocatum Brutus, &c. Guil. Caxton in chronic. Anglic^q.

CLVII. Rogerus de Wendover, et Matthæus Westmonasteriensis MS. (nam impressus habet CLVIII.)

CLXII. Marianus Scotus, Florentius Wigorniensis, et Johannes de Taxster in suis chronicis. Item Robertus Glocestrensis in historico poemate de regibus Angliæ : author historiæ Eboracensium archiepiscoporum, qui circa annum MCCCCLX. floruit ; et Richardus Lepidus Bartholinus, in epistola ad D. Robertum Wingfeld.

CLXIV. Antiquitatum Wintoniensis ecclesiæ collector ; et ante eum Ninus in cujus apographo, ad Dunelmensium monachorum bibliothecam quondam spectante, hujusmodi etiam habetur veteris librarii annotatio : "Ex quo Brittones primum fidem Christi, tradente papa Euaristo, regnante rege Lucio susceperunt ; Hoc anno gratiæ MCLXVI. duo supra mille anni transacti sunt." Nam in eo codice, et duobus aliis quæ consului Nini exemplaribus, "Post CLXIV. annos post adventum Christi Lucius" baptismum suscepisse legitur : licet in alio CXLIV. et duobus anonymis Cottonianis CLXVII. annos exaratos invenerim.

CLXV. Thomas Rudburnus junior, in majore historia.

CLXVI. Guilielmus Malmesburiensis, in libro de antiquitate Glastoniensis ecclesiæ : necnon Johannes Tinmuthensis et Jo. Capgravius, in vita Patricii, ex libris Glastoniensis monasterii. Item author annalium tempore regis Stephani (ut videtur) scriptorum, et annalium S. Augustini Cantuarensis.

CLXVII. Beda, et veteres annales Saxonici, eum secuti. Item monachus cœnobii Augustini Cantuar. qui scripsit anno MCCCXVI. et annalium Roffensis ecclesiæ author, qui circa annum MCCXXIV. claruit.

CLXIX. Henricus de Erphordia, et legum S. Edvardi interpolator.

CLXXV. Annales Lichfeldenses.

CLXXVII. Dodechinus, vel quicumque vulgatum Mariani Scoti chronicon edidit.

Hermannus Contractus, in chronico ab H. Canisio edito (si prima pars illius sit.) Annales monachi de Waverly, &c. Chronicon Wintoniense, ad annum MCCLXXVII. productum. Et Guilielmus Harrison descript. Britannie libro primo, capite nono.

^p Chronic. de Pipwell.

^q Vid. Naucler. volum. 1. generat. 6. fol. 25. et generat. 30.

- CLXXVIII. Radulphus de Baldoc, Londinensis episcopus in chronico.
- CLXXIX. Jo. Balæus (centuria prima scriptorum Britannorum capite vicesimo nono.) ex verioribus, ut ille ait, annalibus.
- CLXXXI. Vulgatum Hermanni Contracti chronicon, a Sangallensi monacho editum.
- CLXXXII. Jo. Trithemius, in compend. libro primo annalium. Polydorus Vergilius, libro secundo Anglicanæ historiæ. Georgius Lilius, in Anglorum regum chronico. Guil. Paradinus in Anglicæ descriptionis compendio, capite vicesimo secundo. Stephanus Forcatulus, de Gallorum imperio et philosophia libro septimo et Alphonsus Ciaconius in vitis pontificum.
- CLXXXIII. Rogerus de Wendover; in illius anni historia. Cæsar Baronius, ad annum eundem.
- CLXXXIV. Chronica Britonum abbreviata, et Johannes Fletus, in libro de fundatione ecclesiæ Westmonasteriensis ex vetustissimo chronicarum libro veteri Anglorum sive Saxonum lingua conscripto. Thobias Roffensis, et Malmesburiensis monachus in quarto Eulogii historiarum libro.
- CLXXXV. Matthæus Parisiensis in historia majore. Matthæus Westmonasteriensis, in floribus historiarum. Historia Roffensis. Chronicon de Kir-stall. &c. Chronicon a Bruto ad Edvardum III. deductum.
- CLXXXVII. Hector Boethius, historiæ Scotorum libro quinto et Lanquetus.
- CLXXXVIII. Petrus Pictaviensis, a Rob. Fabiano citatus, annales de Lacock: et monasterii Abendonensis; quibus astipulatur et Martinus Polonus.
- CLXXXIX. Annales Saxonici, ad annum MI. producti:
- CXC. Johannes Hardingus, in chronico capite quinquagesimo primo: item author annalium MSS. ad annum MCCCLXIV. perductorum, et Johannes de Garlandia, in poemate de triumphis Ecclesiæ, libro quarto.
- CXCIX. Monachus Malmesburiensis anonymus, libro secundo Eulogii.

Quanquam vero in annis æræ Dominicæ ad præsentem historiam applicandis tanta sit inter authores istos discrepantia: in eo tamen maximam eorum partem convenire animadverto, quod ad eundem annum et ingressum Eleutheri, et missam ad eum a Lucio legationem cum Beda et Mariano Scoto referant. Constat autem Elcutherum anno æræ Christianæ vel CLXXI. juxta librum pontificalem vel CLXXVI. juxta Eusebium (cujus major est autoritas) pontificatum iniisse. Utrumvis vero sequaris, a Cæsaris Baronii et aliorum inter quos Camdenus^r, sententia discedendum erit, qui post mortem Marci Aurelii Antonini, sub successore ipsius Commodo Lucii conversionem factam esse statuunt. Id quidem primus, quod sciam, tradidit Rogerus de Wendover in chronico, circa annum MCCXXXV. a se edito: sed antiquiores, quibus potior

^r Britann. pag. 47.

habenda est fides, Beda, Ado Viennensis, (perperam, ut alterius sententiæ patronus, a Baronio citatus), Annales Anglo-Saxonici, et qui Aberto Menevensi tribuuntur, Hermannus^s Contractus, Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacensis (in chronici præmio), Gotcelinus Bertinianus, Florentius Wigorniensis, Henricus Huntingtoniensis, Radulphus de Diceto, Radulphus Niger, et alii ad Marci tempora retulerunt.

Et hæc quidem sunt quæ de temporis ratione, tantopere controversa, dicenda habuimus. De ipso rege, et ejus regno jam aliquid attextendum. Appellatus est ille Britannica quidem lingua Lles, Latina verò Lucius: sive a Romanis, sub quibus vixit, prænomen illud primum traxerit; sive ab eventu cognomen hoc illi postea fuerit inditum. Apud Britannos enim "Lucium agnomine Leuer maur, id est, magni splendoris, propter fidem quæ in ejus tempore venit" vocatum esse, in additionibus ad Ninium author est Samuel Beulani filius. Quo etiam referendi sunt illi Gildæ nescio cui poetæ Britannico adscripti versiculi:

Inde patri Coyle succedit Lucius, orto
Lucifero prælucidior: nam lucet in ejus
Tempore vera fides, errorum nube fugata.

et illud Alexandri Necchami, in libro de laudibus divinæ sapientiæ, distichon:

Prima Britannorum fidei lux Lucius esse
Fertur, qui rexit mœnia Brute tua.

Nec hoc prætereundum, repertos esse in Anglia duos antiquissimos nummos, (argenteum unum quem habuit M. Josephus Hollandus, aureum alterum quem inter D. Roberti Cottoni *κειμήλια* vidimus:) Christiani regis, uti ex signo crucis appposito colligitur, imagine, et literis obscurioribus, quæ I.VC denotare videbantur, insignitos.

In Britannia vero regnasse Lucium, omnes consentiunt: indeque "Britanniam omnium provinciarum primam publicitus Christi nomen recepisse," notant Sabellicus^t, Po-

^s Si is prioris partis chronici author sit.

^t Sabellic. Ennead. 7. lib. 5.

lydorus Vergilius^u, Georgius Lilius^w, et Reginaldus Polus^x cardinalis. Quod etiam a nostris anno MCCCCXXXIV. in concilio Basileensi, legatis regis Castellæ ita objectum invenio: “Ante quemcunque regem Castellanorum multi reges Angliæ sive Britanniae baptizati sunt, sacrosanctam recognoscentes Ecclesiam. Unde quasi in primis cunabulis fidei, Lucius rex Britannorum audita sola fidei fama, non vocatus, non alicujus prædicatione inductus, misit suas epistolas ad papam.” Frivolum vero est, quod contra opponit Alphonsus Garsias regis Castellani orator, “hoc posse intelligi de alia Britannia quæ est citra mare:” et ratio quam affert, adhuc futillior: “Nam ut habetur in Catholicon^y,” inquit, “quando dicimus Britanniam sine alia adjectione, intelligitur de Britannia citramarinam, ubi forte tunc erant reges.” Si enim per Britanniam citramarinam, Armoricam intelligat, quæ Francis Britannia cismarina appellatur: ea certe Lucii temporibus Britannia dicta non fuit. Nam diu postea Julius Scaligerus

Vicit Aremoricas animosa Britannia gentes,
Et dedit imposito nomina prisca jugo.

Et post acceptum ab Armoricis illud nomen, si quis Bedam et alios gentis nostræ historicos legens, quotiescunque Britanniam sine alia adjectione nominatam invenerit, Britanniam Armoricanam intelligendam existimet: næ ille dignus sit qui ad Anticyras relegetur. Mitto quæ de sedibus episcopalibus et archiepiscopalibus in majore Britannia a Lucio constitutis, nostri produnt annales: alia enim gravior de Lucii regno adhuc movetur quæstio; totamne insulam, an partem ejus aliquam illud comprehenderit.

^u Polyd. Angl. hist. lib. 2.

^w Lil. Epitom. chronic. Britan.

^x “Nam ut historiæ testantur, erat prima provinciarum quæ amplexa est fidem Christi.” Polus in oratione ad R. Philippum et Mariam, in comitiis Anglicanis, ann. 1555.

^y Johannes de Janua in Catholic. voc. Brito. “Nota quod Britanni quandoque dicuntur Anglici, sed cum adjuncto, ut flavi Britanni, et raro sine adjuncto. Et quandoque dicitur quædam insula ultra Britanniam: Et prope illi Britanni, qui eandem inhabitant. Sed qui nobis sunt contigui proprie sunt Britones.”

Totam illi assignant nostrorum plurimi: insulas quoque omnes ad Norwegiam et Daciam usque adjicere videtur legum Edvardi confessoris interpolator^z; de limitibus regni Britannici ita disserens. “Universa terra et tota, et insulae omnes usque Norwegiam et usque Daciam, pertinent ad coronam regni ejus, et sunt de appendiciis et dignitate regis: et una est monarchia, et unum est regnum; et vocabatur quondam regnum Britanniae, modo autem vocatur regnum Anglorum. Tales enim metas et fines, ut praedictae sunt, constituit et imposuit coronae regni hujus dominus Eleutherius papa sententia sua, anno scilicet sexagesimo^a septimo post passionem Christi; qui primo destinavit coronam benedictam Britanniae et Christianitatem Deo inspirante Lucio regi Britonum.” Petrus Cratepolius in Trevirensium archiepiscoporum catalogo, “ejus opera Britanniam magna ex parte fidem Christi profiteri cepisse;” et in libello de sanctis Germaniae; “ejus studio totam Angliam ad Christi fidem appulsam esse” scribit. Reginaldus Polus^b cardinalis in oratione ad regem Philippum et Mariam, Westmonasterii in regni comitiis habita, “receptam tum publice Christi fidem per totam insulam” fuisse dixit. Britannos enim, “non ut caeteras gentes, quae sensim et diuturni temporis interposita mora fidem hauserunt, neque ut in horologiis usu venire solet, quae temporibus paulatim succedentibus horarum suarum accipiunt incrementa; sed uno eodemque pene momento omnes simul religionem Christianam amplexatos esse.”

Ego vero in reverendi patris Francisci Godwini episcopi Herefordensis sententiam libens concedo; “Lucium^c universae Britanniae regem nunquam fuisse, imo nec potioris alicujus partis ejusdem, quam tam multis ante id tempus annis Romani subegerant, et in provinciae formam redegerant.” Veteres enim Britannos non uni alicui monarchae,

^z Guil. Lambard. *Ἀρχαιονομία* fol. 130. b. collat. cum MS. Cottoniano.

^a CLXVII.

^b Ex literis Johannis Elderi ad Robertum Stuartum Cathensiae episcopum anno 1555. scriptis; et Matth. Parkero, in vita Poli.

^c Fr. Godwin. de convers. Britan. ad Christ, cap. 3. pag. 27.

sed pluribus regibus paruisse, ex Cæsare^d, Diodoro^e, Strabone^f, Mela^g, Suetonio^h, Tacitoⁱ, Dione^k, ipsoque Gilda^l manifestum est: et meliorem^m partem insulæ jamdudum in provinciam a Romanis redactam, ac non ita pridem sub Antonino Pioⁿ a cæteris indomitis gentibus interjecto vallo diremptam esse, norunt vel mediocriter in hisce studiis versati.

Ultra vallum illud erat ea Britanniae pars quæ Caledonia appellabatur, maximam hodiernæ Scotiæ partem complexa: in qua sub Victore I. Eleutheri successore, et Severo imperatore primum receptam esse fidem Christianam, Scotorum tradunt historici. Quanquam author annalium lingua Anglo-Saxonica ante sexcentos annos scriptorum, hanc ipsam Eleutheri et Lucii historiam ad Severi tempora referat, quem anno Domini CLXXXIX. imperium adeptum esse, cum Beda^o affirmat. Nec desunt, qui^p in hac insulæ parte quam Britanni libere possederunt Lucium regnasse existiment; et Tertullianum^q hic testem advocent sub Severi imperio scribentem, “Britannorum inaccessa Romanis loca Christo subdita.”

In citeriore tamen insulæ parte a Lucio Christianam fidem propagatam fuisse, communis scriptorum nostrorum est sententia: pro qua etiam facit, quod de Cambro-Britannis refert Gotcelinus Bertinianus monachus; eos Augustino Romano legato sese opposuisse, illi “velut^r in acie non

^d Cæsar. de bello Gallic. lib. 5.

^e Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 8.

^f Strabo Geograph. lib. 4.

^g Mela, de situ orbis, lib. 3. cap. 6.

^h Sueton. in Claudio, cap. 21.

ⁱ Tacit. annal. lib. 12. et 14. et in vita Agricolaë.

^k Dio Cass. lib. 60.

^l Gildas, epist. de excid. Britann.

^m Appianus in proœmio histor. τῆς Βρεττανίδος νήσου τὸ κράτιστον ἔχουσαν ὑπὲρ ἡμῶν, οὐδὲν τῆς ἀλλης ἐιόμενοι. Οὐ γὰρ εὐφορος αὐτοῖς ἐστὶ οὐδ' ἦν ἔχουσι.

ⁿ Julius Capitolinus, in Antonino Pio. “Britannos per Lollium Urbicum legatum vicit, alio (præter illum sc. quem prius extruxerat Hadrianus) muro cespitio submotis barbaris ducto.”

^o Beda, lib. 1. hist. cap. 5.

^p Vid. Baron. annal. tom. 2. ann. 183. sec. 6. Et Nicol. Sander. de visib. monarch. lib.

^q Tertullian. in lib. adversus Judæos, cap. 7.

^r Gotcelinus in histor. minore vitæ Augustini. cap. 24.

solum repugnantes, verumetiam suos usus omnibus præ eminentiores, sancti papæ Eleutherii auctoritate pronuntiantes." Allegantes insuper "suas^a ceremonias non solum a sancto Eleutherio papa primo institutore suo ab ipsa pene infantia Ecclesiæ dicatas, verum a sanctis patribus suis Dei amicis et apostolorum sequacibus hactenus observatas; quas non deberent mutare propter novos dogmatistas." Ita Galfridus Monemuthensis, de eadem Augustini legatione verba faciens, "In^t parte Britonum adhuc vigeat Christianitas; quæ a tempore Eleutherii papæ habita, nunquam inter eos defecerat." Similiter scribit Rogerus de Wendover, ejusque sequaces Matthæus Parisiensis, Matthæus Westmonasteriensis, et Roffensis historiæ author; ad annum gratiæ DLXXXVI. Giraldus^u denique Cambrensiu suorum laudabilia describens; "Olim," inquit, "longeque ante excidium Britannicum (quia per annos circiter ducentos) per Faganum et Damianum ad petitionem Lucii regis ab Eleutherio papa in insulam transmissos, in fide fundati sunt et solidati."

Neque est quod miremur, illis temporibus in Romana provincia regi Britannico locum esse potuisse. Nam præterquam quod imperante Marco arma in Romanos sumpserint Britanni, adversus quos Calphurnium Agricolam missum esse author est Julius Capitolinus^w: tenendum est, Romanos ut Judæis et aliis provincialibus compluribus, ita et Britannis reges suos concessisse. Indeque apud Tacitum legimus, "Regem^x Icenorum Prasutagum, longe opulentia clarum," Neronem hæredem scripsisse; "tali obsequio ratum, regnum et domum suam procul injuria fore:" et Cogiduno regi postea civitates aliquot in Britannia donatas, "vetere^y ac jampridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta

^a Gotcelinus in historia majore cap. 32.

^t Hist. Britann. lib. 8. cap. 4.

^u Girald. descript. Cambriæ, lib. 1. cap. ult.

^w Capitolin. in Marco.

^x Tacit. annal. lib. 14. cap. 31.

^y Tacit. in vita Agricolæ, cap. 14. De Musonii Philosophi tempore, Jo. Stobæus. (serm. de regno.) ἦσαν ἔτι τότε ἐν Συρίᾳ Βασιλεῖς Ῥωμαίων ὑπήκοοι.

servitutis et reges." Atque ut hoc ipso tempore de quo agimus, Lucium Verum imperatorem in oriente confecto bello Parthico, "regna regibus, provincias vero comitibus suis regendas dedisse," docet Capitolinus^z: ita hic "Lucium Pium, Coilli filium unicum, Romanorum fautorem, Cæsaris Marci Antonini Veri tum benevolentia, tum auctoritate, Britannis post patrem imperasse;" non male scripsit Balæus^a noster. Addit idem^b, postea "Britannis ademptam fuisse publico et perpetuo Romanorum decreto dignitatem regiam:" quod etiam a Scotorum chronographis proditum invenio; a Johanne Fordono quidem obscurius, ab Hectore vero Boethio, quem secutus videtur Balæus, multo expressius. Fordoni verba hæc sunt: "Defuncto^c, vel, ut alibi, non comparente Britonum rege Lucio, post quem eorum regia stirps in Britannia regnare desiit, tribuni pro regibus constituuntur ibidem a Romanis:" Boethii ista, libro quinto historiæ suæ: "Post Lucium Britonum regem extinctum, cujus paulo ante mentionem feci, (dixerat autem antea, illum Britonibus Cæsaris benevolentia et auctoritate imperitasse, et Romanorum fautorem extitisse:) Romani gnari Britannos reges, multarum in populo seditionum, et rebellionum in se fuisse autores; ut res Romana in Britannia foret quietior, publico vetuere decreto, ne quispiam Britannici sanguinis deinceps regia insigniretur dignitate." Galfridus Mone-nuthensis, et ejus sequaces, id tantum referunt: Coillum^d, Marii regis filium, Arviragi nepotem, ab infantia Romæ nutritum, moresque Romanorum edoctum, tributum quod ab eis exigebatur solventem in pace regnum suum obtinuisse; filium ejus Lucium, ut alterum Coillum habitum, omnes bonitatis paternæ actus imitatum esse, eoque demum sine^e sobole quæ sibi succederet defuncto Britannos a Romana potestate descivisse.

^z Capitolin. in Vero.

^a Bal. Centur. 1 Script. Britan. cap. 29.

^b Bal. Centur. 1. script. Britan. cap. 30.

^c Fordon. lib. 2. Scotichronici, cap. 31.

^d Histor. Britannic. lib. 4. cap. 18. et 19. edit. Heidelberg.

^e Histor. Britan. lib. 5. cap. 1, 2.

CAP. IV.

De literis, quæ a rege Lucio, per legatos Eluanum et Medwinum, ad Eleutherum Romanum episcopum missæ fuisse dicuntur. De doctoribus Cantabrigiensibus, nec non Timotheo, Fagano, Derwiano et Aarone, qui fidem tum Britannis feruntur prædicavisse.

DE Lucii regno satis jam dictum : quibus authoribus et quibus rationibus adductus, Christo nomen dederit, jam porro disquiramus. Et ex Ninio quidem audivimus, baptismum eum suscepisse, “missa legatione ab imperatoribus Romanorum et a papa Romano.” Fabius Questor Ethelwerdus, libro primo annalium, ea de re ita scribit. “Idem beatissimus Christi famulus Eleuther per nuntium et literas Lucium adiit insulæ regem, ammonens eum de fide et baptismo Catholico, qui tum Britannæ rex potestate pollebat : qui etiam concessit verisimili ratione Christianum se esse futurum ; quod et perfecit.” Ubi a Romano episcopo consilium hoc primo profectum fuisse inuitur : cum antiquiores authores, quod a legatis regis Anglorum in Basileensi concilio propositum est, potius confirmant ; Lucium, “audita sola fidei fama, non vocatum, non alicujus prædicatione inductum, misisse suas epistolas ad papam.” Ita author libri pontificalis (ab aliis Damasus, ab aliis Hieronymus perperam existimatus) in vita Eleutheri : “Hic accepit epistolam a Lucio Britannico rege, ut Christianus efficeretur per ejus mandatum.” Idem iisdem fere verbis, non solum a Luithprando Ticinensi et Abbone Floriacensi in vitis pontificum, sed etiam a Beda et Adone Viennensi in martyrologiis suis, ad VIII. Kalendas Junii, repetitum est. Similiter etiam in ejusdem Bedæ et Adonis chronicis, et annalibus Anglo-Saxonice conscriptis, legitur : “Lucius Britannæ rex, missa ad

Eleutherum Romæ episcopum epistola, ut Christianus efficiatur obsecrat^a." Et apud Johannem Fordonum, in *Scotichronico*: "Lucius^b rex Britonum, ut fertur, ad papam Eleutherum epistolam misit; obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur." Et apud Gotcelinum Bertinianum, in majore historia vitæ Augustini, "Rex^c Brittonum Lucius sanctum Eleutherium, tunc temporis papam, per epistolam suppliciter expetiit, et gratanter obtinuit; quatenus fideles doctores destinaret, qui se ac gentem suam in Christo regenerarent.

Quid Lucium ad hoc permoverit, varie refertur a recentioribus. Collector Britannicarum antiquitatum, quas evulgandas curavit Matthæus Parkerus Cantuariensis archiepiscopus, "hujus temporibus, edicto Romano de abolenda Druydum superstitione e provinciis cautum" fuisse asserit; indeque "cœpisse eum de religione et vero Dei cultu, cujus perstudiosus fuit, inprimis deliberare." Sed edictum ejusmodi a Romanis eo tempore fuisse promulgatum, nullus auctor confirmat. Thomas Rudburnus senior, in *chronico minore*, et *historiolæ Wintoniensi Ecclesiæ collector*, hanc tantummodo occasionem commemorant; quod "famam Christianitatis audisset Lucius:" et auctor *historiæ archiepiscoporum Eboracensium* (circa annum MCCCCLX. scriptæ) quod "audisset cæteras nationes fidem Christi suscepisse:" *Chronicon Gisebur-nense*; quod "audisset de miraculis Domini nostri Jesu Christi, et de prædicatione apostolorum:" Johannes Castorius et *chronicæ Britonum abbreviata* similiter; quod "audisset de apostolis Jesu Christi, et de eorum miraculis:" Radulphus Niger, in *chronico*; "Vates quidam paganus in Britannia Dominicam nativitatem prædixerat; unde rex Lucius Romam pro orthodoxæ fidei doctoribus misit:" Galfridus Monemuthensis^d, "Serenaverunt mentem ejus miracula quæ tyrones Christi per diversas nationes faciebant: unde in amorem veræ fidei anhelans, piæ petitionis effectum consecutus est." Quo referendum ce-

^a al. *impetrat. Ado petiit.*

^c Vitæ August. cap. 32.

^b *Scotichronic. lib. 2. cap. 30.*

^d *Historiæ Britannicæ lib. 2. cap. 1.*

lebre illud, quod nuperrime tum contigerat, de pluvia in bello Marcomannico Christianorum precibus impetrata miraculum : de quo in apologetico suo Tertullianus ; “ Literæ^e Marci Aurelii gravissimi imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum militum precationibus impetrato imbri, discussam contestatur : qui sicut palam ab ejusmodi hominibus (Christianis sc.) pœnam dimovit ; ita alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, et quidem tetriore.” Ut non male conjecerit Nicolaus^f Harpsfeldius, has Marci literas Lucium fortasse movisse : licet rescriptum ad quod ille nos remittit, cum Justini martyris operibus excusum, doctiorum^g calculo sublestæ fidei censeatur.

Cæsar Baronius, in^h Lucii actis nescio quibus hujus rei narrationem invenisse se ait, paulo fusius in hunc modum explicatam. “ Lucius nunquam se Christianæ religioni infensum exhibuit hostemve ; sed quod Christianorum miracula simul et vitæ integritatem admiraretur, in eosdem propensior videbatur : amplexusque fuisset jam ante Christianam religionem, nisi avita velut nexibus obligatus esset superstitione, nisi etiam conspexisset Christianos ab Ethnicis ipsis ut infames vilesque haberi, a Romanis ipsis apud quos summa rerum esse videbatur, et gladio et injuriis assiduo lacerari. Comperit tamen postea, novitque ex legatis Cæsaris, senatores etiam aliquos Christianos factos esse, et inter alios Pertinacem quendam atque Trebellium : imperatoremque ipsum Marcum Aurelium, victoria eorum precibus obtenta, benigne habuisse Christianos.”

Sed fallit nos cardinalis, cum “ hæc ex vetustioribus monumentis de Lucio prodita haberi” pronuntiat. Neque enim ex aliis hausta ista sunt fontibus, quam Magdeburgensium nostrorum Centuriisⁱ, in quibus eandem rem,

^e Tertul. Apol. advers. gent. cap. 5. Euseb. lib. 5. hist. eccles. cap. 5. Oros. lib. 7. cap. 15.

^f Harpsfeld. histor. ecclesiast. prim. sex. centur. cap. 3.

^g Jos. Scalig. Animadvers. in Euseb. chronic. num. 2189. Cl. Salmas. not. in Julii Capitolini Marcum.

^h Baron. Annal. tom. 2. an. 183. sec. 4.

ⁱ Centur. 2. cap. 2. col. 8.

verbis aliis et quidem plenioribus, hoc modo enarratam invenimus; “Non erat omnino iniquus Lucius Christianorum religioni, statim initio sui imperii. Movebatur enim nonnihil miraculis illustribus, quæ a Christianis in testimonium et ornamentum suæ doctrinæ passim edebantur: ut Gildas Albanus in libro de victoria Aurelii Ambrosii refert. Verum ne prorsus ei assentiretur, retrahebatur avita sua religione, quæ erat ethnica. Altissime enim hærent, difficillimeque ex animo ejiciuntur, quæ in teneris annis nobis instillata sunt. Ad quod accedit, quod natura nostra per se proclivior sit ad superstitiones, quam ad veram Dei doctrinam, quæ apparet rationi absurdissima. Offendebatur etiam externa specie Christianorum, quod videret homines viles et abjectos Christianam religionem profiteri. Præcipue vero spectabat Romanos, et ipsum adeo imperatorem: sicut homines mundani plerunque potentes spectare, eorumque exemplum sequi solent. Posteaquam igitur comperit ex legatis Cæsaris, præpotentes atque illustres quosdam ex Romanis, Trebellium nempe et Pertinacem, aliosque nonnullos Christianæ religioni accessisse; imo etiam ipsum imperatorem Christianis æquum factum, miraculosa pluvia a Christianis impetrata permotum: cœpit ipse quoque Christianorum doctrinam attentius et plenius cognoscere.” Hæc ibi.

Et hoc quidem nos Baronio non inviti concedimus, quod Eusebii^k autoritate confirmatur, Commodus imperium gubernante, pacem omnes Ecclesias in toto terrarum orbe occupavisse; et evangelium ita propagatum esse, ut “Romæ complures, et genere illustres et rerum affluentia admodum locupletati, una cum omni familia et cognatione sua, se ad suam ipsorum salutem amplexandam recipere.” Sed hoc post susceptum a Lucio baptismum contigisse defendimus: quod etiam a Jacobo^l Philippo Bergomensi his verbis notatum observavimus. “Lucio baptizato, data est quasi ubique pax Ecclesiis, et nomen Christi mirum in modum excrescere cœpit, et quam maxime

^k Euseb. lib. 5. histor. ecclesiast. cap. 21.

^l Bergom. supplem. chronic. lib. 8.

Romæ, ubi multi nobiles cum conjugibus et liberis baptizati sunt.”

Illud vero plane ridiculum est, comperisse Lucium “ ex legatis Cæsaris, senatores etiam aliquos Christianos factos esse, et inter alios Pertinacem quendam atque Trebellium.” Neque enim alius fuit Pertinax iste, quam ille ipse qui sub Commodò legationem^m obiit in Britannia, eique postea in imperio successit: quem Christianum factum fuisse nunc primum audimus. Sed ita res se habet. Legerat in Hectore Boethio Balæus, “ Luciumⁿ de Christianorum pietate et miraculis, a Romanis in Britannia sub Trebellio et Pertinace merentibus, permulta audisse.” Id ille^o hunc in modum amplificat: “ Erat Lucius aliquantulum, ut apparet, in Christo paupere cum Judæis scandalizatus. Nam licet a centum et amplius annis propagata fuisset per Britanniam Christiana religio, ei nihilominus debito videbatur carere splendore, quod illucusque administrata fuisset per solos pauperes, abjectos et simplices homines, saltem non fulcita Romana autoritate. Quum audisset igitur per Cæsaris legatos Trebellium et Pertinacem, Romanorum illustres aliquot, acquiescente persecutione, illam admisisse; cogitabat aliquanto rem esse digniorem.” Ista negligentius Magdeburgensis historiæ collectores percurrentes, ipsos legatos pro illustribus illis Romanis acceperunt, a quibus religionem Christianam susceptam fuisse, Lucium per Cæsaris legatos audivisse voluit Balæus. Atque hæc vera origo est jocularis hujus fabellæ; quam velut oraculum quoddam ex Baronii tripode obtrudit nobis Robertus^p Personius.

Quid vero Lucium potissimum impulerit, ut Roma doctores fidei arcesseret, apud antiquiores non invenio. In libro tantum Abingdoniensi lego; “ Lucium audita fama et sanctitate prædicatorum in civitate Romana tunc temporis degentium, nuncios suos cum literis suis patentibus ad venerabilem papam Eleutherium destinavisse

^m Jul. Capitolin. in Pertinace.

ⁿ Hect. Boeth. Scot. hist. lib. 5.

^o Balæus, centur. 1. cap. 29.

^p Person. de Angl. convers. part. 1. cap. 4. sec. 2.

quantocius: rogantem devotissime et supplicantem attentius, quatenus per mandatum et voluntatem ejus Christianus efficeretur." Et quanta necessitudine cum urbe Romana provinciales Britanni conjuncti fuerint, quæque commercia utrinque intercesserint, nemo ignorat: ut ad primatum Romani pontificis hic recurrere nihil necesse sit. Literarum vero illarum patentium, ut sui seculi more appellat Abindoniensis monachus, quis tenor fuerit; ex poeta Britannico, cui Gildæ nomen est impositum, si placet, accipe, de Lucio sic canente.

Qui simul audierat Christi vulgasse clientes
 Verbum incarnatum, regem de virgine natum
 In cruce defunctum, vita post funera functum:
 Scribit Eleutherio dictamina talia papæ.

Ecce, pater, patrum me turbant traditiones
 Qui plures fecere Deos, pluresque penates,
 Quique Creatori res præposuere creatas.
 Idola plena dolo reor esse: potentia cæli
 Non est in lignis, dæmon respondet in illis
 Vana suis membris. Deus extat trinus et unus,
 A quo, per quem, in quo sunt omnia: gloria, virtus,
 Laus et honor sit ei soli per secula cuncta.
 Uniat ergo Deo Christi nos unio, tanquam
 Membra suo capiti: sacri baptismatis unda
 Postulo mundari, conformarique creatum
 Plasma Creatori. Male pars connectitur omnis
 A toto diversa suo. Te deprecor ergo
 Ut mittas aliquos in Christi lege peritos
 Ad partes nostras; qui me populumque Britannum
 Informent, mundentque sacri baptismate fontis.

Receptis his literis, papam gratias agentem, præ gaudio cecinisse canticum angelicum, Gloria in excelsis Deo; scribit Radulphus de Baldoe Londinensis episcopus, et Giseburnensis chronici author. De legatis etiam, per quos missæ sunt literæ, in libello antiquo: De primo statu Landavensis Ecclesiæ ita legimus: "Anno ab incarnatione Domini CLVI. Lucius Britannorum rex, ad Eleutherum duodecimum apostolicæ sedis papam, legatos suos, scilicet Eluanum et Medwinum misit, implorans ut juxta ejus admonitionem Christianus fieret: quod ab eo impetravit. Nam gratias agens Deo suo, quod cum illa gens

a primo regionis inhabitatore Bruto gentilis fuerat, tam ardentem ad fidem Christi festinabat; consilio seniorum urbis Romæ placuit eosdem legatos baptizari, et Catholica fide suscepta ordinari, Eluanum in episcopum, Medwinum autem in doctorem. Et propter eloquentiam et scientiam quam in sacris habebant scripturis, prædicatores ad Lucium in Britanniam reversi sunt: quorum sancta prædicatione Lucius et totius Britanniae primates baptismum susceperunt, et secundum jussu beati Eleutherii papæ ecclesiasticum ordinem constituit, episcopos ordinavit, et bene vivendi normam docuit." Eadem habent in vita S. Dubricii, Johannes Tinmuthensis et Johannes Capgravius: nisi quod illud de Bruto ac nonnulla alia minoris momenti omittant; et postremam periodum pluraliter proponant hunc in modum; "Lucius et totius Britanniae primates baptismum susceperunt, episcopos ordinarunt, et bene vivendi normam docuerunt."

Johannes^q Balæus, quem hic secuti sunt complures alii, et inter eos Harpsfeldius quoque et Pitsius, legatis istis cognomenta apponit, Eluano quidem Avalonii, Medwino Belgii: quod "ex paludoso discipulorum collegio, quod Avaloniae Josephus Arimathæensis plantaverit," utrunque processisse existimet; Avalonia vero, sive Glastonia, in Wellensium agro sita sit, quem olim Belgæ incolebant. Thomas Dempsterus^r Elvanum quidem Avallonium cognominat, sed Scotum tamen fuisse sibi persuadet: imo et "primum fuisse qui ad res Scoticas illustrandas accesserit, ejusque fidem Veremundum et alios vetustissimos annalium Scoticorum authores impensius extulisse;" atque scripsisse illum "veteri lingua Scotica, hoc est, (ut ipse quoque agnoscit) Hibernica, historiam Scotiae libro uno, et descriptionem Scotiae libro altero;" mira quidlibet fingendi assumpta sibi licentia, affirmare non erubescit. Johannes Caius^s doctores istos Cantabrigienses fuisse conjicit, ex commentitio quodam regis Arthuri diplomate, in quo "rex Britanniae Lucius Christianitatem amplexus esse dicitur, prædicatione doctorum Cantabrigiae;" et ex

^q Bal. centur. I. cap. 27, 28.

^r Dempster. Histor. ecclesiast. Scotor. lib. 5, num. 490.

^s Cai. de antiquit. Cantabrig. lib. I. pag. 77.

Burtonensibus annalibus, in quibus scriptum esse notat. “Anno Domini CXXI. hic baptizati sunt novem ex doctoribus et scholaribus Cantabrigiæ.” Unde colligit, “fuisse gymnasium Cantabrigiæ ante Lucii tempora, et receptum evangelium ante Lucii regnum, etsi non publice.” Guilielmus Harrisonus⁴ ex iisdem annalibus narrat, “anno gratiæ CXXI. tempore Hadriani imperatoris, novem scholares sive clericos Grantæ baptizatos esse in Britannia, et evangelium ibidem prædicavisse.” Atqui, annus CXXI. non in Hadriani, sed in Antonini Pii imperium incidit: et illis temporibus gymnasium aliquod Grantæ aut Cantabrigiæ extitisse somnium est, quod viris eruditis miror placere potuisse. In Burtonensibus vero annalibus id tantum legimus: “Anno CLXXXVIII. Eleutherus papa; a quo Lucius Britannorum rex per epistolam Christianum se fieri impetravit; et mox effectum piæ petitionis consecutus est.” Sed in codice MS. quem in collegii S. Benedicti bibliotheca habent Cantabrigienses, ab alio notula est apposita, quæ “anno Domini CXXXVII.” hoc factum fuisse monet: adjectis quoque ab eadem manu duabus annotatiunculis sequentibus: “Anno CXXXVII. hic primo venit Christianitas in Britanniam; anno CXXI. hic baptizati sunt novem ex doctoribus et scholaribus Cantabrigiæ.” Ut etiam ex ipsius annalium interpolatoris mente, non ante, sed sub Lucii regno Cantabrigienses isti baptismum susceperint.

Nec tamen idcirco vel Hadriani vel Antonini temporibus rem Christianam, ut in reliquo ita etiam in Britannico nostro orbe, incrementa cepisse negaverim. Hadriano imperante, “Ecclesias” tanquam clarissima quædam lumina suum splendorem per totum orbem terrarum diffudisse, et fidem in Servatorem ac Dominum nostrum Jesum Christum in universo hominum genere magnopere viguisse,” confirmat Eusebius. Addit Ruffinus^w, “ad Ro-

⁴ Harrison. *descript. Britan.* lib. 1. cap. 9.

^w Ἦδη δὲ λαμπροτάτων δίκην φωστῆρων τῶν ἀνὰ τὴν οἰκουμένην ἀποστειλβουσῶν ἐκκλησιῶν, ἀκμαζούσης τε εἰς ἅπαν τὰ τῶν ἀνθρώπων γένος τῆς εἰς τὸν σωτῆρα καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πίστεως. Euseb. lib. 4. *histor. eccles.* cap. 7.

^w Ruffin. *ecclesiast. hist.* lib. 4. cap. 8.

manos et Græcos, ad Scythas ac Barbaros, et ad ipsas pene in ultimis orbis partibus reconditas nationes, in tantum felicem Christianorum famam pervectam esse; ut omne hominum genus, legibus et superstitionibus patriis derelictis se ad fidem Christi converteret, omnisque barbaries genuina feritate deposita ad Jesum concurreret." Sub Antonino autem hoc ipso argumento adversus Tryphonem Judæum ita pugnat Justinus martyr: "Οὐδὲ νῦν ἀπὸ ἀνατολῶν ἤλιου ἕως δυσμῶν ἐστὶν ὑμῶν τὸ γένος, ἀλλ' ἐστὶ τὰ ἔθνη ἐν οἷς οὐδέπω οὐδεὶς ὑμῶν τοῦ γένους ᾤκησεν· Οὐδὲ ἐν γὰρ ὅλως ἐστὶ τὸ γένος ἀνθρώπων, εἴτε βαρβάρων, εἴτε Ἑλλήνων, εἴτε ἀπλῶς ᾤτινιούν ὀνόματι προσαγορευομένων, ἢ ἀμαξοβίων ἢ αἰοίκων καλουμένων, ἢ ἐν σκηναῖς κτηνοτρόφων οἰκούντων, ἐν οἷς μὴ διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ σταυρωθέντος Ἰησοῦ εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι τῷ Πατρὶ καὶ ποιητῇ τῶν ὅλων γίνονται. Ne nunc quidem, ab oriente sole ad occasum usque gens vestra est: sed sunt gentes quædam ubi nondum vestri generis quisquam habitavit. Atqui ne unum quidem est genus mortalium, sive barbarorum sive Græcorum, seu etiam aliorum omnium, quocumque appellentur nomine, ne eorum quidem qui pro domibus plaustris utuntur ac tentoriis, agentes vitam pastoriciam; inter quos per nomen crucifixi Jesu, supplicationes et gratiarum actiones Patri et fabricatori rerum omnium non fiant." Gildas denique licet in primo exortu evangelii præcepta Christi a Britannis, suis tepide suscepta esse affirmet; "apud quosdam tamen integre, et alios minus usque ad persecutionem Diocletiani," permansisse asserit: ne quis ante Lucii conversionem, religionem Christianam ab apostolis et eorum discipulis huc inductam, interiisse et extinctam fuisse existimet.

Publice vero primum sub Lucio et Eleuthero receptum hic fuisse evangelium, consentiens nostrorum historicorum est sententia. Et quidem ad opus hoc perficiendum, ipsum quoque Eleutherum in Britanniam venisse, in historia Timothei scriptum esse referunt Magdeburgenses^x historici: qui mihi tamen illud, non ex historia aliqua Ti-

^x Magdeburg. centur. 2. cap. 2. col. 8, 9.

mothei, sed ex verbis Naucleri minus recte perceptis hausisse videntur. Ille enim hanc Lucii et Eleutheri historiam pertractans, verba illa subjicit, quæ de Timotheo isto agentes superius^y apposuimus. “Invenio^z tamen in legenda sancti Timothei apostoli, quod venerit in Britanniam, et Lucium ejus gentis regem cum tota insula ad fidem Christi converterit. Et illud magis concordat legendæ sancti Lucii, quæ habetur in ecclesia Curiensi.” Ubi Timotheum, non Eletherum in Britanniam venisse significare voluit Nauclerus: quod Curiensis ecclesiæ annalibus magis convenit, in quibus Lucius Timothei discipulus statuitur. “Hic beati Timothei D. Pauli discipuli instructione ad fidem religionemque Christi inductus est: ut videas quam mature illud regnum ad Christum concesserit.” inquit Petrus Cratepolius, in libello de sanctis Germaniæ, et author antiquior, Notkerus Balbulus, in martyrologio, ad VIII. Kalend. Junii: “Romæ, Eleutherii papæ, qui sedit in episcopatu annis quindecim, et accepit epistolas a Lucio Britannorum rege, ut per ejus mandatum fieret Christianus. Quod et factum ærefertur per Timotheum virum sanctum.” Sed quisnam ille Timotheus fuerit, Notkerus non explicat: an diaconus, cujus memoriam in Britannia ad XII. Kalendas Junii celebrari, idem author est; an vero presbyter, cujus ipse ad XII. Kalendas Julii ita meminit: “Romæ depositio beati Novati, fratris Timothei presbyteri; qui a beatis apostolis eruditi sunt:” de quo in superioribus satis multa diximus. Marcellum, qui ab anno salutis CXCI. usque ad CCXX. Tungrorum episcopus fuisse dicitur, “Lucium^a Britanniæ principem tota cum gente prædicatione sua permovisse,” in Tungrensium episcoporum indiculo refert Antonius Monchiacenus Demochares. De eodem Marcello, ex chronicis Tungrensium, similia refert Nussiensis monachus in magno chronico Belgico a Johanne Pistorio edito: “Iste prædicavit ultra mare: et obtinuit ut Lucius rex Britanniæ mandarit Eletherio papæ, quod cum gente sua vellet

^y Vid. supr. cap. 3. pag. 49.

^z Naucler, chronograph. volum. 2. generat. 6.

^a Demochar, de Missa, tom. 2. cap. 37.

baptisari. Ex eo tempore proventus ecclesiarum Tun-
grensium putatur provenisse ex Anglia." In Treviren-
sium vero archiepiscoporum catalogo, quem Petrus Crate-
polius concinnavit, idem "Lucius Britanniae rex, sancti
Timothei apostoli Pauli discipuli eruditione ad religionem
Christi inductus; et jam factus Christianus, ab hoc Mar-
cello," sive Marcellino, Tungrorum aequae ac Trevirorum
episcopo, baptizatus fuisse scribitur.

Radulphus Niger in chronico^b, ait Eleutherium "misse
praedicatorum in Angliam, Dinan et Fagan atque Aaron,
petente rege Britonum Lucio." Johannes Castorius, et
chronica Britonum abbreviata; "Papam misse in Bri-
tanniam duos religiosos doctores, Faganum et Dinianum
(sive Dumianum) et plures alios." In magna etiam Win-
toniensis ecclesiae tabula, ex Gilda, Beda et Moracio re-
fertur; "a Fagano et Damiano pontificibus, doctoribus et
monachis, qui missi erant a Romano sanctissimo patri-
archa Eleuthero in totius Albionis provinciam, regem
illius praenominatum Lucium cum tota sibi subjecta fa-
milia baptismatis unda salutifera aspersum esse." Pe-
trus Equilinus^c in sanctorum catalogo, ait "Papam mi-
sisse duos religiosos viros, videlicet Faganum et Dami-
anum; qui regem praedictum et populum converterunt."
Novum quoque martyrologium Romanum; (in aliis enim
martyrologiis, quae bene multa tum impressa tum manu-
scripta consului, illud non invenio:) ad VII. Kalendas Junii,
in Eleuthero horum memoriam ita celebrat. "Sanctos
Danianum et Fugatium in Britanniam misit; qui Lucium
regem una cum uxore ac toto fere populo baptizarunt:"
vel, ut Petri Galesinii editio habet: "Britanniam insulam,
Lucii regis rogatu, per Fugatium et Damianum legatos,
fidei sacris instituit." Et istis duobus opus hoc attribuunt
etiam Johannes Gerbandus Leydensis^d, Platina, Philippus
Bergomensis, Sabellicus, Nauclerus, Hector Boethius, Po-
lydorus Vergilius, Johannes Lelandus, Nicolaus Harps-
feldius, et alii recentiores.

Guilielmus Malmesburicensis, in libro de antiquitate

^b Rad. Nig. chron. ann. Mund. 5358. ^c Petr. de Natalib. lib. 5. cap. 46.

^d Chronic. Holland. lib. 2. cap. 1.

Glastoniensis monasterii: "Venerunt Eleutherio mittente prædicatores Britanniam duo viri sanctissimi, Phaganus videlicet atque Deruvianus; prout charta sancti Patricii gesta que Britannorum testantur." Et ita quidem in epistola B. Patricio attributa appellantur isti: sicut etiam in magna Glastoniensis ecclesiæ tabula, et Glastoniensis monasterii libris a Johanne Tinmuthensi et Jo. Capgravio in vita B. Patricii citatis. In gestis vero Britannorum a Galfrido Monemuthensi editis, quem etiam sequuntur Rogerus de Wendover, Ponticus Virunnius, et alii: "Faganus^e et Duuianus, (sive Dwianus)" nominantur. "Dwywan et Fagan" vocat vetus chronicon, lingua Cambro-Britannica conscriptum: "Dunyanum et Figinum," Petrus de Langetofte, in chronico Britannicæ quod carmine Gallico exaravit: "Fagan et Diman," Robertus Glocestrensis in historia regum Angliæ Henrici III. temporibus edita: "Dunian et Fagan episcopus," Lazimonus in historia Britonum quæ antiquissima lingua Anglicana scripta legitur: "Euganum^f et Dumanum flamines," chronicon S. Martini de Dover: "Fagation et Dumianum (vel Dunmanum) presbyteros," Thomas Rudburnus senior in minore chronico.

Nos alterum, (quem ab aliis Fugatum, Fagation, Faganum, Fogatum, Fugatum, Euganum, Figinum appellatum invenimus) plurimorum authorum consensum secuti, Faganum^g nominamus: alterum vero (quem, majori adhuc varietate, Damianum, Dumianum, Dunanum, Dumanum, Duuianum, Divianum, Dunianum, Dimianum, Diwanum, Dimanum, Diunamum, Divinianum, et Donatianum^h etiam vocatum comperimus) Britannica nomenclatura Dwywan sive Duvianum appellandum censemus, quomodo et Wintoniensem quendam episcopum Arthuri regis temporibus nuncupatum fuisse Britannicaⁱ refert

^e Fugianus et Damianus ab oratoribus regis Angliæ in concilio Basiliensi appellantur.

^f Fagation et Damianum Robertus Antissioderensis monachus, fol. 39. b.

^g In chartis abbatie B. Mariæ juxta Dublin, an. 1312. conspicitur sigillum Radulphi de sancto Fagano.

^h Baron. ann. 185. sec. 4.

ⁱ Galfrid. Monemuth. lib. 9. cap. 15.

historia. Quod enim Johannes Stowæus in Anglicis suis annalibus mihi persuaserat apud Somersettenses in decanatu de Dunstor ecclesiam parochialem adhuc manere S. Deruvianum nomine insignitam: re diligentius exquisita falsum esse comperi; atque a S. Decumano Britanno, cujus apud Johannem Timmuthensem et Capgravium vita extat, et ædem illam, et ad quem ea spectat viculum^k, communem appellationem accepisse. Nec quod audivisse se scribit Nicolaus^l Harpsfeldius, in Cambria quoque extare templum Fugacii et Damiani memoriæ dicatum majorem fidem mereri arbitror.

Res ab his in Britannia gestas, Galfridus^m Monemuthensis sic exposuit. “Beatus pontifex comperta regis devotione, duos religiosissimos doctores Faganum et Duvianum ad illum misit: qui verbi Dei incarnationem prædicantes, ipsum baptisate sacro abluerunt et ad Christum converterunt. Nec mora, concurrentes undique nationum populi, regis exemplum insequuntur; eodemque lavacro mundati cœlesti regno restituuntur. Beati igitur doctores cum per totam fere insulam paganismum delevisent; templa quæ in honore plurimorum Deorum fundata fuerant, uni Deo ejusque sanctis dedicaverunt, diversisque cœtibus ordinatorum repleverunt.” Galfridum hic præter alios sequitur Rogerus de Wendover, ut Rogerum Matthæus uterque Parisiensis et Westmonasteriensis: in quibus tamen illud concoquere non possumus; quod “concurrerint ad baptismum nationes diversæ, regis exemplum sequentes, ita ut in brevi nullus infidelis remaneret:” et quod dicti “Doctores per totam Britanniam paganismum deleverint:” quanquam id ipsum longe ante a Ninio Britanno traditum ostenderimus; “Luciumⁿ Britannicum regem, cum omnibus regulis totius Britannicæ gentis, baptismum suscepisse.”

Similiter historiæ archiepiscoporum Eboracensium au-

^k S. Decombes.

^l Histor. ecclesiast. Anglican. lib. 1. cap. 3.

^m Histor. Britan. lib. 2. cap. 1.

ⁿ Supra, pag. 53.

thor: "Lucius^o cum universis regulis Britanniae fidem Christi suscepit et baptismi sacramentum, per ministerium doctorum venerabilium Fagani et Dimiani." Ponticus Virunnus, historiae Britannicae libro quarto: "Lucium baptizarunt, et omnes gentes Britanniae: et diversis coetibus ordinatorum insulam replevere, Diis gentilium expulsis et superstitionibus multis." Hector Boethius, Scotorum historiae libro quinto: "Regem cum tota domo et populo pene universo baptismatis sacramento insigniverunt." Pseudo-Gildas poeta:

Namque duos misit Praesul sanctissimus illuc
 Doctores fidei; qui sacri gurgitis unda
 Devotum mudent regem, regisque ministros.
 Exemplo verboque vocant ad praemia vitae
 Totius regni populum; verique lavacri
 Unda purificant: et fana profana Deorum
 Sancta Deo sanctisque dicant; traduntque probatis
 Illa colenda viris, Christumque fidemque professis.

Brevius in libri argumento tota res hoc disticho comprehenditur:

Lucius in Christum credit, Christoque dicatas
 Ecclesias dotat, distinctas ordinat urbes.

Et in prosaica Galfridi epitome: "Lucius baptismum sacramentum recepit una cum suis subditis; quo facto templa idolorum soli Deo viventi dedicavit, ea ampliando ut decebat." Radulphus de Diceto: "Eleutherus ergo misit Faganum et Diwanum, qui regem Lucium baptizaverunt, templa etiam quae in honore plurimorum Deorum fundata erant, uni Deo dedicaverunt." Johannes de Garlandia, libro quarto de triumphis Ecclesiae:

Lucius accivit rex ad baptismum Britannos
 Primitus, et patrios fecit abire Deos.
 Regis Eleutherio festinat epistola papae,
 Ut legatus ei dogmata sacra ferat.
 Anno centeno nonagenoque beati
 Partus, templa Dei per sua regna novat.

^o Petrus Merssæus Cratopolius, in Trevirensium archiepiscoporum catalogo, de Lucio. "Ejus opera Britannia magna ex parte fidem Christi profiteri coepit."

Prænominatos etiam antistites “ in cathedralibus ecclesiis monachos cœlesti conversatione præditos introduxisse,” ex Girardo Cornubiensi de gestis Britonum libro primo capitulo octavo refert Wintoniensis ecclesiæ historiola. Johannes Castorius sive Fiber, et chronica Britonum abbreviata, “ in urbe Trinovantum (Londinensi sc.) baptizatum esse regem” tradunt, et “ totam familiam suam, et postea majorem partem regni.” Et “ de templis Deorum (inquit Fiber) statuerunt ecclesias unius Dei, id est, Jesu Christi: statuerunt etiam episcopos et presbyteros per omnes partes Britanniae.”

CAP. V.

De XXV. episcopatibus et archiepiscopatibus III. qui Lucii temporibus, flaminum et archiflaminum loco, instituti fuisse dicuntur. De Londinensi sede metropolitana, et ejus translatione ad Cantuariensem. De Eboracensi, et pallio inde translato ad Dolensem in Britannia Armorica. De Legionensi, et ejus translatione ad sedem Menevensem ac Landavensem. De tomo Analeti; et provinciarum numero, in quas a Romanis divisa est Britannia.

DE hierarchia ecclesiastica a Fagano et Duviano hoc tempore constituta, ita narrare pergit Galfridus: "Fuerunt^a tunc in Britannia viginti et octo flamines, necnon et tres archiflamines, quorum potestati cæteri judices morum atque fanatici submittebantur. Hos etiam ex præcepto apostolici idololatriæ eripuerunt: et ubi erant flamines episcopos, ubi archiflamines archiepiscopos posuerunt. Sedes autem archiflaminum in tribus nobilioribus civitatibus fuerant: Londoniis videlicet, atque Eboraci, et in urbe legionum, quam super Oscam fluvium in Glamorgantia veteres muri et ædificia sitam fuisse testantur. His igitur tribus, evacuata superstitione, octo et viginti episcopi subduntur. Divisisque parochiis, subjacuit metropolitano Eboracensi Deira et Albania: quas magnum flumen Humbri a Loegria secernit. Londoniensi vero metropolitano submissa est Loegria et Cornubia. Has duas provincias sejungit Sabrina a Cambria, id est, Gualia, quæ urbi Legionum subjacuit." Hæc ille: Gildam hic authorem secutus, in libro de victoria Aurelii Ambrosii, ut Gervasius^b Tillesburiensis, Nauclerus^c, Tritemius^d, et historiæ Wintoniensi ecclesiæ author, a quo Gildas

^a Histor. Britan. lib. 2. cap. 1. edit. Ascensian. vel lib. 4. cap. 19. edit. Heidelberg.

^b Gervas. de otis imperialib. ad Othonem imp.

^c Naucler. vol. 1. chronograph. generat. 30.

^d Tritem. compend. lib. 1. annalium l. v. loc.

libro primo, capitulo septimo hic citatus est, significant. Similia habent, præter authores citatos, et alios complures, Alphredus Beverlacensis, Radulphus de Diceto, Bartholomæus de Cotton, Girardus Cornubiensis, Ranulphus Cestrensis, authores historiæ Roffensis, chronicorum de Hales et Dunstaple, libri Abingdonensis, chronici genealogici monasterii de Hales, et chronica Britonum abbreviata; Thomas Rudburnus, Thomas Stubs, Thomas Harfeldius, Ponticus Virunnus, Polydorus Vergilius; et qui flaminum et archiflaminum commentum (quod in vetere etiam libro^e Britannico, quem transtulisse putatur Galfrius, nusquam comparet) prætermittunt, Rogerus de Wenderover, Matthæus Parisiensis, et Matthæus Westmonasteriensis: quæ pocta qui Gildæ nomen usurpavit, sic expressit.

Assignant urbes viginti octoque sacris
Præsulibus totidem: sed submitunt tribus illos
Archipræsulibus, pars subjacet Eboracensi
Cum sibi submissis populis, pars Londoniensi,
Pars Legionensi.

Radulphus Niger, “Tunc^f limitati sunt veteres episcopatus sub metropolibus Londoniæ, Eboraci, et Caerliun quæ nunc dicitur sancti David.” Thomas Rudburnus in chronico minore: “Misit Eleutherius duos presbyteros Fagatium et Dumianum ad Lucium regem; qui fidei regulam ab ipsis accipiens, viginti octo episcopos ordinavit loco et numero flaminum.” Abbreviatio chronicorum, quæ Londini in magna tabula Paulinæ ecclesiæ habetur: “Doctores ergo Faganus et Divinianus de consensu regis, ubi erant archiflamine archiepiscopos et ubi flamine episcopos ordinaverunt et consecraverunt.” Liber Abingdonensis: “Misit vir venerabilis Eleutherius papa ad Lucium regem illustrem nuntios suos, Faganum videlicet et Divianum, viros religiosos, necnon in fide Catholica sufficienter instructos. Hi vero cum celebri devotione regem ipsum et populum suum unanimi

^e Chronic. lingua Cambro-Britannica conscript. quod quondam Humfredi Lhuydi fuit, hodie in Cottoniana bibliotheca est repositum.

^f Ad annum mundi 5358.

assensu et pari concordia baptizaverunt; destruentes idola, et ecclesias fideliter construentes. Quid multa? hi duo viri sincere in omnibus et per omnia Deo devoti Christianitatis executores effecti, constituere decreverunt per loca singula singulos ministros Dei omnipotentis: et ubi archiflamines secundum legem Gentilium invenerunt, loco eorum archipræsules; similiter ubi flamines, episcopos subrogaverunt. Fuerunt autem tunc temporis archipræsules tres, tribus in locis famosissimis, videlicet Londini, Eboraci, et apud urbem legionum." Et hæc quidem ex nostrorum monumentis.

Inter exteros primi, quod sciam, Martinus Polonus, Gnesnensis archiepiscopus, et Ptolemæus Lucensis Tuscus, qui vitas Romanorum pontificum scripserunt, Britannia flamines et archiflamines in episcopos et archiepiscopos conversos fuisse tradiderunt. Martini verba, a Johanne Gerbrando Leidensi etiam in chronico^g Belgico usurpata, sunt ista: "Papa misit duos religiosos viros, videlicet Fuganum et Damianum: qui regem et populum baptizaverunt. Erant tunc in Britannia viginti octo pontifices idolorum, quos flamines vocabant; inter quos tres archiflamines erant. Sed prædicti sancti, de mandato apostolici, ubi erant flamines instituerunt episcopos; ubi archiflamines, archiepiscopos." De eadem re Johannes Baptista Platina, et eum secutus Jacobus Philippus Bergomensis^h, ita scribit. "Erant tunc in Britannia pontifices quinque et viginti, quos flamines vocabant. Inter hos autem tres archiflamines habebantur; quorum in loco archiepiscopi tres constituti sunt, ut Ptolemæus ait. Protoflaminum vero loco primitiva ecclesia patriarchas instituit." Ubi si tres archiflamines in numero reliquorum pontificum recensentur, viginti et octo potius flamines cum Martino numerandi fuerint, quam viginti et quinque cum Platina: quod clarius a Johanne Naucleroⁱ expressum est, illis verbis:

^g Joh. a Leid. lib. 2. cap. 1. confer verba Hertmanni Schedelli, in sexta ætat. Mund. f. 115. b. Col. edit.

^h Bergom. supplement. chronic. lib. 8.

ⁱ Naucler. volum. 2. chronograph. generat. 6. Robertus Antfissiodorensis monachus fol. 39. b. "Erant tunc in Britannia XX. et VIII. flamines, i. e. pontifices

“ Erant tum in Britannia tres archiflamine, et viginti et quinque flamine: quorum in locum archiepiscopos et episcopos instituit.” Ita pontifices in universon viginti et octo fuerint: secundum numerum civitatum, quibus ornata fuit olim Britannia. Fuisse enim eam “ viginti et octo civitatibus quondam nobilissimis insignitam,” Beda^k; “ bis denis bisque quaternis civitatibus decoratam,” in epistola de Britanniae excidio scribit Gildas, et post eum etiam Galfridus^l Monemuthensis. Earum catalogum contexit Ninius: quem, quia Britannicorum episcopatum notitiam aliunde nancisci non possumus, ex duobus antiquissimis exemplaribus Cottonianis descriptum, et cum novem aliis MSS. collatum, una cum Britannicorum nominum interpretationibus, hic subjiciendum curavimus.

HÆC SUNT NOMINA OMNIUM CIVITATUM, QUÆ SUNT IN TOTA BRITANNIA
QUARUM NUMERUS EST XXVIII.

- I. Cair-Guintguic, quæ Norwicum fortasse fuerit, Britannis Cair-Guntin appellatum, vel potius Winwick Lancastrensiū. Veteri Nini glossatori Wincestria sive Wintonia est.
- II. Cair Mincip, vel Municip, apud Henricum Huntingdoniensem perperam Mercepit scriptum. Est Verolamium, juxta oppidum saneti Albani: quod Romanorum temporibus municipium fuisse ex Tacito constat.
- III. Cair Liguaid, aliis Legeuit, et Lualid, id est, Luguballia: quæ Huntingdoniensi Cair-Leil, vulgo Carlile dicitur.
- IV. Cair Meguaid, aliis Meiguod, vulgo Meiud in Montgomeriensi comitatu posita et Ptolemæo ac Antonino Mediolanum olim dicta.
- V. Cair Colun vel Colon, quæ Galfrido Monemuthensi^m et Henrico Huntingdoniensi, Colcestria est; ad Coln fluvium sita, et Antonino in Itinerario Colonia appellata. Hartechem etiam Merviniæ urbem, ad mare Hibernicum positam, Cair Colun olim fuisse dictam, Camdenus in Merioneth-shire affirmat.
- VI. Cair Ebrauc, aliis Cair-Branc, Eboracum estⁿ.
- VII. Cair Custeint, id est, urbs Constantii vel Constantini. Cair-Seiont est, prope Caer-nervon. Constantii enim filii Constantini magni “ sepulchrum monstrari juxta urbem, quæ vocatur Cair Segeint,” refert Ninius; “ ut literæ, inquit, quæ sunt in lapide tumuli ejus ostendant: et antiquam urbem Constantii imperatoris, filii Constantini magni,” in Arvoniam collocat Britannicus scriptor vitæ Gruffni filii Conani Venedotiæ principis: quanquam anno Domini MCCLXXXIII. “ apud Caer-nervon prope Snoudunam, corpus

paganorum necnon et III. archiflamine quorum potestati cæteri judices morum atque fanatici submitebantur.”

^k Bed. lib. I. hist. ecclesiast. cap. I. et H. Huntingdon. histor. lib. I.

^l Galfrid. histor. Britan. lib. I. cap. 2.

^m Brit. hist. cap. 6. lib. 5.

ⁿ Alphred. Beverl. et H. Huntingdon.

maximi principis, patris imperatoris nobilis Constantini, fuisse inventum, et rege Edovardo I. jubente in ecclesia honorifice collocatum," Matthæus Westmonasteriensis^o narret: ut ad Constantium Constantini magni patrem quem Eboraci in Britannia, potius quam ad Constantium Constantini filium, quem Mopsocrenis vel Mopsuestiæ in Cilicia mortuum esse legimus, referenda ista videantur.

- VIII. Cair Caratauc: Henrico Huntingdoniensi Cair-Cncerat perperam appellata. Cair-Caradoc autem in Salopiæ finibus inter Themidem, sive Temdum, et Column fluvios sitam fuisse, ostendit in fragmento Britannicæ descriptionis Humfredus Lhuydus. Galfridus Monemthensis^p et glossator Ninii Salesburiam interpretatur.
- IX. Cair Granth, aliis Grant, id est, "Granteceastria, quæ modo dicitur Cantebri-gia:" inquit Henricus Huntingdoniensis, historiæ libro primo; nomine uimrum a Granta ducto, quem idem libro quinto "fluvium Cantabrigiæ" appellat. Ejus Guillelmus de Ramseye abbas Crulandensis, in vita Guthlaci, ita meminit:

Est apud Angligenas a Grontæ flumine, longo
Orbe per anfractus stagnosos et fluviales,
Circumfusa palus.

et ante eum Felix Crulandensis monachus; qui ejusdem Guthlaci vitam Ælfwaldi orientalium Anglorum regis jussu descripsit: "Est in mediterraneis Britannicæ partibus immensæ magnitudinis terribissima palus; quæ a Grontæ fluminis ripis incipiens, haud procul a castello quem dicunt nomine Grontæ, &c." ubi Saxonice interpres flumen γραντε cea, castellum γραντε ceατερ reddidit. Grantacæstir vero suo tempore civitatulam desolatam fuisse testatur Beda^q, ex cujus ruinis existimant nonnulli crevisse Cantabrigiam; quæ ab Asserio Menevensi, Fabio Ethelwerdo et Anglo-Saxonice annalibus^r Grantebricge et Grantanbricge vocatur: a qua et toti circumjacenti comitatui inditum est nomen Grantabridgeshire^s, et Cantebregesire^t.

- X. Cair Mauoguid, vel Mauchguid. Putatur esse Antonini vel Mancunium, id est, Manchester in Lancastrensi, vel Manduessedum potius, id est, Manchester in Warwicensi agro positum. Est et Menegid in Anglesea, locus a Caradoco Lhancarvanensi in anni DCCCLXXIII. historia commemoratus.
- XI. Cair Lundein, aliis Cair-Lud. Londinum est, regni metropolis.
- XII. Cair Guorthigirn, quam a Guorthigerno Britannorum rege, in regione quæ vocatur Guenessi, ædificatam esse, confirmat Ninius: hac a vetere scholi-

^o Vid. an non ad Constantinum tyrannum: ex Camdeno, pag. 195. lib. 28. cum sec. 19. Is vero ann. 407. in Caer Segont imperator appellatus, in Gallia (non Britannia) anno 411. cæsus est.

^p lib. 3. hist. Britan. cap. 9. lib. 6. cap. 15.

^q lib. 4. hist. cap. 19.

^r Florent. Wigorn. Rog. Hoveden. et Matth. Florileg. in anni 875. et 876 historia.

^s in charta Edredi regis ann. 948. data; apud Ingulphum.

^t apud Henr. Huntingdoniensem, fol. 170. b. et Rog. Hovedenum, fol. 305. b. et 313. b. et 337. a. edit. Londin. Pagus Grantebrigenis Guilielmo Malmesburiensi. de gest. reg. Anglor. lib. 1. cap. 6. Unde etiam Alphredo Beverlacensi Caer Grant exponitur Cantebrigge.

- asta explicatione addita. "Guasmoric juxta Luguballiam^a ibi ædificavit : urbem scilicet, quæ Anglice Palmecaster dicitur." Galfridus^v Monemuthensis, "in natione Herging, super fluvium Guaiæ (Vaga ea est, sive Gwy fluvius, qui inter Monemuthenses in Sabrinæ influit æstuarium) in monte qui Cloarcus nuncupatur," sitam fuisse innuit. Alii, in regione Cambriæ Gurthrenion dicta, positam fuisse existimant : et Guthrenion Radnorenium castrum ex ejus rudibus extitisse^w.
- XIII. Cair Ceint, aliis Kent, id est, Cantuaria. Alphredus Beverlacensis et Henricus Huntingdoniensis.
- XIV. Cair Guiragon, aliis Guoragon, id est, Wigornia. Iidem. Britannis Cair Wrangon, Anglis Worcester appellata. Quam a Constantio rege fundatam, Rossus Warwicensis ; "olim Romanorum superbiam mœnibus fuisse" affirmat alius^x.
- XV. Cair Peris, id est, Port-chestre. Iidem^y.
- XVI. Cair Daun, Antonino Danus, vulgo Dancaester.
- XVII. Cair Legion, quæ Guilielmo Malmesburiensi^z et Alphredo Beverlacensi est Cestria, sive Westchester. Eadem quæ Bedæ^a est "Civitas Legionum ; quæ a gente Anglorum Legacæster, a Britonibus autem rectius Carlegion appellatur ;" ut et Florentio Wigorniensis, ad annum (secundum Dionysium) DCCCXCIV. quanquam ibi Matthæo Florilego ad annum DCCCXCV. Legecestria Anglice Wirhall sit dicta ; ex annalibus Anglo-Saxonicis Bedæ subnexis (non satis recte, ut videtur, intellectis) in quibus sic legitur : Hie gedýdon on anpe peryne cearyne. on piphæalum, yio iy legaceaytpe gehaten.
- XVIII. Cair Guricon, vel Guorichon, quæ vel Warwicum est, de quo Warwicensis Rossus^b "S. Dubricius sedem habuit episcopalem ubi nunc Castrum Warwici situm est ; ecclesiamque in honorem B. Mariæ condidit, quæ usque dies nostros apparuit" : vel Ptolemæi Viroconium, id est, Wroxeter in Salopiensi comitatu.
- XIX. Cair Segeint, Segontiacorum in agro Southantoniensi civitas : "quæ fuit super Thamesin non longe a Redinge, et vocatur Silcestre : " ut Alphredus Beverlacensis et Henricus Huntingdoniensis annotant : qui tamen haud recte, ut puto, Silcestriæ sedem ad Thamesin posuerunt. Est et Cair Seint in Arvoniam : de qua ad numerum VII. est dictum^c.
- XX. Cair Legion guar Usic, Britannis Cair Leon ar Usk, id est, urbs Legionis ad Iscam flumen adhuc appellata.
- XXI. Cair Guent, quæ Alphredo Beverlacensi et Henrico Huntingdoniensis, Wintonia est, sive Wincestria ; Romanis Venta Belgarum olim dicta : de qua ad numerum I. Est et Venta Silurum ; quæ in agro Monemuthensis

^a id est, Carleolum. Vid. supr. num. 3. et Camden. in Cumberland. 632.

^v Histor. Britannic. lib. 8. cap. 2.

^w Vide Lhuydi fragment. fol. 20, 21. et Camdeni Britanniam, pag. 479.

^x Vid. Camden. in Worcestershire, pag. 434.

^y Vid. Galfrid. Monemuth. lib. 5. hist. Britan. cap. 8. edit. Heidelb.

^z lib. 1. de gestis regum Anglorum, cap. 3. et 6.

^a lib. 2. histor. cap. 2.

^b Histor. regum Angliæ, pag. 54.

^c Episcopatus vero Silcestriæ, regis Arthuri tempore, Mauganio cuidam colati, lib. 9. historiæ Britannicæ cap. 15. Galfridus meminit.

- non longe a Cair Leon posita, antiquum nomen Caer Went etiamnum retinet^d.
- XXII. Cair Brithon; quæ Huntingdoniensis et Camdeno^e, est Cair Bristou, id est, Bristollia. Prius vero illud vocabulum ad Dun-Britton sive Brittonodunum proprius accederet, Alcluid olim dictum, Britannicæ et Picticæ dictio- nis antiquum terminum: cui regis Arthuri temporibus Eledanium sive Eledenium ordinatum fuisse episcopum, Britannica prodit historia^f.
- XXIII. Cair Lerion, id est, Lcecestria. Alphredus Beverlacensis, et Henricus Huntingdoniensis.
- XXIV. Cair Driathou, vel Draiton; nam sic apud Huntingdoniensem legitur: ut forte Salopiensium Draiton fuerit.
- XXV. Cair Pensauelcoit. Galfridus Monemuthensis, eumque secutus Eulogii author, libro quinto; et Matthæus uterque Parisiensis ac Westmonasteriensis, ad annum gratiæ LII, Kair Penheulcoit interpretatur Exoniam: pro qua in Heidelbergensi Britannicæ historiæ editione^g et in vetere Ascensiana, per errorem substituta est Oxonia. Verum Exoniam, quæ dicitur Saxonice Eaxenceastre (vulgo contractius Excester) ut Romanis Iscam Dammonio- rum, ita a Britannis (testante etiam Asserio Menevensi in gestis Ælfredi regis, anno DCCCLXXVI.) Cair Wisc vel Cair Isc appellatam fuisse constat. Itaque Camdenus noster, hac repudiata sententia, Galfridi Pen Uchel coit, Ptolemæi Uzellam, et Cornubiensium Lestuthiell; Ninii vero Pontauel coit, Ptolemæi Ischalin, et Somersettensium Ivelcester, fuisse existimat: prius illud nomen Britannicum, Montem editum in sylva, posterius, Pontem ad Ivel in sylva, interpretatus. Mihi tamen Ninii Pensauelcoit, Guilicmi Pictaviensis^h, Orderici Vitalisⁱ et Guilicmi Gemeticensis^k Penvesellum potius fuisse videatur; quæ Penseia hodie dicta, primo Guilicmi Normanni in Angliam appulsu celebris est. Cui et Britannici vocabuli coit adjectio non male convenit: quum sylvestribus sepius densa fuerit, in qua hæc sita est, Sussexiensis regio.
- XXVI. Cair Urnach, quæ Camdeno Uriconim Antonini, Virocomium Ptolemæi, et Salopiensium Wroxeter fuisse videtur.
- XXVII. Cair Celemion, quam idem Somersettensium Camalet fuisse conjicit.
- XXVIII. Cair Luit-coyt, quæ Galfrido Monemuthensi^l, Alphredo Beverlacensi, Henrico Huntingdoniensi et Ranulpho Cestrensi^m est Lincolnia, de qua Galfridus Monemuthensis: "Cair Lind-coit in Lindisiensi provincia inter duo flumina super montem locata, alio nomine Lindicollinum nuncupatur." Ita illic, libro nono historiæ Britannicæ, capite tertio, ubi Arthurum, cæsis sex Saxonum millibus, eos inde usque ad nemus Celedonis insecutum fuisse
- ^d Fit mentio Diwanii sive Dwianii, [ita MS. et Duviani] ad Guintoniæ epis- copatum Arthuri regis tempore promoti, in historia Britannica, lib. 9. cap. 15.
- ^e pag. 173. ^f lib. 9. cap. 15.
- ^g lib. 4. cap. 16.
- ^h Guil. Pictav. in gestis Guilicmi I. pag. 199. rerum Normanic. scriptor.
- ⁱ Orderic. ecclesiastic. histor. lib. 3. ib. pag. 500.
- ^k Gemeticens. histor. Normann. lib. 7. cap. 34. ibid. pag. 286.
- ^l Histor. Britan. lib. 9. cap. 3. collat. cum Ranulph. lib. 5. Polychron. cap. 6. ubi septimum Arthuri prælium factum scripsit juxta Lincolniam in sylva Celido- nis, quæ Britannice vocatur Caer Coit Celedon.
- ^m Polychron. lib. I. cap. 47.

narrat. Unde septimum illud prælium, quod contra Saxones Arthurum gessisse in sylva Celidonis, id est, Cath coit Celedonⁿ prodit Ninius, juxta Lincolniam factum fuisse, in polychronici sui libro quinto, capite sexto, scribit Ranulphus: ne quis ad Scotorum Albiensium sylvam Caledoniam in Albania, quo Saxones nunquam penetrarunt, referendum illud fuisse existimet^o.

Pro I. VII. X. et XXV. Henricus Huntingdoniensis in primo historiarum suarum libro, sequentes sex supponit.

1. Cair Glou, id est, Gloucestriam: de qua Ninius: "Glovis ædificavit urbem magnam super ripam fluminis Sabrinæ quæ vocatur Britannico sermone Cair-glovi, Saxonice autem Gloucester^p."
2. Cair Cei, id est, Ciceastriam, vulgo Chichester.
3. Cair Ceri, id est, Circeastriam, vulgo Circester; et Circiter; de qua Asserius Menevensis, in gestis Ælfredi, anno DCCCLXXIX. "Cireuceastre adiit, quæ Britannice Cair-ceri nominatur; quæ est in meridiana parte Huiciorum."
4. Cair Dorm, id est, Dormeceastre; "quæ sita in Huntingdonensi provincia, super flumen quod vocatur Nen, penitus destructa est." Hodie Dornford dicitur.
5. Cair Dauri, vel ut apud Alphredum Beverlacensem est, Cair Dorin, id est, Dorcestriam.
6. Cair Merdin: quæ nunc quoque sic vocatur.

Vox vero Cair, his omnibus præposita, Britannis urbem vel castrum significat: ut præter alios, libro primo Itinerarii Cambriæ capite quinto notat Giraldus Cambrensis. Johannes Caius^q ex Gervasio Tilberiensis, "Cair lingua Trojana, civitatem dici" addit; et "Cambris murum" quoque significare. Ut quemadmodum Hebræi קיר^r murum, et קריה^s urbem vocant; ita Britannis vox non absimilis, Cair et mœnia et urbem mœnibus cinctam denotet. Cujus vocabuli originem etiam in magna Cairo Ægypti observant^t nonnulli, et in ipsa quoque Carthagine; quam Carthadam dictam scribit Solinus, "quod^u Phœnicum^w

ⁿ Prælium sylvæ Celidonæ.

^o Lind-coit a sylvis Camdeno, pag. 404.

^p Vid. Guil. Malmesbur. lib. 4. de pontificib. sub finem catalogi Wigor. episc. collat. cum MS. et infra finem cap. 6.

^q Cai. de antiquit. Cantabrig. lib. 1. pag. 50.

^r 2. decis. cap. 47.

^s Num. cap. 35. ver. 4. Certæ nomine Parthis civitatem significari, Hermolaus Grammaticus ex Stephano auctor est.

^t Vid. Johannis Twini commentar. Britan. lib. 2. a pag. 108. ad 113.

^u Solin. Polyhist. cap. 27. edit. Salmasii, vel 30. Delrii.

^w Chald. et Syr. קרתא חרתא

ore exprimit civitatem novam." Unde et ipsam, et cognominem illi urbem in Hispania extractam, a Græcis^x *Καινὴν πόλιν* dictam fuisse notum est.

Apud Belgas in agro Somersetensi, Congersburix, non procul ab hodierna sede Wellensi, episcopalem cathedram a Fagano et Derwiano fuisse constitutam, narrat author Glastoniensis chronici anno MCCLIX. conscripti: "Anno (inquit ille) Dominicæ incarnationis CLXVII. episcopatus Somersetiæ per sanctos Fuganum et Deruvianum sumpsit exordium: et in Kungresburia per multum tempus sedes episcopalis fuit. Sederunt itaque in eadem sede plurimi pontifices successive, usque ad tempus Inæ regis West-Saxonum: quorum numerum, gesta, et tempora nusquam reperimus descripta. In tempore autem prædicti regis, Daniel, qui (ut accepimus) in cathedra de Kungresburia sedebat ultimus, sedem illam quæ illic per sexcentos annos, vel amplius remanserat, ad villam quæ tunc Tethiscine, nunc vero Welles nominatur, Ine rege donante, et ei consentiente, transtulit. Iste autem Daniel in eodem episcopatu ultimus erat episcopus Britonum."

Ex viginti et octo urbibus a Ninio memoratis, tres, uti diximus, pro metropoliticiis sunt habitæ: quarum^y prima et præcipua Cair-Lundein, Ptolemæo in geographia *Λουδίνιον*, in canone *ἐπισήμων πόλεων* (qui inter canones ejus astronomicos nondum editos habetur) ut et Marciano^z in Britannix periplo, *Λινδόνιον* appellata. Hic in vestibulo domus capitularis Ecclesiæ S. Pauli magnam tabulam affixam vidimus: in qua ita scriptum fuit. "Tempore Britonum in urbe Lundoniæ multi floruerunt archiepiscopi: sed tempore Anglorum dignitate apud Doroberniam translata, primus sedit Mellitus episcopus in ecclesia S. Pauli London^a, quam Ethelbertus rex Cantix fundavit." Ibidem etiam in chronico Radulphi de Baldoe Londinensis episcopi ita legimus: "Anno Domini CLXXIX. Lucius

^x Stephan. Byzant. in *Καρχηδών. Ρόγλ.* histor. lib. 2.

^y In quibus tres archiflamines constitutoz fuisse affirmat Guil. Harrisonus descript. Britan. lib. 1. cap. 9. Apollini, sc. Marti et Minervæ.

^z Stephan. in *Λινδόνιον*.

^a Vid. Bed. lib. 3. hist. cap. 3.

rex fundavit primam ecclesiam Lundoniæ, scilicet ecclesiam S. Petri de Cornhulle, et ibi fuit sedes metropolitana per quadringentos annos et amplius, usque ad adventum S. Augustini Anglorum apostoli." Similia habentur in tabula pensili, quæ in æde illa S. Petri de monte frumentario, sive Cornhill, (Cornwell vulgus appellat) adhuc cernitur: " Anno Domini CLXXIX. Lucius, primus Christianus rex hujus terræ, Britannia tunc appellata, fundavit primam ecclesiam Londoniæ, scilicet ecclesiam S. Petri in Cornhill: et fundavit illic archiepiscopalem sedem, et fecit illam ecclesiam metropolitanam, et primam ecclesiam hujus regni: et sic duravit spatium CCCC. annorum, usque ad adventum S. Augustini Angliæ apostoli, qui in hanc terram missus est a S. Gregorio, Ecclesiae doctore, tempore Regis Ethelberti. Tum vero archiepiscopi sedes et pallium à dicta ecclesia S. Petri in Cornhill translata fuit Doroberniam, quæ jam vocatur Cantuaria, ibique manet ad hunc usque diem. Et Miletus monachus, qui cum S. Augustino in terram venit, factus est primus episcopus Londinensis: et sedes ejus in Paulina ecclesia constituta est. Et ille Lucius rex fuit primus fundator ecclesiae S. Petri in Cornhill. Et regnavit in terra hac post Brutum MCCXLV. annis." Hæc ibi.

Jocelinus Furnesii monachus, in libro de episcopis Britannicis, hunc Londinensium archiepiscoporum catalogum contextit.

- I. Thean vel Theonus, qui Lucii regis temporibus Londini ecclesiam S. Petri in Cornhill construxisse dicitur a Cirano archiepiscopo regio adjutus.
- II. Elvanus: ille nimirum, quem una cum Medwino legatione ad Eleutherum papam functum audivimus. Is bibliothecam condidisse fertur dictæ S. Petri ecclesiae adjunctam; et Druydum complures ad fidem Christianam convertisse. Et habuit quidem ecclesia hæc bibliothecam, quam a se visam confirmat Johannes Lelandus: verum nunc, sublatiis libris, Grammatica^b schola locum occupat; quemadmodum in sua Londini perustratione monuit Johannes Stowæus.
- III. Cadar, aliis Cadocus.
- IV. Obinus, sive Ovinus.
- V. Conanus.
- VI. Paludius, vel Palladius.

^b Anno 1425. Grammaticam scholam ibi fuisse constat ante Lelandi tempora.

- VII. Stephanus.
 VIII. Itutus.
 IX. Dedwin, sive Theodwinus.
 X. Thedred, sive Theodredus.
 XI. Hilarius.
 XII. Guidelinus, qui et Guittelinus, et Vitelinus.
 XIII. Vodinus, a Saxonibus occisus.
 XIV. Theanus, vel Theonus : qui cum Britannis in Cambriam fugit, circa annum Christi DLXXXVII.

Postremorum trium ab aliis etiam facta habetur mentio. Guitelini quidem in Britannica historia : ubi post tertium Agitii, vel Aetii potius, qui in annum CCCCLVI. incidit, consulatum, Pictis^e et Scotis Britanniam vastantibus, legatus ad Aldroenum, Letaviæ sive Armoricæ regem a civibus suis missus, Constantinum ejus fratrem cum exercitu in patriam perduxisse, regem inunxisse, cum conjuge, quam ex nobili Romanorum genere ortam ipse educaverat, copulasse, atque filios ex eo conjugio genitos, Aurelium Ambrosium et Utherum Pendragon, enutrivisse memoratur. Quæ a Matthæo Florilego, et Roffensis historiæ collectore repetuntur etiam omnia : apud quos, "Anno gratiæ CCCXXXV. Guithelinus Londinensis archiepiscopus scientia et virtutibus insignis habetur." Eum Constantino regi nequaquam fuisse superstitem, ab iisdem^d est proditum authoribus : licet Guilielmus Caxtonus, et eum (uti solet) secutus Johannes Major^e, sublato post Constantinum filiorum ejus natu maximo, minores duos, Aurelium et Utherum, a Londoniarum præsule Gosselino (sic enim Guithelinum nominant) ad parvæ Britannicæ regem missos fuisse significant. Hunc secutum Vodinum, virum omnium opinione præcipua sanctitate, ab Hengisto Anglo-Saxonum duce interfectum tradit alter Scotorum historicus Hector Boethius^f : quod Britannorum regem Vortigernum ob nuptias, quas cum filia ipsius,

^e Galfrid. Monemuth. lib. 6. cap. 4, 5. (edit. Heidelberg. et vel ipse, vel alius poeticus ejus interpres, (cui falsum Gildæ nomen est tributum) libro 5.

^d Galfrid. ibid. cap. 6. Pseudo-Gilda, lib. 5. Matth. Florileg. et histor. Roffens. ad annum 445.

^e Jo. Major. de gest. Scotor. lib. 2. cap. 3.

^f Hect. Boeth. Scotor. histor. lib. 8.

Roxiena sive Rowenna, fœmina ethnica, spreta iusta conjugè inierat, reprehendisset. Proximus huic, longo sed proximus intervallo, nonaginta circiter annorum spatio interposito, adeoque Londinensium archiepiscoporum postremus, ejusdem cum primo nominis Theonus, in Jocelini indiculo collocatur : quem circa annum ab incarnatione Dominica DXLII. a Glocestrensi episcopatu ad archiepiscopatum Londoniarum translatum fuisse, Britannica^g refert historia ; posteaque Anglia a Saxonibus jam plene occupata et ecclesiis omnibus solo æquatis, cum iis qui e clero superfuertant, in Gualliam^h sive Cambriam diffugisse ; de qua fuga, in anni DLXXXVI. historia, agit Matthæus Florilegus, et, qui cum totum exscripsit, Roffensis libri collector. Et de iis, qui Londini archiepiscopi sedisse dicuntur, hæcenus.

De metropoliticæ sedis mutatione hic facta sub Anglo-Saxonum imperio, in libro quarto Anglicæ suæ historiæ ita scribit Polydorus Vergilius : “ Augustinus apud Gregorium ita egit, ut sedes archiepiscopi, quæ jam inde ab initio pietatis Christianæ Lucio rege receptæ Londini fuerat, Doroverniam, (hæc hodie Cantuaria est) translata sit. Londinensis diœcesis, post archiepiscopalem sedem inde alio delatam, Miletus Augustini socius, episcopus est factus :” et ex antiquioribus, Rogerus Wendoverius, Matthæus Florilegus, et Roffensis historiæ collector : “ Anno gratiæ DCI. beatus papa Gregorius Augustino pallium misit, ad ecclesiam videlicet Londinensem, quæ tempore Britonum metropolis erat : sicut Beda in historia Anglorum testatur, et anno DCIV. in civitate Londoniarum Augustinus Mellitum pontificem consecravit. Sicque urbis Londoniarum, quæ semper temporibus Britannorum archiepiscopum habuerat, dignitas nunc ad Doroberniam translata est : ut Merlini vaticinium dicentis impleretur ; Delebiturⁱ religio in insula, et transmutatio primarum sedium fiet : dignitas Londiniæ adornabit Doroberniam :” metropolitana scilicet sede illuc per Augustinum, a B. Gregorio

^g Galfrid. lib. 11. cap. 3.

^h Ib. cap. 10.

ⁱ Galfrid. Monemuth. lib. 7. cap. 3. edit. Heidelberg. lib. 4. fol. 52. edit. Paris. ann. 1517. Vid. Vincent. Specul. historial. lib. 20. cap. 30.

Romano pontifice missum, transposita et locata: ut habet Merlini interpres, Alanus de insulis.

“Proposuerat quidem Augustinus,” inquit Giraldus Cambrensis^k, “sed postea fortasse mutavit, sedem suam metropolitanam Londoniis, ubi caput est regni, facere:” qua de re scriptas a Gregorio ad eum literas ecclesiasticæ suæ historiæ Beda^l inseruit. Idem tamen in civitate Dorovernensi, quæ regum Cantii tum fuit metropolis, “Augustinum^m sibi habitationem statuisset et cunctis successoribus suis;” Justo quoque atque Honorio, illius in ea sede successoribus, pallia, metropolitanorum insignia, Bonifacium V.ⁿ et Honorium I.^o Romanos pontifices misisse, in sequentibus ostendit. Feruntur et Bonifacii ad eundem Justum literæ^p: in quibus, huc spectantia, ista legimus: “Cognovi siquidem in vestris syllabis, ut sanctæ recordationis prædecessor noster Gregorius constituit Augustino et omnibus successoribus suis in posterum metropolitanam et primitivam sedem in civitate Dorobernia, ubi caput totius gentis Anglorum a diebus paganorum habetur;” et paucis interjectis: “id ipsum præcipientes firmamus, ut in Dorobernia civitate semper in posterum metropolitanus totius Britannia locus habeatur; omnesque provinciæ regni Anglorum præfati loci metropolitanæ ecclesiæ subjiciantur, immutilata et perpetua stabilitate decrevimus:” ut et in Honorii Romani^q ad Honorium Cantuariensem archiepiscopum rescripto: “Tuæ ergo jurisdictioni subjici præcipimus omnes Angliæ ecclesias et regiones: et in civitate Dorobernia metropolitanus locus et honor archiepiscopatus et caput omnium ecclesiarum Angliæ semper in posterum servetur; et a nulla persona per aliquam malam suasionem in alium locum mutetur.”

Extat præterea apud Guilielmum Malmesburiensem^r, Kenulphi Merciorum regis, ad Leonem III. missa epis-

^k Girald. dialog. de eccles. Menevens. distinct. 2.

^l Bed. lib. 1. cap. 29.

^m Id. ib. cap. 33.

ⁿ Bed. lib. 2. cap. 8.

^o Id. ib. cap. 18.

^p Guil. Malmesbur. de gestis pontific. lib. 1. pag. 208. edit. Francofurt.

^q Ibid. pag. 209.

^r Guil. Malm. libro 1. de gestis regum Anglorum cap. 4.

tola: in qua sic scriptum legitur: “ Pontifices nostri ac peritissimi quique in nobis dicunt, quod contra canones et apostolica statuta, quæ nobis a patre beatissimo Gregorio dirigente statuta sunt, sicut vos scitis, autoritas Dorobernensis metropolitani in duas scinditur parochias; cujus, eodem patre mandante, ditioni subjacere debent episcopi duodecim: sicut per ecclesias nostras legitur in epistola, quam fratri et coepiscopo Augustino direxit, de duobus Londoniæ et Eboracæ metropolitanis episcopis, quam etiam apud vos haberi non dubitamus. Sed ipse primum pontificalis apex, qui tunc Londoniæ sub honore et ornamento pallii fuerat conscriptus, pro eo Dorobernensi oblatum est atque concessum. Nam quia beatæ recordationis Augustinus, qui verbum Dei, imperante beato Gregorio, Anglorum genti ministrabat, et gloriosissime ecclesiis præfuit Saxonie, in eadem civitate diem obiit, et corpus illius in ecclesia beati Petri apostolorum principis, quam successor ejus sanctus Laurentius sacrauit, conditum fuisset; visum est cunctis gentis nostræ sapientibus, quatenus in illa civitate metropolitanus honor haberetur, ubi corpus ejus pausat, qui his partibus fidei veritatem inseruit.” Indeque Malmesburiensis ipse, initio libri primi de gestis pontificum Anglorum: “ Cantuariæ (inquit) sedit primus Augustinus, Gregorii magni discipulus, ut vulgo notum est. Pallium autem et privilegium archiepiscopatus idem Gregorius Augustino ad Londoniam concessit, ut in primo libro gestorum regalium, per Kenulfi ostendimus epistolam: quia scilicet ad id tempus alterius obscuræ urbis notitia Romanos non attigisset. Veruntamen quia primus doctor, sedulitate regis hospitis et civium charitate captus, Cantuariæ incolatum vivens throno annis sexdecim et mortuus tumulo fovit; omnis eo in posterum honor translatus est.”

Postea tamen, fervente inter Henricum II. et Thomam Becketum Cantuariensem archiepiscopum contentione, Gilbertus Folioth Londinensis episcopus sedi suæ archiepiscopatus honorem, sed frustra, asserere conatus est: de quo^s

^s 272. epistola.

Johannes Sarisburiensis: "Ecce Londoniensis episcopus publice non sine dolore fidelium protestatus est, quod primæ Britanniarum sedi, videlicet Cantuariensis ecclesiæ, nullam debet obedientiam; et quod cathedram metropolitanicam illuc transferri faciet ubi eam esse debere fingit, ne dicam mentitur; scilicet ad ecclesiam Londoniensem, ubi archiflaminem gloriatur sedisse, dum Jovialis religio colebatur. Et fortasse vir prudens et religiosus cultum Jovis instaurare disponit: ut si alio modo archiepiscopari non potest, archiflaminis saltem nomen et titulum assequatur. Fretus tamen est oraculo Merlini, qui nescio quo repletus spiritu perhibetur ante adventum beati Augustini Anglorum apostoli vaticinatus esse, delendam esse Christianam religionem, et denuo reformandam, quando Londoniensis dignitas Doroberniam adornabit." Et Guilielmus Stephanides in Londini descriptione, paulo post cædem Thomæ edita: "Est ibi in ecclesia beati Pauli episcopalis sedes; quondam fuit metropolitana; et adhuc futura creditur, si remeaverint cives in insulam," quæ de civium reditu divinatio ex Britonum somniis est hausta; quæ, ex Aquilæ, si credere libeat, et Merlini prophetiis petita, Galfridus Monemuthensis¹ in fine, et Caradocus Lancarvanensis in principio Britannicæ suæ historiæ commemorat.

Ad secundam metropolim jam venio: quæ in superiore urbium catalogo Cair Ebrauc, hodie Cambro-Britannis Cair Effroc, Anglis York dicta, a Ptolemæo in opere geographico Ἐβόρακον, in canonibus astronomicis Ἐνδόρακον, et in magna syntaxi Βριγάντιον² appellatur. Huic historia Britannica Deiram subjicit et Albaniam: Albanicæ nomine eam quæ hodie Scotia dicitur; Deiræ, Lancas-

¹ Galfrid. lib. 12. cap. 17, 18. edit. Heidelberg. vid. et lib. 2. cap. 9. Jo. Fordon. in Scotichronic. lib. 3. cap. 22. Jo. Balæum, scriptor. Britannic. centur. 1. cap. 11. Jo. Twinum, commentarior. Britannic. lib. 2. pag. 127, 128. Camden, in Dorsetshire, pag. 157. Selden. in Polybion, op. tom. 3. pag. 1814.

² Lib. 2. pag. 31. edit. Græc. Hæc tamen vox a Græco Lambethanæ bibliothecæ MS. abest: pro qua Latinus Almagesti ex Arabico interpres *Bericanas* substituit.

trensem et Eboracensem comitatum, una cum Dunelmensi episcopatu, Westmorlandia, Cumbria, et Northumbria complectens. Urbem vero hanc a Constantio Chloro imperatore, qui hic diem obiit, episcopali sede exornatam fuisse, ex patriis scriptoribus (quorum nullum adhuc mihi videre contigit) refert^w Guilielmus Camdenus. Sed qui historiam Eboracensium archiepiscoporum circa annum MCCCCLX. conscripsit, "primum in ea sede fuisse archiepiscopum Faganum" asserit, illum videlicet de quo diximus, Eleutheri legatum, "tempore Lucii regis." Alii^x ibi Theodosium quendam a Lucio collocatum esse dicunt, alii^y Samsonem: quem tamen Aurelii Ambrosii temporibus floruisse, et Benedictus Glocestrensis monachus, qui S. Dubricii, et alter ille qui Eboracensium archiepiscoporum vitas descripsit, testantur. Consentit et historia Britannica: in qua, de Aurelio legimus: "Convocavit^z rex consules et principes regni intra Eboracum, præcipitque eis restaurare ecclesias, quas gens Saxonum destruxerat. Ipse vero metropolitancam sedem illius urbis, atque cæteros episcopatus provinciæ reædificare incepit:" et post, "Evacuata^a erant duæ metropolitanæ sedes, Eboraci videlicet atque urbis legionum, a pastoribus suis; quibus communi populorum consilio consulere volens, concessit Eboracum Samsoni illustri viro, summaque religione famoso: urbem vero legionum Dubricio, quem divina providentia in eodem loco profuturum elegerat."

Utriusque electionem ad annum salutis CCCXC. Matthæus Florilegus refert: et utrumque anno DVII. in Britannia floruisse addit. De utroque etiam in sexto Britannianos suæ libro, ita Pseudo-Gildas canit:

Eboracensis apex vacat archipræsule, necnon
Et Legionensis: Samson datur Eboracensi,
Et Legionensi Dubricius; ambo beati
Pontifices, quos vita probat, moresque perornant.

^w Camden, in Yorkshire. pag. 573.

^x Guil. Harrison. descript. Britan. lib. 1. cap. 7.

^y Franc. Godwin. in catalog. archiepisc. Eborac. pag. 2.

^z Galfrid. Monemuth. lib. 8. cap. 9.

^a Id. ibid. cap. 12. edit. Heidelberg. ubi pro *Saxoni*, ex MSS. restituimus *Samsoni*.

et de Samsonis successore; libro septimo res ab Arthurō rege gestas enarrans:

Rex venit Eboracum : cujus cum strata videret
 Mœnia et ecclesias, constrictus corde, dolori
 Condolet oppressæ et viduatæ civibus urbis ;
 Compatiturque apici proprio pastore carenti.
 Nam sanctus Samson de sede fugatus eadem,
 Fugerat hostiles gladios ; populūque Dolensem
 Exemplo verboque docet, prælatus eidem.
 Rex igitur viduæ prælatum providet urbi,
 Pyramon insignem meritis virtute coruscum.

Et quidem sedis Eboracensis archiepiscopum ordine septimum fuisse Samsonem hunc, quod Ambrosio Merlino tribuitur vaticinium videri posset innuere: "Pastor^b Eboracensis septimus in Armorico regno frequentabitur:" cujus tamen sensum longe alium Bellovacensis Vincentius reddit: "quod^c Eboracensis archiepiscopus, scilicet beatus Samson, cum septem episcopis ad Armoricanam transiret regionem, quæ modo minor Britannia nominatur:" et ante eum Alanus de insulis^d, "Sanctum (inquit) Samsonem significat, Eboracensem archiepiscopum, qui a prophana Saxonum gente ab ecclesia et civitate expulsus, navigio transfretavit in Armoricum regnum, id est, minorem Britanniam in finibus Galliarum super littus oceani sitam; ibique in civitate Dolis metropolitanam sibi cathedram collocavit. Venerunt autem cum eo sex fratres ipsius, sancti et magnifici et magnarum virtutum viri: Melanius Macutus, Maclovius, Pabutual, Paternus, Wasloeus; qui in aliis civitatibus ejusdem regni ordinati sunt, et Ecclesiæ Dei præfecti. Et hoc est, quod ait: Pastor Eboracensis septimus in Armorico regno frequentabitur. Hos autem septem fratres, usque in hodiernum diem, non solum gens incola terræ illius, sed et finitimæ regiones, septem Britannia sanctos appellant." Giraldus Cambrensis, archidiaconus Menevensis, atque cum secutus

^b Galfrid. lib. 7. cap. 3.

^c Vincent. Specul. historial. lib. 20. cap. 303.

^d Commentariorum in prophetias Merlini lib. 1.

Rogerus Hovedenus^e, nequaquam ab Eboracensi hoc Samsonem Dolensem metropolim constitutam fuisse contendit; sed a Menevensi altero, qui vicesimo quinto loco post Davidem illum sedit, cui jam memoratus Dubricius Legionensis archiepiscopatus honorem cesserit: “Tempore^f Samsonis hujus,” inquit “pallium in hunc modum est translatum: ingruente per Cambriam, isto præsidente, peste quadam, qua catervatim plebs occubuit, quam flavam pestem vocabant, quam et physici ictericiam dicunt passionem, præsul quanquam sanctus et ad mortem intrepidus, tamen ad suorum instantiam navem scandens, flante Circio, cum suis indemnem in Armorica Britannia se suscepit: ubi et vacante tunc forte sede Dolensi, statim ibidem in episcopum est assumptus. Unde contigit ut ob pallii gratiam quod Samson secum hinc illuc attulerat, succedentes ibi episcopi usque ad nostra hæc fere tempora^g, quibus, prævalente Turonorum archipræsule, adventitia dignitas evanuit, pallia semper obtinuerunt.” Cumque ab Innocentio III. pontifice fuisset objectum: “Quin^h immo Eboracensis, ut fertur, fuerat archiepiscopus Samson ille Dolensis;” Giraldus subintulit, “Immo quidem noster fuit, et non aliunde Samson ille; salve, pater, reverentia vestra. Dolenses enim historiæ contestantur. Unde et in eorum sequentia de sancto Samsonem sic reperitur:

Præsul autem Menevensis
Dignitatis in Dolensis
Transfertur fastigium.

Eboracenses autem æquivocatio decipit: cum hoc eodem nomine quidam eorum archiepiscopus nuncupatus extiterat.” Quærenti deinde papæ, “quantum temporis a transitu seu transfretatione Samsonis illius” intercesserit: respondit Giraldus, “quod tempore Gregorii papæ, magni sci-

^e Hoveden. annal. sub fin. histor. ann. 1199. edit. Francof. pag. 798.

^f Girald. itinerar. Cambriæ, lib. 2. cap. 1.

^g Vid. Robertum de Monte, in chronic. ann. 1162. Archiepiscopum Dolensem nominat. Vid. Argentæum, lib. 3. cap. 69. et Hoveden. loco notato, pag. 797.

^h Girald. in dialogo de eccles. Menevens. distinct. 2.

licet doctoris qui Augustinum et socios suos in Angliam transmisit, accidit illud."

Matthæus Florilegus duos Samsones in Dolensi sede ante Gregorii pontificatum constituit. "Per idem tempus Samson Dolensis archiepiscopus, et successor sancti Samsonis, qui de Britannia majori ad minorem transit, doctrina et sanctitate refulsit:" inquit ille, in anni DLXI. historia. Et circa illud sane tempus Parisiensi concilio Samsonem subscripsisse invenimus: de quo etiam ad annum DLXVI. Sigebertus Gemblacensis: "Samson Dolensis archiepiscopus, consanguineus sancti Maelovii, et successor Samsonis Maglorius, qui de transmarina Britannia ad cismarinam transierant Britanniam, clarent sanctitate et doctrina." Utrumque vero, et Samsonemⁱ et Maglorium, Ituti Britanni fuisse discipulum legimus: Samsonem vero a Dubricio^k, Davidis Menevensis antecessore, sacratum, tempore Justinⁱ junioris imperatoris et Childeberti^m Francorum regis claruisse. Trithemiusⁿ ad annum Domini DC. id est, ad Gregorii pontificatum, cum Giraldo, vitam ejus protendit: quod facile admittere possumus, si, ut in vita^o ejus habetur traditum, CXX. annos vivendo is exegerit. Sed sive Gregorii, sive (quod certum est) Childeberti temporibus Dolensem Samsonem floruisse statuerimus: cum Samsone illo, qui in Menevensium archiepiscoporum catalogo ordine post Davidem XXV. numeratur, absque immani anachronismo confundi non poterit. Ut Giraldum cum Menevensibus suis, potius quam Eboracenses, æquivocatio nominis hic deceperit.

In vita certe Teiliavi sive Thelii, Landavensis ecclesiæ

ⁱ Vita S. Samsonis MS. in regesto Landavensi: et impress. in bibliotheca Floriacensi, Johannis a Bosco, cap. 3. Vincent. specul. historial. lib. 21. cap. 105. Vita S. Maglorii, apud Surium, tom. 5. Octobr. 24.

^k Vit. Samsonis MS. et impress. in bibliothec. Floriac. cap. 3. et Capgravi legendæ Angliæ, fol. 377. col. 3. Vincent. specul. lib. 21. cap. 112. Trithem. de vir. illustr. ord. Benedict. lib. 4. cap. 46. et Petr. Equilin. lib. 6. cap. 150.

^l Petr. Equilin. ibid.

^m Vit. Samsonis MS. et impress. in bibliothec. Floriac. cap. 4. et 10. Capgravi legend. fol. 277. col. 4. et vit. Maglorii, apud Surium, Octobr. 24.

ⁿ Trithem. de vir. illust. ord. Benedict. lib. 3. cap. 41. et lib. 4. cap. 46.

^o Vit. cap. 14. in bibliothec. Floriac.

regesto inserta, pestis ista, cujus hic Giraldus meminit, ictericia (Britannis a flavo colore quo affecti morbo tingebantur y gall velen appellata) Mailcono in Guenedotia regnante, erupisse dicitur: Malgone videlicet illo Venedotorum rege, sub quo Davidem Menevensem mortem obiisse, Britannica^p prodit historia. Est vero is Maglocunus ille, quem in epistola sua affatur Gildas, et quod in vicinis insulis grassaretur, insularem Draconem vocat. Circa annum Domini DLX. regnum obtinuisse, in Britannicæ descriptionis fragmento refert Humfredus Lhuydus: ex antiquissimo libro, de legibus Britannorum scripto, electionem ejus sic describens: “ Postquam Saxones devictis Britannis sceptrum regni et coronam Londinensem adepti sunt; omnes Cambriæ populi ad ostium Devi fluminis, ad regem eligendum congregati sunt: et^q illuc venire viri Guynedhiæ, et viri Powysiaë, et viri Deheubarthiæ, et Reynnuçiæ, et Sylluciæ, et Morganiæ; et Malgunum Guenedum in regem elegere.”

Flavam illam pestem pluribus describit supradictus biographus^r, ejusque metu, deserta patria, quosdam in Hiberniam perrexisse scribit, plures vero duce Theliao Landavensi episcopo, sororis Davidis Menevensis filio, ad Armoricas gentes concessisse, sub spirituali Samsonis regimine eo tempore constitutas. “ Audiente,” inquit, “ Samsone Dolensis ecclesiæ archiepiscopo adventu confratris sui in patriam: occurrit ei cum gaudio. Nam de una regione procreati fuerant, et unius linguæ viri, et simul cum B. Dubricio archipræsule edocti, ex cujus manus impositione S. Samson consecratus est in episcopum: ut vita sua testatur. Rogavitque S. Teliaum ut cum illo habitaret: et adquevit ei, et cum eo commoratus est multo tempore.” Sedata deinde peste, abiturum Theliaum a Samsone pontifice et Budico rege Armoricano detentum fuisse ait: “ Nam rex,” inquit, “ et pontifex cum multitudine populorum obviaverunt ei, ut illum deducerent cum condigno

^p Galfrid. Monemuth. lib. 7. cap. 1.

^q Ar yno doethant guyr Guynedh, a guyr Powys, a guyr Deheubarth, a Reynnuc ac Eylluc, a Morganuc.

^r Vid. Galfridum, et Johan. Tinmuthens. ejusque exscriptorem Capgravium, in vita Thelii: et authorem vitæ Oudocef, in regesto Landavensi.

honore ad episcopatum Dolensem; ut sublimarent illum in pontificalem sedem." Galfridus Monemuthensis eodem tempore Davidem Dubricio, et Theliam Samsoni substitutum fuisse narrat: Armoricanorum Britonum regem existente, non Budico, sed Hoelo. "In loco," ait ille^s, "sancti Samsonis Dolensis archipræsulis destinatur Theliam illustris presbyter Landaviæ, annuente Hoelo rege Armoricanorum Britonum; cui vita et boni mores virum commendaverant." Sed vitæ scriptor Theliam, post septem annos mensisque totidem in Armorica peractos, ad sedem Landavensem, cujus tum eum non presbyterum facit, sed archiepiscopum, rediisse significat; relicto Dolensibus Samsone suo. Cum quo et cæteri scriptores consentiunt, successorem^t Maglorium statuentes proprium Samsonis.

In Eboracensi vero metropoli, ut ad eam redeamus, Samsoni Pyramum quendam successisse jam audivimus; pro quo Pyrami nomen apud Matthæum Westmonasteriensem legitur: qui ad annum DXXII. electionem ejus refert; a Britannicæ historiæ consarcinate narrationem mutuatus, de Arthuro rege sic scribente: "Petivit" rex Eboracum, instantis natalis Domini festum celebraturus. Cumque urbem intrasset; visa sacrarum ecclesiarum desolatione, condoluit. Expulso namque beato Samsone archiepiscopo, cunctisque sanctæ religionis viris, templa semi-usta ab officio Dei cessabant: tanta etenim paganorum insania prævaluerat. Exin convocato clero et populo, Pyramum capellanum suum metropolitanæ sedi destinat; ecclesias usque ad solum destructas renovat; atque religiosis cœtibus virorum ac mulierum exornat." Ibidemque postremus Britonum in sede Eboracensi archiepiscopus nominatur Thadiocus: qui una cum Theono Londinensi (ut supra^v ex Matthæo Florilego etiam et libro Roffensi,

^s Hist. Britannic. lib. 9. cap. 15. edit. Heidelberg. in quam Cheliani nomen pro Theliam irrepsit.

^t Author vitæ Maglorii, apud Surium, Oct. 24. Jo. Tinmuthens. et Capgrav. in vita ejusdem. Sigebert. in chronic. ann. 566. Vincent. specul. lib. 21. cap. 121. Petr. Equilin. lib. 9. cap. 103. (ubi Majorus appellatur) Trithem. de vir. illustr. ord. Benedict. lib. 3. cap. 50. et lib. 4. cap. 47.

^v Galfrid. Monemuth. lib. 9. cap. 8.

^w pag. 90.

in anni DLXXXVI. historia, est annotatum) “cum^x omnes ecclesias sibi subditas, usque ad humum destructas vidisset; cum omnibus ordinatis, qui in tanto discrimine superfuerant, diffugit ad tutamina nemorum in Guallias.” Deinde, regnantibus hic Anglo-Saxonibus, anno Domini DCI. de constituenda hac metropoli, ita scripsit ad Augustinum legatum suum papa Gregorius: “Ad^y Eboracum civitatem te volumus episcopum mittere, quem ipse iudicaveris ordinare: Ita duntaxat, ut si eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim episcopos ordinet, et metropolitani honore perfruatur; quia ei quoque, si vita comes fuerit, pallium tribuere Domino favente, disponimus.” Augustinus autem, si Giraldo Cambrensi credimus, “Doroberniæ^z, quam sibi sedem elegerat, totam Angliam fere, nempe XII. vel XIII. amplos episcopatus subiecit; Eboracensem ecclesiam fere monoculam relinquens: illud ad mentem, quam monachus, revocando; maledictus qui partem suam deteriorem fecerit.” Verum, et Augustino et Gregorio jam vita functis, Edwinus Nordanhumbrorum rex Eboraci, anno DCXXVII. baptizatus, “in^a ea civitate ipsi doctori atque antistiti suo Paulino sedem episcopatus donavit:” cui et Honorius I. misso pallio, jus metropolitani confirmavit; ut ex literis ipsius apud Bedam^b videre licet. Post cæsum vero Edwinum inde “recedente^c Paulino, Eboracensis ecclesia per XXX. annos, proprium non habuit episcopum: sed Lindiffarnensis ecclesiæ præsules, Aidanus, Finanus, Colmannus, et Tuda, Nordanhumbrorum provinciæ administrarunt pontificatum.” Qui licet essent “Eboracæ^d civitatis episcopi metropolitani,” uti de Colmanno, eademque ratione de reliquis, scribit Bedæ æqualis Stephanus presbyter: tamen “nec pallio, nec urbis nobilitate valuerunt attolli, in insula Lindiffarnensi delitescentes;” quemadmodum in libri tertii de

^x Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 10.

^y Gregor. regest. lib. 12. epist. 15. Bed. hist. eccl. lib. 1. cap. 29.

^z Girald. de statu eccles. Menevens. distinct. 2.

^a Bed. lib. 2. hist. cap. 14.

^b Ibid. cap. 17, et 18.

^c Sim. Dunelmens. in epist. de archiepiscopis Eborac.

^d Stephan. (qui et Eddi) in vita Wilfridi, cap. 10.

gestis pontificum initio a Malmesburiensi est notatum. Atque ita Eboracensis^e honor, ait Ranulphus Cestrensis, “ ab initio usque hodie ibi duravit: quamvis Albania processu temporis ab ejus subjectione se subtraxit.”

Et de duabus primis sedibus metropolitici ista dixisse sufficiat: quas solas genealogiæ Britannicorum regum scriptor agnovisse videtur, qui sub Henrico VI. Anglorum rege claruit. Faganum enim et Damianum, anno ab incarnatione Domini CLVI. “ Rege favente duos archiepiscopos, Londoniis et Eboraci, ordinasse” asserit. Quem admodum et Caxtonus^f, ad sua tempora respiciens, “ Regem duos tunc fecisse scribit archiepiscopos; Cantuariæ unum, Eboraci alterum.” A reliquis vero omnibus tertia sedes ab iis constituta dicitur.

Nobilis^g urbs, et amœna situ, quam labilis Osca
Irrigat:

ab eo situ, Britannis Cair-Leon ar Usk dicta; ad differentiam alterius^h urbis Legionum super Devam fluvium, quæ nobis Cestria, illis Cair-Leon ar Dour-dwy appellatur, et a nonnullisⁱ cum hac non recte confunditur. Hinc et in Itinerario (cui vulgati codices Antonini dant titulum, Flodoardus^k Æthici, vetus MS.^l Scoti.) nostra hæc Isca Leg. August. notatur nomine, tum ab Isca flumine ad cuius ripas sita est, tum a legione secunda Augusta quam sub Romanorum imperio stationem hic egisse, antiquæ inscriptiones inibi repertæ fidem faciunt; tametsi cam a Ptolemæo non ad hanc Silurum, sed ad alteram Danmoniorum Iscam statui non ignorem. Est autem Danmoniorum illa in Devonia sita, Exoniæ nomine notissima: Silurum hæc in Monemuthensi comitatu posita, quem Remneius fluvius hodie sejungit a Glamorgantia, in

^e Ranulph. polychronic. lib. 1. cap. 52.

^f Guil. Caxton. chronic. Anglic. cap. 44.

^g Pseudo-Gild. Pœm. lib. 7.

^h Ranulph. Cestrens. polychronic. lib. 1. cap. 48.

ⁱ Jo. Balæus script. Britann. centur. 1. cap. 47. Ric. Stanhurst. in appendic. rer. Hibernic. cap. 18. Guil. Harrison. descript. Britan. lib. 1. cap. 9. et lib. 2. cap. 13. Nic. Harpsfeld. hist. ecclesiast. Anglican. lib. 1. cap. 26.

^k Flodoard. hist. Remens. cccl. lib. 1. cap. 1.

^l Dempster. histor. ecclesiast. Scotor. lib. 1. pag. 60.

qua, quum alii horum agrorum essent limites, Galfridus^m Monemuthensis urbem Legionum collocavit. “ Tresⁿ egregiæ,” si Giraldum Cambrensem audimus, “ in hac urbe antiquis temporibus fuerunt ecclesiæ. Una Julii martyris; virgineo Deo dicatarum regularium choro venustata. Altera vero beati Aaron socii ejusdem nomine fundata, et canonicorum ordine præclaro nobilitata. Tertia vero, metropolitana sede Cambriæ totius insignita :” quam tamen cum secunda eandem facit Galfridus: qui duas tantum insigniores ecclesias nobis hic exhibet: “ Duabus,” inquit^o, “ eminebat ecclesiis, quarum una in honore Julii martyris erecta, virgineo Deo dicatarum puellarum choro perpulchre ornabatur, altera vero in beati Aaron ejusdem socii nomine fundata, canonicorum conventu subnixâ, tertiam metropolitanam sedem Britanniaë habebat.”

In ea fuisse archiepiscopatum tempore Britonum, in primo historiarum libro refert etiam Henricus Huntingdoniensis: ad quem sub annum CCCCXC. Dubricium a rege Aurelio Ambrosio provectum fuisse ex fide Matthæi Florilegi, non nostra diximus, jam vita functo Tremouno^p, qui Legionensis Tremorinus episcopus est Pseudo-Gildæ^q. Verum in libello qui de primo statu Landavensis ecclesiæ et vita archiepiscopi Dubricii est scriptus, indeque in Dubricii vita a Johanne Tinmuthensi abbreviata, longe ante hoc tempus a Germano Antissiodorensi et Lupo Trecensi episcopo constitutus hic in sede Landavensi, non procul ab urbe Legionum, archiepiscopus fuisse dicitur: “ Postquam prædicti seniores,” inquit author ille, “ Pelagianam hæresim extirpaverant, episcopos pluribus in locis Britanniaë consecraverunt. Super omnes autem Britannos dextralis partis Britanniaë beatum Dubricium summum doctorem, a rege et ab omni parochia electum, archiepiscopum consecraverunt. Hac dignitate ei a Germano et Lupo data; constituerunt ei episcopalem sedem

^m Galfrid. hist. Britan. lib. 4. cap. 19. et lib. 9. cap. 12.

ⁿ Girald. itinerar. Cambr. lib. 1. cap. 5.

^o Galfrid. Monem. lib. 9. cap. 12. lib. 7. cap. 4.

^p Id. lib. 8. cap. 10.

^q Poem. lib. 6

concessu Mourici regis, principum, cleri et populi, apud Podium Lantavi in honore S. Petri apostoli fundatam." South-Wallia autem, sive australis Wallia, Britannice Deheu-barth, id est, dextralis pars dicitur: ut notum est, et a Giraldo notatum, in Cambriæ descriptione, capite secundo. Cambro-Britanni enim australem plagam, Hebræorum^r more, dextræ nomine designant. Unde Asserius Menevensis^s, Britanniam a Saxonia, hoc est, Cambriam ab Anglia distinguens, "omnes regiones dextralis Britanniae partis ad Ælfredum regem pertinuisse" scribit; et "regionem dexteralium Saxonum, Saxonice South-seaxum"^t appellatam esse, ab australi eorum situ mutuato vocabulo: eademque ratione Johannes, Sulgeni Menevensis episcopi filius, Tivio fluvio Cereticæ regionis, Abertiviensis a Cambris inde denominatæ, Australem limitem circumscribens, ita rem expressit:

Immensus fluvius dextrales irrigat oras;
Ac latus occiduum latum mare proluit.

Ecclesiam^u vero cathedralem Landavensem nonnulli perhibent a Lucio rege primum fuisse constructam, circa annum salutis CLXXX. episcopos quoque a tempore Eleutherii papæ eam habuisse, in concilio Remensi, anno M CXIX. ad Calixtum II. retulit Urbanus Landavensis episcopus ut postea videbimus. Primus tamen in præsulum, qui apud Landavenses asservatur, catalogo hic ipse ponitur Dubricius: qui in Galfridi Monemuthensis historia "Britanniæ^w primas" appellatur, et "apostolicæ sedis legatus;" in vita Ælgari eremitæ, "archipræsul dextralis Britanniae;" in dicto de statu Landavensis ecclesiæ libello, "Metropolita totius dextralis magnæ Britanniae primas, ac apostolicæ sedis legatus in civitate metropolitana Landavensi." De eo, ex Lelando, Balæus: "Contigit^x ut Dubricius, Landavensis protopræsul sedis, autoritate synodi archiepiscopus urbi legionum ad Iscæ fluentia anno Do-

^r Psa]. 89. ver. 12.

^s Asser. in vit. Ælfredi, ad ann. 884.

^t Sussex.

^u Fr. Godwin. initio catalogi Landavensium episcoporum.

^w Galfrid. lib. 9. cap. 12.

^x Jo. Balæ. centur. 1. cap. 58.

mini DXII. designaretur. Non diu caruit suo gubernatore Landavia. Nam Thelias, ut eo munere dignus, a patribus continuo surrogatus est." Addit Galfridus ab eodem Dubricio urbis Legionum tunc archiepiscopo, Arthurum regni Britannici diademate insignitum: quod factum ab eo anno gratiæ DXVI. notat Matthæus Florilegus: eundemque in curia illa magna quam apud urbem Legionum Arthurus tenuisse dicitur, "in^z eremiticam vitam anhelantem, sese ab archiepiscopali sede deposuisse," sacro in ejus locum Davide regis avunculo.

Eodem tempore, Davide procurante, Meneviam, quæ in Pembrochiensi agro prosita, a Cambro-Britannis Mynyw, et ab hoc Davide, Twi-Dewy, id est domus Davidis, appellatur, metropolitanæ sedis factam asse translationem, refert Giraldus Cambrensis^a: et postea in Breviensi synodo confirmatam: "in illa scilicet synodo magna episcoporum omnium et abbatum Cambriæ totius, necnon et cleri universi ibidem una cum populo collecta propter Pelagianam hæresim (quanquam olim a beato Germano Altisidiorensi episcopo ab insula Britannica deletam) his denuo in partibus recidivo morbo redivivaque peste jam tunc emersam. Ubi et unanimi totius conventus tam electione quam acclamatione, quanquam invitus et renitens, David in archiepiscopum est sublimatus: præsertim cum beatus quoque Dubricius in memorata urbis Legionum curia, eidem paulo ante sua tam destinatione quam nuncupatione cessisset honorem; sede metropolitana ab urbe Legionum usque Menevia abhinc translata." Ita Giraldus: completum in hoc esse asserens^c illud Merlini Ambrosii vaticinium, "Menevia^d pallio urbis Legionum induetur."

In Ceretica, ad locum qui in Davidis memoriam Lhandewy-brevy, id est fanum Davidis de Brevy, appellatur, habita est ista synodus: in qua, "expulsa hæresi," inquit,

^y Hist. Britan. lib. 9.

^z Id. ibid. cap. 15.

^a Girald. Itinerar. Camb. lib. 1. cap. 5. et lib. 2. cap. 1.

^b Id. Itinerar. lib. 2. cap. 4.

^c Id. Itinerar. lib. 1. cap. 5. et dialog. de eccles. Menevens. distinct. 2.

^d Galfrid. Monemuth. lib. 7. pag. 49. edit. Heidel. vel lib. 1. fol. 52. b. edit. Paris. ann. 1517. ubi Mœnia perperam posita pro Menevia.

in vita Davidis, Johannes Tinmuthensis, “et fides sanis pectoribus roboratur; et sanctus David totius Britanniae archiepiscopus constituitur, necnon civitas ejus totius patriae metropolis dedicatur, ita ut quicumque eam regeret, archiepiscopus foret.” Anno Christi DXIX. eam synodum coactam fuisse, Johannes^c Balæus asserit. Ranulphus^f vero Cestrensis, eodem anno quo in exilio mortuus est pontifex Romanus Sylverius, qui æræ Christianæ DXL. numeratur, Davidem “præsulatum Menevensem” suscepisse; eodemque anno quo Gregorius magnus est defunctus, qui ejusdem epochæ DCIV. fuit, “in Wallia obiisse,” scribit. Mariani Scoti interpolator^g, ad annum Christi secundum Ecclesiam, (ut ille supputat) DLXV. secundum Dionysium vero (cujus rationes ecclesiæ nostræ sequi solent) DXLIII. Davidem “Menevensem præsulatum in Wallia suscepisse” asserit. Priorem numerum Radulphus de Baldock Londinensis episcopus in chronico suo simpliciter hic retinuit: eo anno “Davidem, qui et Dewy dicitur, Menevensem episcopum factum esse” annotans: ut et magnæ Glastoniensis tabulæ consarcinator, “anno Domini DLXV. (vel, ut alius ejusdem cœnobii chronographus mavult, DLXVI.) Davidem archiepiscopum Menevensem Glastoniam venisse” referens.

Ad mortis autem tempus quod attinet: Guilielmus Malmesburiensis, in libro de Glastoniensis ecclesiæ antiquitate, et eum secutus Johannes Tinmuthensis in vita S. Patricii, excessisse illum anno Domini DXLVI. affirmat. Galfridus Monemuthensis, post commemoratam ad annum DXLII. Arthuri mortem, sub ejus successore Constantino Cadoris filio, quem tertio deinde anno a Conano interfectum fuisse addit, Davidem mortem cum vita commutasse narrat: “Tunc,” inquit^h, “obiit sanctissimus urbis Legionum archiepiscopus David in Menevia civitate, intra abbatiani suam, quam præ cæteris suæ diocesis mo-

^c Balæ, script. Britann. centur. 1. cap. 55.

^f Polychronic. lib. 5. cap. 6. et 10.

^g Marian. chronic. MS. in publica Oxoniensis academix bibliotheca.

^h Britan. hist. lib. 11. cap. 3.

nasteriis dilexerat; quia beatus Patricius, qui nativitatem ejus prophetaverat, ipsam fundavit. Dum enim ibi apud confratres suos moram faceret, subito languore gravatus, defunctus est; et jubente Malgone Venedotorum rege in eadem ecclesia sepultus. Pro eo ponitur in metropolitana sede Kinocus Lampaternensis ecclesiae antistes et ad altiorum dignitatem promovetur.”

Kinocum istum Cenancum appellat Giraldusⁱ, et Davidi in archiepiscopatu Menevensi successisse scribit: sicut et Cenauco Eliud, qui et hodie Teliu dicitur^k, qui et in ecclesiae Menevensis archivis immediatus Davidis successor constituitur. Extat vita illius a Galfrido Urbani Landavensis episcopi fratre, circa annum Domini MCXX. conscripta, et ecclesiae illius regesto, quod ab hoc praeside, sicut et ipsa sedes Landavensis, Teilo appellatur, tacito scriptoris nomine, inserta, ubi Dubricio in Landavensi archiepiscopatu successisse; defuncto, sed longo interposito intervallo, Davide, Ismaelem Dubricii discipulum illius loco Menevensis episcopum consecrasse, ac “ principatum super omnes ecclesias totius dextralis Britanniae tenuisse,” traditur.

Britannica vero historia^l etiam tum, quum Theonus Londinensis et Thadiocus Eboracensis praesul cum clero suo ad Cambriae nemora confugere sunt coacti, dignitatem metropolitanam in urbe Legionum permansisse confirmat. Atque eo demum^m tempore, ad Menevensis civitatem archiepiscopatum urbis Legionum translatum fuisse asserit Alanus Insulensis; “ paulo antequam Augustinus a B. Gregorio in Britanniam mitteretur.” Quanquam et ipsius Augustini temporibus in urbe Legionum sedem archiepiscopatus adhuc haesisse, cum ab aliis, tum ab autore chronici quod Brutus appellatur, proditum inveniam. Unde eosdem Legionenses et Menevenses antistites tunc fuisse Giraldus subindicat; in dialogo de ecclesia Mene-

ⁱ Girald. Itinerar. Cambr. lib. 2. cap. 1.

^k Girald. Cambrens. in vita S. Davidis.

^l Galfrid. Monemuthensis, lib. 11. cap. 10. Matt. Florileg. et liber Roffensis, in historia anni 586.

^m Alan. in prophetiam Merlini, lib. 1.

vensi, distinctione secunda, ita scribens: "Habuimus apud Meneviam urbis Legionum archiepiscopos successive viginti quinque: quorum primus fuit S. David, ultimus vero S. Samson; qui ingruente per Walliam ictericia clade, in Armoricam Galliaë Britanniaë navigio se transtulit cum pallio nostro."

Verum pestem illam ictericiam vel ipsius Davidis vel proximi illius successoris tempore in Wallia grassatam esse, jam ante ostendimus. A qua sententia non multum etiam discedunt historici Magdeburgenses, Samsonem "Dubricio (Davidi, dixissent potius) in episcopatu Menevensi successisse; eoque relicto propter morbum regium, in Britanniam Armoricam abiisse, et Dolensem episcopatum adeptum esse," referentes. Ut, si epidemicus ille morbus sub Menevensis alicujus Samsonis pontificatu acciderit; non alius ille videri esse posset, quam ipse Thelias: quem "S. Samsoni archiepiscopo primo Dolensis civitatis" familiarem fuisse, sedisque illius "et privilegii totius gentis Armoricaë" consortem ab eo factum, in Landavensi regesto legimus. Eum præterea et Eliud et Madocum dictum fuisse, notat in ejus vita Johannes Tinmuthensis; prioris nominis hanc reddens rationem: "Post incrementum ætatis, virtutum et sapientiaë, congruo nomine Helios a sapientibus nuncupatus est. Ἡλιος enim Græce, Latine sol interpretatur. Fulgebat enim sicut Sol doctrina ejus, fidelium illustrando corda. Sed, laicis extremum vocabuli corrupte proferentibus, inolevit quod non Elios sed Eliud appellabatur." Græco autem illi cognomento, Hebraicam nominis Samsonis notationem (a שמש quod solem significat, deductam) ex Hieronymi Hebraicorum nominum libello, et Eucherii Instructione, libro secundo capite primo, sapientes isti didicerant. Qua ratione etiam Epiphonio, de Sampsæorum hærese agentis, Σαμψαῖοι^o sunt Ἡλιακοὶ, et Stephano Byzantio, de Sampsæ Arabiaë urbe scribenti, Σάμψα παρὰ τοῖς Ἀραβι ὁ ἥλιος, Samsa sol est apud Arabas. Quemadmodum igitur Galfridus Monemuthensis Samsoni, Eboracensi quondam

^o Centur. 6. cap. 10. col. 747.

^o Epiphan. hæres. 53.

episcopo, Theliam, ita Matthæus Westmonasteriensis eidem Samsoni alium Samsonem in sede Dolensi successisse asserit: quos pro uno et eodem biographi accepisse videantur. Sed de hac conjectura sentiat quisque, ut lubet.

De metropolis suæ Menevensis dignitate adjicit Giraldus: "Usque^p ad Anglorum regem Henricum primum, qui Walliam sibi subjugavit, et ecclesiam Wallensicam Anglicanæ supposuit, totam metropolitica dignitatem, præter usum pallii, ecclesia Menevensis obtinuit; nulli ecclesiæ prorsus nisi Romanæ tantum, et illi immediate, sicut nec Ecclesia Scotica, subjectionem debens." Item "Nostris^q, vel propter ignaviam vel paupertatem, aut potius propter Anglorum adventum in insulam et Saxoniam interpositam hostilitatem, ea occasione (translati videlicet per Samsonem ad sedem Dolensem pallii) continue pristina caruerunt dignitate. Semper tamen usque ad plenam, quæ per Anglorum regem Henricum primum facta est, Cambriæ subactionem, episcopi Walliæ a Menevensi antistite sunt consecrati; et ipse similiter ab aliis, tanquam suffraganeis, consecratus: nulla penitus alii ecclesiæ facta professione vel subjectione." Sub ipso tamen Henrico I. Bernardus, qui illius mandato primus Normannorum sedem illam occupavit, et Cantuariæ consecrationem suscepit, non solum "ecclesiæ suæ jura publice protestatus est; sed etiam crucem interdum sibi præferri per Cambriæ fines attentavit:" et sub successore illius rege Stephano, anno MCXLVIII. in Remensi concilio cum Theobaldo Cantuariensi archiepiscopo hac in causa certamen iniit; cujus cognitio ad Romanam curiam inde^s revocata (ut ex

^p Girald. Dialog. de eccles. Menevens. distinct. 2.

^q Id. ibid. et Itinerar. Cambriæ, lib. 2. cap. 1. Videndus et Hovedenus, pag. 98. edit. Francofurt.

^r Wilfrido succedens: de quo in Florentii Wigorniensis chronico, ad annum secundum Dionysium 1115. legimus, "Wilfridus episcopus de Sancto David in Walonia obiit. Usque ad illum episcopi extitere Britonici."

^s The rescript of Eugenius seemeth to have been before the council of Rhemes: for Giraldus notes that therein Bernard was cast: who died also anno 1148. as the chronicle of Wales witnesseth. Compare the date of the council of Rhemes with the time noted in Eugenius his rescript.

Eugenii III. rescripto intelligitur, quod cum aliis huc spectantibus, ex Giraldo annalibus suis Hovedenus^t inseruit) eum tandem finem est sortita quem, qui tum claruit, Henricus Huntingdoniensis ita retulit: "Tempore" nostro recepit episcopus sancti David pallium a papa, quod scilicet fuerat olim apud Kair-legion: sed statim tamen amisit."

At Landavenses negant ecclesiam suam sedi Menevensi subjectam unquam fuisse; et episcopos suos, inde ab Oudoceo, quem tertium suum archiepiscopum illi numerant, a Cantuariensi semper præsule consecrationem accepisse contendunt; quæ de re, hujusmodi extat ab Urbano Landavensi episcopo ad Calixtum II. pontificem in Remensi concilio anno MCXIX. facta protestatio. "A tempore"^w antiquorum patrum, dilectissime pater et domine, sicut chirographum sancti patroni nostri Teiliavi testatur, hæc ecclesia prius fundata in honore sancti Petri apostoli, aliarum omnium ecclesiarum Gualia^x semper magistra extitit in dignitate, et in omni privilegio: donec tandem per seditiones et tot bellorum flagitia, et inveterato antecessore meo Herwoldo, et inde debilitato, ecclesia cœpit debilitari, et fere viduata pastore, et annihilata indigenarum crudelitate, et invasione supervenientis gentis Normannicæ. Semper tamen religiosi viri ad servendum in ea hæserunt, tum propter Anglorum viciniam, a quibus in ecclesiastico quidem ministerio nihil discrepabant; quia apud eosdem fuerant tam nutriti, quam eruditi: tum etiam quod ab antiquis temporibus, id est, a tempore Eleutherii papæ sedis Romanæ episcopus illius loci, et post adventum Augustini in Britanniam insulam Dorobernensis ecclesiæ metropolitanæ, ejusdem archiepiscopo simul et regi Anglorum semper fuerat subditus et per omnia obediens."

In vita Oudocei^x, qui filius Anaumedæ sororis S. Thelii fuisse traditur, et illius de quo diximus Budici, regis Britannicæ Armoricæ, quæ a Cambro-Britannicis scriptoribus Letavia^y et Cornugallia et Cerniu-budic appellatur, suscep-

^t Rog. Hoveden, sub finem histor. anni 1199.

^w Huntingdon, histor. lib. 1.

^x Ex regesto Landavensi.

^y Ex regesto Landavensi.

^z Lhylaw.

tio illius, post acceptam a Cantuariensi antistite consecrationem, sic habetur descripta. "Rex Mouricus, cum duobus filiis suis et uxore sua Oubraus filia Gurcanti magni, et tribus abbatibus trium cœnobitarum, et cum omnibus principibus regni sui et tota familia sanctorum Dubricii et Teliaui ecclesiæ Landavensis, suscepit eum cum gaudio: dans et confirmans idem privilegium datum antea sancto Dubricio sanctoque Teliauo et suis succedentibus, cum omni dignitate sua et libertate, id est, sine consule, sine proconsule, sine conventu, intus nec extra, sine expeditione, sine vigilanda regione infra nec extra, et cum tota curia sua plenaria et libera et integra ut regia: et cum suo refugio non ad tempus sed sine termino, quamdiu voluerit profugus, maneat tutus sine protegente clypeo humano sub ejus asylo:" posteaque additur, "sicut Romana Ecclesia excedit dignitatem omnium ecclesiarum catholicæ fidei: ita ecclesia illa Landavia excedit omnes ecclesias totius dextralis Britanniæ, in dignitate et in privilegio et in excellentia." Ac si illa Australis Cambriæ sive South-Walliæ, alia vero aliqua Venedotiæ seu North-Walliæ fuisset metropolis.

Et sane Elbodium^z North-Walliæ archiepiscopum anno DCCCIX. obiisse, in Caradoci Lancarvanensis chronico legimus: illum nimirum vel Elbodum vel Elvodugum, (variant enim hic exemplaria,) cujus se discipulum profiteretur Ninius: nisi forte Elvogus is fuerit, qui in Landavensium episcoporum catalogo ordine XVI. recensetur: nam et Bangorensis North-Walliæ civitas, in vita Dubricii, sub archiepiscopatu Landavensi fuisse memoratur. Alibi vero, tum ipse Dubricius^a, tum successor illius Thelias^b, in omnes ecclesias occidentalis Britannæ principatum tenuisse dicitur: quo nomine videndum an universa Cambria comprehendatur, ut apud Huntingdoniensem^c, et alios, an

^z Vid. Balæum, Centur. I. cap. 72. et Humfred. Lhuyd. fragment. Britan. descript. fol. 55. b.

^a Vit. Samsonis, in regesto Landavensi.

^b Jo. Tinmuthensis in vita Thelias.

^c In occidentali parte Britannæ, quæ vocatur Wallia, tres supersunt episcopatus. Henr. Huntingd. hist. lib. 1.

pars tantum illius occidentalis, quæ Anglis ab eo situ West-Wallia nuncupatur, Cambro-Britannis Dyvet, in qua septem episcopales domos fuisse, Hœlii Boni (Howelis Dhaillis dicti) leges confirmant. Meneviam scilicet cum ecclesia Ismaelis, Decemnan, Vessult, Teilau, Teuledauc, et Keneu.

Totidem episcopatus universam Cambriam, regnante Lucio, Legionensi archiepiscopo subjectos habuisse, Ranulphus Cestrensis asserit. "Urbi^d," inquit, "Legionum subjacuit tota Cambria, septem tunc episcopis, nunc vero quatuor suffraganeis insignita: quam flumen Sabrinæ tunc secernebat a Lœgria." Quatuor autem quæ nunc sunt sedes episcopales enumerat Giraldus, tum in Cambriæ descriptione, capite quarto, tum in dialogo de ecclesia Menevensi, distinctione secunda, ubi de provinciali Romano ab Innocentio III. producto refert ista: "Cum de jure Menevensis ecclesiæ metropolitico mentio facta fuisset; præcepit papa registrum afferri, ubi de universo fidelium orbe singulorum regnorum tam metropoles per ordinem, quam earum quoque suffraganeæ numerantur ecclesiæ pontificales: et cum verteretur ad regnum Anglorum, scriptum in hunc modum et lectum ibidem fuit. Cantuariensis metropolis suffraganeas habet ecclesias istas, Roffensem, London. &c. per ordinem. Enumeratis autem singulis ecclesiis suffraganeis Angliæ; interposita rubrica tali, de Wallia, persequitur in hunc modum. In Wallia Menevensis ecclesia, Landavensis, Bangoriensis, et de Sancto Asaph."

Et supersunt quidem ad hunc usque diem in Wallia episcopatus isti quatuor: (quibus a Radulpho Nigro et quintus additur quem Sancti Germani appellat) sed jam inde ab antiquissimis Lucii temporibus extitisse, haud facile quis crediderit. Landavenses^e certe primum in urbe sua sedem episcopalem fixisse Dubricium profitentur; Menevenses^f successorem illius Davidem in sua; Asaphenses^g in Elguensi sua civitatula Davidis æqualem Ken-

^d Ranulph. polychronic. lib. 1. cap. 52.

^e Supr. pag. 102.

^f Ibid. pag. 104.

^g Johan. Tinmuthens. in vita Kentigerni.

tigernum Glascuensem, Asaphi magistrum: Bangorenses denique Daniele^h, a Dubricioⁱ consecratum, eo in loco, in quo postea nova civitas Bangor, super fluvium Mea-nath^k, ut scribit Rossus Warwicensis, a Mailgone rege est erecta: qui in vita S. Paterni (a quo sub idem quoque tempus Paternensis in Ceretica episcopatus duxit origi-nem) Mailgunus rex Borealium Britonum appellatur, post-eaque, juxta Galfridi quidem Monemuthensis rationes, circa annum DLI. juxta Matthæum vero Westmonasteri-ensem, anno DLXXXI. Britonum Cambrensiū omnium monarcha electus fuisse dicitur: de qua electione supra^l libri Britannici verba produximus. Sub Davide vero episcopos fuisse septem, Glastoniensium antiquitatum scriptores referunt. Inter quos præcipuus Guilielmus Malmesburiensis “magnum illum Davidem Menevensium archiepiscopum, Glastoniensis ecclesiæ dedicationi inten-dentem, cum episcopis septem, quorum primas erat, ad locum venisse” narrat. Glastoniensis etiam tabula simi-liter: “Anno Domini DLXV. sanctus David archiepis-copus Menevensis, cum septem episcopis suffraganeis suis, Glastoniam venit ad ecclesiam beatæ virginis dedican-dam;” et alter ille de quo diximus, Glastoniensis chrono-graphus: “Anno DLXVI. sanctus David, Legionum ar-chiepiscopus, cum septem episcopis, quorum ipse primas erat, venit Glastoniam, et vetustam ecclesiam in honore sanctæ Mariæ dedicare disposuit.”

Postea quoque septem^m Britonum episcopos ad syno-dum, cui Augustinus Gregorii I. legatus intererat, venisse refert Beda: de quo historia Britannica: “Postquamⁿ autem venit Augustinus, invenit in eorum provincia septem episcopatus et archiepiscopatum religiosissimis præsulibus munitos, et abbatias complures, in quibus grex Domini rectum ordinem tenebat.” Quem archiepiscopatum idem ipse David eousque retinere potuerit; si id admitteretur

^h Jo. Balæ. centur. 1. script. Britann. cap. 59. et eum secutus Jo. Pitsius, num. 52.

ⁱ Vit. Dubricii, in regesto Landavensi.

^k Menai.

^l Pag. 98.

^m Bed. lib. 2. hist. eccles. cap. 2.

ⁿ Galfrid. Monemuthi lib. 11. cap. 12. edit. Heidelberg.

quod a Ranulpho est traditum, eodem anno et illius et Gregorii magni obitum contigisse. “Quod^o autem septem tunc erant episcopi Britonum,” inquit Giraldus, “cum hodie non nisi quatuor; hæc ratio assignari potest: quia plures tunc forte fuerant in hoc Walliæ spatio quam nunc sunt sedes cathedrales, vel potius se tunc ampliori Wallia fine, quasi usque ad Sabrinæ^p fluvium, dilatabat.”

Samsonē sedente, Menevensi antistiti septem subfuisse suffraganeos, ecclesiæ illius archiva perhibent: “Landavensem, Bangorensem, Asaphensem, Exoniensem, Bathonensem, et Fernensem in Hibernia.” Sed^q pro episcopatu Exoniensi, Bathonensi, et Fernensi, qui omnibus provinciæ^r Laginensis ecclesiis in Hibernia aliquando præerat, nulli autem Britannię archiepiscopatu unquam suberat, multo probabilius Rogerus Hovedenus Paternensem, Wigornensem, et Cestrensem substituit. “Omnes^s enim episcopos Menevensis ecclesiæ, a discessu S. Samsonis usque ad tempus Henrici regis Angliæ primi, omni dignitate archiepiscopali usos” fuisse asserit, “excepto pallio, et habuisse suffraganeos septem: scilicet Landavensem, et de sancto Paterno, in Kerdigan, (quæ sedes, quia^t parochiani pastorem suum interfecerunt, olim obsolevit, et Menevensi diœcesi est adunata) et Bangorensem, et de sancto Asaph, in Wallia vero ab Anglis dudum occupata trans Sabrinam, Cestrensem, et Herefordensem et Wigornensem.” Ad hanc recensionem proxime accedit, sed variatis aliquantulum nominibus, Johannes Balæus; quem episcopum in Hibernia nostra a rege Edvardo VI. fuisse constitutum, D. Abrahamo Sculteto τῷ μακαρίτην narrare me aliquando memini, quamvis, fallente ipsum memoria, Johannis^u Foxii et Henrici VIII. nomina in

^o Girald. de eccles. Menevens. distinct. 2. et Itenerar. Cambriæ, lib. 2. cap. 1.

^p Supr. pag. 79, et 110.

^q Fr. Godwin. in Menevensium episcop. catalog. pag. 603.

^r Vitæ S. Edani, et S. Molyngi. MSS.

^s Rog. Hoveden. et Gualter. Coventrens. in histor. anni 1199.

^t Vid. Girald. Itinerar. Camb. lib. 2. fin. cap. 4.

^u Scultet. uarrat. historic. de curriculo vitæ suæ, edit. ann. 1625. pag. 59, 60.

Diaria sua ille retulerit. “Augustinus,” ait^w Balæus, “in Wigorniensis provincia anno Domini DCII. synodum celebravit, in hunc finem, ut Britanniae clerum Romanæ ecclesiæ obsequentem haberet. Ad hanc synodum vocati, venerunt Britannorum episcopi septem. Nam illis diebus sub Menevensi metropolitano, ad eum numerum, Asiaticorum more, principales ecclesias cum ordinationibus habebant: quarum tunc erant nomina: Henefortensis, Tavensis, Paternensis, Banchorensis, Eluiensis, Wiccensis, ac Morganensis.” Ita Balæus; atque eum hic secutus Matthæus Parkerus, vel Johannes Josselinus potius, in libro^x de antiquitate Britannicæ ecclesiæ: licet apud eundem, in vita Augustini, Uniacensis pro Wiccensi, et pro Eluiensi operarum incuria nomen irreperit Cluiensis; quo Glocestrensem episcopatum designatum fuisse, librarii errore hoc minus animadverso, Camdenus^y opinatus est.

Ex septem illis a Balæo commemoratis episcopalibus sedibus, prima Henefortensis eadem est cum Herefordensi; quæ Britannis Henford, id est, vetus via, dicitur. Secunda Tavensis eadem cum Landavensi, ad Tavum annem sita, indeque^z nomen adeptæ: in qua Dubricius^a sedisse dicitur. Tertia Paternensis est Lhan-padern-vaur (quam ecclesiam Paterni magni interpretatur Giraldus^b) in Cereticæ sive Cardiganicæ parte boreali: nam

Hujus ad Arctos locus est, metropolis alta,
Antistes sanctus quo duxit jure Paternus
Egregiam vitam septenos terque per annos :

ut in vita Sulgeni, qui hinc ortus est, cecinit filius ejus Johannes: ubi et Kinocum sive Cenausum, Davidis Menevensis in archiepiscopatu postea successorem, Arthuri regis tempori-

^w Bal. Scriptor. Britann. centur. 1. cap. 70.

^x Edit. Londin. ann. 1572. pag. 11, 12.

^y Camden. in Gloucestershire, pag. 255.

^z Girald. descript. Cambriæ, cap. 5.

^a Jo. Tinmuthens. in vita Dubricii, et Illuti.

^b Girald. Itinerar. Cambr. lib. 2. cap. 4.

bus antistitem sedisse, ex Britannica^c historia audivimus. Quarta Banchorensis est Hovedeni Pangorensis sive Bangorensis, in Arvoniam: cui Daniele^d episcopum præfuisse diximus. Quinta Eluiensis, illa est quam ab Asapho, proximo in illa sede Kentigerni successore, Asaphensem Angli; ab Elwy fluvio, ad quem sita est, Cambro-Britanni Lhan-elwensem vocant. Giraldus^e pauperulam cathedram Lan-elwensem appellat: quam idcirco, ut minus notam, in Wallensium episcopatum censu Henricus Huntingdoniensis^f prætermittit: quanquam illius temporibus Gervasius Dorobernensis ab archiepiscopo Theobaldo Lambethæ anno MCXLIII. sacratum fuisse referat Gilbertum Lan-elvensis ecclesiæ episcopum: cui post octennium successor datus est, toties, ob antiquiorum authorum defectum, a nobis productus Galfridus Arthurus^g; “qui historiam Britonum de lingua Britannica transtulit in Latinam.” Ecclesia sexta Wiccensis, Hovedeni est Wigornensis, sedes præcipua Wicciorum; in quorum et occidentalium Saxonum confinio, cum proximæ Britonum provinciæ episcopis et doctoribus colloquium ab Augustino institutum fuisse narrat Beda^h. Septima vero Morganensis, aliis Glamorgacensisⁱ et Glamorganensis dicta, non alia est quam Landavensis, in regione Morganuc sive Glamorgania posita: unde Urbanus, ab ejus συγχρόνοις, Gulielmo Malmesburiensi^k, Henrico Huntingtoniensi^l, et Wigorniensi monacho^m qui Florentii chronicon continuavit, et Glamor-

^c Galfridi Monemuth. lib. 11. cap. 3.

^d Id. ibid. cum vita Dubricii, et Elgari, in regesto Landavensi.

^e Girald. descript. Cambr. cap. 4.

^f Huntingdon. histor. lib. 1. fol. 171. edit. Londin.

^g Matth. Parisiens. et Westmonasteriens. ad ann. 1151.

^h Bed. histor. lib. 2. cap. 2.

ⁱ Hen. Huntingdon. hist. lib. 1. Ædmer. histor. lib. 4. pag. 92. et lib. 5. pag. 117. et 124. Rog. Hoveden. in hist. ann. 1107. pro quo in libris editis ann. 1108. perperam est signatus.

^k Malmesb. hist. lib. 5. fol. 92. col. 2. lin. 50. collat. cum hist. Novel. lib. 1. fol. 100. col. 2. lin. 1. edit. Londin.

^l Huntingdon. sub fine lib. 7. fol. 220. col. 2. lin. 4. et 14. ubi pro Landavensi, reponend. Landavensi; pro quo et Bangor perperam habetur positum apud Mathæum Westmonasterium in anni 1107. historia.

^m Flor. Wigor. Chronic. ad annum secundum Dionys. 1107. et 1128.

ganensis et Landavensis episcopus indiscriminatum est nuncupatus.

Quare cum eadem ipsa sit hæc ecclesia cum illa quæ Tavensis nomine secundo in loco est proposita: vel Cestrensis Hovedeni pro ea erit substituenda, vel ex antiquis Cambriæ sedibus episcopalibus alia aliqua: cujusmodi Caer-Guby fuisse videatur in Monæ sive Angleseie promontorio quod Sacrum Angli vocant; ubi Kebius^a, ab Hilario Pictaviensi (a quo et alterum ejusdem insulæ Hilary-poynt nomen accepit promontorium) episcopali gradu accepto, consedissee traditur. Et Guentonia; cujus episcopi in libro Landavensi ad annum Domini DCCCCLV. facta habetur mentio. Estque Venta illa Silurum, sive Caer-Went Monemuthensium: ubi Tathæus Hibernus^o rogatu Carodoci regis, scholarum studium aliquando rexit; "confluentibus undique scholaribus ad erudiendam (ita anonymus vitæ illius scriptor loquitur) scientiam septem disciplinarum." Cæterum non Cambriæ soli episcopos septem, juxta Asiaticarum ecclesiarum numerum, in primo apocalypseos capite commemoratum, assignat Balæus, sed Albanie quoque totidem^p: in ea autem Britannie parte quam Cambri Loegriam, nos Angliam appellamus, quæque duabus illis alteris magnitudine habetur æqualis, eundem numerum duplicat; ita ut in universa insula, præter^q tres metropolitanos, quater septem episcopi numerarentur. At Giraldus, in scripto quod Innocentio III. ab ipso porrectum, ejusdem de Menevensi ecclesia dialogo, distinctione secunda, insertum legitur, quinque archiepiscopos et sexaginta episcopos a Fagano et Dwiano in Britannia constitutos fuisse scribit. Cum enim in nova Anglicanæ Ecclesie institutione a Gregorio^r ordinatum meminisset, duodecim episcopos Londinensis totidemque Eboracensis archiepiscopi ditioni subjiciendos; et, sub antiquiore Ro-

^a Jo. Tinmuthens. in vita S. Keb. episcopi.

^o Jo. Tinmuthens. in vita S. Tathæi.

^p Jo. Balæ. centur. 1. in appendic. cap. 70. eumque secuti, Matth. Parker. de antiquit. Britannic. eccles. pag. 11. et Dav. Povel. in Itinerar. Cambriæ Giraldi lib. 2. cap. 1. annotat. 4.

^q Vid. supr. pag. 82.

^r Bed. histor. lib. 1. cap. 29.

mani imperii πολιτεία, quinque hic numeratas fuisse provincias : quinque metropolitanos, atque eorum cuique duodecim subditos suffraganeos, inde eruit. Integrum illius locum placet hic subjicere.

“ Ad instantiam Lucii regis Britonum missi sunt ab Eleutherio papa, qui quasi quartus decimus fuit a beato Petro, duo nobiles prædicatores in Britanniam majorem, Faganus scilicet et Duvianus : qui fidem Christi per universam insulam a mari usque ad mare plantaverunt ; et, juxta^a provinciarum numerum quas tempore gentilitatis habuerat insula, quinque metropoles, singulas duodecim urbes, sicut olim habuerat, et suffraganeas totidem habentes ecclesias, ordine et numero competenti distinxerunt. Juxta tomum enim Anacleti papæ, sicut in pontificalibus Romanorum gestis et imperialibus continetur, directum Galliarum episcopis ; juxta statum Gentilium ante Christi adventum, Britannia habuit provincias numero quinque : Britanniam primam, Britanniam secundam, Flavianam, Maximiam, Valentiam. Prima dicta est occidentalis pars insulæ : quia primum in illa Britones, Bruto et Corineo ducibus, applicuerunt ; eaque primo a Corinco et suis occupata est et inhabitata. Britannia secunda, Cantium : quod secundo a Bruto et suis fuit inhabitata. Tertia Flavia, hoc est, flava ; quæ dicitur et Mercia, quasi mercibus abundans : cujus caput est Londinum. Quarta Maximia, id est, Eboraca ; ab imperatore Maximio dicta. Quinta Valentia, ab imperatore Valente nuncupata. Albania, quæ nunc abusive scilicet Scotia dicitur. Sicque ordinatum a viris sanctis prædictis duobus fuerat, ut in occidentali insulæ parte, quæ et nunc adulterino vocabulo Wallia dicitur ; proprie vero Cambria, a Cambro Bruti filio dicta, urbs Legionum metropolis foret, XII. suffraganeos habens. Dorobernia, quæ nunc Cantuaria dicitur, a Dur Britanico, quod est aqua, quoniam aquis abundat, sic nuncupata, metropolis ab australi Thamisiæ fluvii parte, XII. suffraganeos habens. Eboraca, quæ nunc Eboracum dicitur, XII. suffraganeos habens. Et urbs quæ nunc Sancti Andreæ forsitan dicitur, totidem suffraganeos ha-

^a Vid. Jac. Sirmondi adventoriam ; de ecclesiis suburbicar. cap. 4. pag. 93.

bens, olim Alba dicta; unde et Albania provincia, vel potius ab Albanacto Bruti filio, nuncupata. Cumque hoc ordine distincta, ducentis annis et pluribus Britannica ecclesia florisset: supervenit gens Saxonica, quæ nunc Anglica dicitur, a Britonibus invitata, ut eis contra Pictos et Scotos, qui boreales insulæ partes occupaverant, Britonum stipendiis militarent. Tandem vero cum viribus et numero crevissent, juncto cum hostibus fœdere, et ipsi quoque pejores hostes effecti, miris proditionibus incolas usque occiduas insulæ partes propulerunt; totamque terram residuam, quam et Angliam vocaverunt (a natali suo Saxonie solo, quod lingua eorum *Engelont* vocabatur, id est, Angularis terra, Britanniam nominatam sic vocantes) necnon et Scotiæ partem non modicam, destructis ecclesiis ritu gentilitatis, cum gentiles essent, fœdaverunt: Britonibus nihilominus Christi fidem in occiduis inconcusse servantibus."

Ad tomum autem Anacleti, cujus hic meminit Giraldus, quod attinet: in tertia quæ Anacleto falso tribuitur ad omnes episcopos epistola leguntur ista; "Episcoporum¹ ordo unus est, licet sint primates illi, qui primas civitates tenent, qui et in quibusdam locis patriarchæ a nonnullis vocantur. Illi autem qui in metropoli a beato Petro apostolo, ordinante Domino, et a prædecessore nostro sancto Clemente, seu a nobis constituti sunt, non omnes primates vel patriarchæ esse possunt: sed illæ urbes, quæ præfatis et priscis temporibus primatum tenuere, patriarcharum aut primatum nomine fruuntur; reliquæ vero metropoles, archiepiscoporum aut metropolitanorum, et non patriarcharum aut primatum utantur nominibus, quia hæc eadem et leges sæculi in suis continent principibus. Aliæ autem primæ civitates, quas vobis conscriptas in quodam tomo mittimus, a sanctis apostolis, et a beato Clemente, sive a nobis, primates prædicatores acceperunt." Deinde, commemoratis tribus sedibus patriarchalibus, Romana, Alexandrina et Antiochena, subditur; "Reliquas vero, ut prædiximus, in quodam tomo, prolixitatem vitantes epistolæ,

¹ Tom. I. concil. edit. Colon. ann. 1618. pag. 49.

vobis conscriptas direximus. Inde namque et beati apostoli inter se statuerunt, ut^u episcopi singularum scirent gentium, quis inter eos primus esset; quatenus ad eum potior eorum sollicitudo pertineret." Quo respiciens Johannes de Bellis manibus, seu Belmays, Lugdunensis archiepiscopus, in inedita ad Radulphum de Diceto decanum Londinensem epistola; "Anacletus papa," inquit, "tertio suo decretali Lugdunensem ecclesiam primam inter occidentales ecclesias nominavit, secundam vero metropolim Rothomagensem, tertiam Turonensem, quartam Senonensem: et has, cum suffraganeis suis, ad ecclesiam Lugdunensem pertinere debere firmissimo jure statuit."

In antiquioribus nimirum exemplaribus tertio huic decretali subjiciebantur (quæ ab Antonio Sconhivio cum Eutropio, et Andrea Schotto cum Antonini itinerario habentur editæ) tum generalis omnium Romani imperii provinciarum enumeratio, (adjecta insuper primarum in quaque diœcesi provinciarum adnotatione, ita incipiente: In Gallia provinciæ XVII. prima Lugdunensis) tum particularis sedium metropoliticarum Galliæ recensio. Unde istum Anacleti tomum Galliarum episcopis directum affirmat Giraldus: quem "et in pontificalibus Romanarum gestis et imperialibus contineri" addit. Per pontificalia sine dubio illum quem diximus provinciarum Romanarum libellum subindicans, quem decretis pontificum Romanorum a se editis, et magna ex parte, ut videtur, etiam confictis, Isidorus Mercator inseruit: per imperialia fortasse, notitiam dignitatum utriusque imperii; quæ in membranis Scoti^w cosmographiæ titulum obtinet. In priore enim illo breviculo, quod in duobus MSS. codicibus Isidori collectioni præfixum reperi, sic expresse est notatum; "In Britannia sunt provinciæ numero quinque: Britannia prima, Britannia secunda, Flavia, Maximia, Valentiana." In posteriore dignitatum laterculo, vicario Britanniarum to-

^u Canon. apostol. 35.

^w Dempster. hist. ecclesiast. Scotor. lib. 1. pag. 60. et lib. 9. pag. 389. Scotus in libro de insignibus magistratum, ad Theodosium Augustum; quem nuper ex Spirensi bibliotheca accepimus. B. Rhenanus, annotat. in Eusebii a Rufino versi histor. ecclesiast. lib. 7. cap. 26.

tidem quoque assignatæ cernuntur provinciæ: nimirum “præter primam et secundam Britanniam, Maxima Cæsariensis, Valentia, atque Flavia Cæsariensis.” Unde Proclianum illum vicarium quinque provinciarum cui una cum Hispaniarum præfecto Macrobio anno Domini CCCXCIX. de ornamentis publicorum operum conservandis, Honorii^x Augusti constitutio directa est, “non alium quam vicarium Britanniarum accipiendum,” in commentario de statu paganorum sub Christianis imperatoribus doctissimus J. C. Jacobus Gothofredus sibi persuasit: quas tamen quinque provincias, si rem penitus expendisset, in ipsa sua Gallia Hispaniæ propiores invenire potuisset.

Etsi autem in metropolitibus designandis veterem Ecclesiam civilium provinciarum rationem fere secutam, tum ex probatoris fidei authoribus liqueat, tum ex commentitiis (quas spectasse potius Giralduus videatur) Anacleti^z et Stephani^a I. epistolis: tamen quinquepartitam illam provinciarum Britannicarum divisionem Anacleti vel Eleutherii ætate extitisse, res est ab omni fide aliena. Nam illis temporibus unicam tantum Britanniam fuisse provinciam apparet: quam postea Severus imperator, cæso Clodio Albino, in^b duas præfecturas dispertit; altera in superiore^c, altera in inferiore Britannia collocata. In Constantiana deinde provinciarum dispositione duplicatus est ille numerus, ad Britanniam primam et secundam adjecta quoque Maxima et Flavia Cæsariensi. Tot enim Sexti Rufi breviarium, ab Huberto Goltzio et aliis ad fidem antiquissimorum exemplarium restitutum, nobis exhibet: suffragante quoque

^x Cod. Theodos. lib. 10. tit. 10. L. 15. et Cod. Justinian. lib. 1. tit. 11. de Paganis L. 3.

^y Vid. Fr. Juret. miscellan. in Symmach. lib. 4. epist. 30. collat. cum tom. 1. Concil. Galliæ, edit. Paris. ann. 1629. pag. 18, 25, et 27.

^z Anaclet. epist. 3. tom. 1. concil. pag. 49. col. 1. edit. Colon. ann. 1618. et eum ad verbum secutus Gregorius VII. regest. lib. 6. epist. 35. ibid. tom. 3. part. 2. pag. 345. col. 1.

^a Stephan. ep. 2. ibid. tom. 1. pag. 134. col. 2. quam Gratianus, dist. 80. cap. 1. Lucii papæ nomine perperam citavit.

^b Διελών εις δύο ήγεμονίας την τοῦ ἔθνους ἕξουσιαν. Herodian. histor. lib. 3.

^c Dio. lib. 55.

integro decem et octo provinciarum in Galliis simul et Britanniiis apud eundem numero: neutiquam vero duas, ut existimavit Onuphrius Panvinius^d, Britanniam primam cum Maxima Cæsariensi maximo errore confundens, neque tres ut Guilielmus Camdenus^e, ex manuscripto cum Romana Angeli Tifernatis et primis Germanicis et Gallicis editionibus hic consentiente, nedum quinque, ut contra, omnium codicum fidem, Humfredus Lhuydus^f asseruit. Cumque sub initia Valentiniani^g senioris Rufus scripserit: qui a quantitate Maximam, ab ipso vero Constantino^h, qui Flavii sibi prænomen ascivit, Flaviam nomen accepisse volunt, rectius existimasse sunt putandi; quam qui a tyranno Maximo et Flavio Theodosio, post Valentiniani tempora imperium adeptis, appellationem illis fuisse impositam conjecerunt.

Sub eodem vero Valentiniano, quinta demum Valentiae adjecta est provincia. Theodosius enim, Flavii Theodosii, de quo diximus, pater, Pictis et Scotis fuis, “provinciam quæ in ditionem concesserat hostium ita reddidit statui pristino, ut, eodem referente, et rectorem haberet legitimum, et VALENTIA deinde vocaretur arbitrio principis:” quemadmodum in libro vigesimo et octavo testis est locupletissimus Ammianus Marcellinus. Eam ab imperatore Valente, Valentiniani fratre, atque imperii consorte, longè utique post Anacleti et Eleutherii tempora, nuncupatam affirmat Giraldus: eandemque facit cum hodierna Scotia: licet inter Glottæ et Bodotriæ æstuarium, fretum videlicet Dunbritanicum et Edinburgicum, Romanarum provinciarum limites cohibendos esse constet. Mitto, quam

^d Onuphr. *descript. imperii Romani*, lib. 3.

^e Camden. in *Britanniæ divisione*, pag. 111.

^f Lhuyd. *fragment. Britann. descript.* fol. 28.

^g Jac. Sirmond. *adventor. de regionib. suburbicar.* cap. 4. pag. 38, 39.

^h Guid. Pancirol. *commentar. in Notitiam imper. Occident.* fol. 158. Vel Valentiniano potius, ut Philippo Berterio visum est, Pithanon Diatrib. 1. cap. 5. *fin.* ita scribente, “Si quis conjecturæ locus hoc mihi persuaderi sino, vix honorem istum Valenti (in Valentiae nomine) prius delatum quam Valentiniano, a quo Flaviam provincia illa nomen accepit, et cujus auspiciis multa in Britanniiis strenne et feliciter gesta fuerant.”

ⁱ Jo. Zonar. tom. 3. et *inscript. veter.* Vid. Treb. Pollion. in Claud.

absonum illud sit, Romanis imperium hic obtinentibus, “fidem Christi per universam insulam a mari usque ad mare (sicut ille rem narrat) plantatam esse:” hoc tantum adjicio, ipsum Giraldum de harum rerum incertitudine, in tractatu retractationum ita lectorem suum postea comonefecisse: “In libello invectionum, ubi de ecclesiastica chronographia tractatur, præter illa quæ ex tomis Anacleti papæ et historiis Bedæ eliciuntur: cætera fere cuncta (veluti de enumeratione sedium episcopalium antiquitus Menevensi ecclesiæ suffraganeorum et subjectarum, necnon de dignitate ejusdem ecclesiæ ac libertate tempore Wilfridi episcopi^k: sicut et de sedibus metropolitice Britanniae majoris per Faganum et Duvianum olim, longe scilicet ante adventum Saxonum in Britanniam dispositis) magis famam publicam et opinionem, quam historiæ cuiuspiam certitudinem sunt secuta.”

Guilielmus Malmesburiensis in prologo libri primi de gestis Anglorum pontificum, quum Cantuariensem archiepiscopum “totius Angliæ primatem et patriarcham” esse dixisset; de antiquioribus Britonum temporibus deinde subjicit: “Cæterum ubi fuerit archiepiscopatus tempore Britonum, cognitio labat; quia vetustas consumpsit nostri seculi memoriam.” Ubi Britones olim suos habuisse archiepiscopos haudquaquam inficiatur: licet de sede primi archiepiscopatus, sive patriarchatus, nihil se comperti habuisse fateatur. Etsi enim hodie Londinum civitas sit totius regni Britannici nobilissima; jamque^l olim ut vetus oppidum ab Ammiano Marcellino, ut “copia negotiatorum et comœtuum maxime celebre” a Cornelio Tacito laudatum fuerit; et Londinenses ipsi primam ecclesiam metropolitice hujus regni a Lucio constitutam fuisse tradunt, antiquam tamen Britanniarum diœceseos metropolim Eboracum potius fuisse statuit doctissimus Berterius^m; non

^k Menevensis; qui ann. 1115. obiit, postremus Britonum archiepiscopus. Vid. Hoveden. ad ann. 1115, et 1199.

^l Vid. supr. pag. 87.

^m Philip. Berter. Pithanon, Diatrib. 1. cap. 3. fin. In primarum provinciarum indiculo, quem tomo Anacleti insertum fuisse diximus, provinciæ annotan-

solum quod Romana esset colonia, sed etiam quod imperatoris palatium et Britanniarum prætorium illic fuerit; indeque apud Spartianum in Severo civitatis nomen *κατ' ἕξοχὴν* obtinuerit; pro quo etiam facit, quod in Arelatensiⁿ synodo, sub Constantino magno celebrata, Eborius Eboracensis ante restitutum Londinensem episcopum subscripsisse invenitur, licet in subscriptionibus ordinandis senioris episcopi potius quam episcopatus ratio haberi solitam non ignorem^o. Nam quod ex episcopi nomine hic usurpato Johannes Stowæus inferre voluit, totam hanc de Britannicis archiepiscopis traditionem vel minui vel potius labefactari; infirmum nimis est; cum et alibi passim, et in hac ipsa patrum concilii Arelatensis nomēclatura, in qua archiepiscopi nomen nulli antistiti tributum legitur, tum alios archiepiscopos tum ipsum Romanum^p pontificem, episcopi titulo simpliciter designari, nemo harum rerum paulo peritior ignoret.

Neque hic omnino est Guilielmus Neubrigensis audiendus, qui “ne unum quidem archiepiscopum unquam habuisse Britones,” in historiae suae proœmio audacter pronuntiavit. Atqui “magnum illum Davidem Menevensium archiepiscopum, et septem episcoporum primatem” extitisse; ab ipso Guilielmo Malnesburiensi jam ante^q audivimus. In chartis^r quoque donationum Idonis regis filii Ynir Guent, inter testes e clericis, primo loco cernitur **TE-LIAUS ARCHIEPISCOPUS**; ille nimirum, quem Davidi suo Menevenses, in sede vero Landavensi Dubricio successisse alii tradiderunt. Et quidem Meneviam sedem principalem in Cambria fuisse, Leges Howelis boni confirmant: quam et archiepiscopalem fuisse, Asserii in vita Ælfredi locus ille evincit, de Hemeido Demetiæ regulo ita conqueren-

tur “in Britannia V. prima Britannia.” Quo significatur, Britanniae primæ metropolitam fuisse totius Britanniae ἕξαρχον sive primatem.

ⁿ Tom. I. Concil. Galliae, pag. 9.

^o Vide Baronium, ad ann. 465. sec. 27. sic Cl. Sabnadius, in tractat. de primatu papæ, cap. 18. pag. 321. “Ex eo non vane colligo, prout antiquiores essent, id est, ordinationis tempore alter alterum præcederet, ita priorem subscripsisse qui ætate anteiret, aut contra.”

^p Tom I. Concil. Galliae, pag. 8. “Ex urbe Roma missi a Silvestro episcopo.”

^q pag. 112.

^r Ex regest. Landavens.

tis : “ Sæpe deprædabatur illud monasterium, et parochiam sancti Degui (Menevensem S. Davidis intelligit) aliquando, expulsionem illorum antistitum qui in eo præessent ; sicut et nobis ARCHIEPISCOPUM propinquum meum et me expulit aliquando sub ipsis ;” ubi per propinquum suum, seniore^s Asserium intelligere putatur, ecclesiæ Menevensis sancti Degwi sive Davidis archiepiscopum : de quo sub annum Christi DCCCCVI, Caradocus Lancarvanensis : “ Obiit Asser Cambriæ ARCHIEPISCOPUS.”

Nec ignoro tamen, quodnam virorum doctorum de Galfridi Monemuthensis historia hic fuerit iudicium : quod verbis D. Godwini Herefordensis nuper episcopi (nam, dum ista commentaremur, hanc ille vitam cum meliore commutavit) potius quam meis explicare malui : “ Quorundam¹ palato non sapit, ac inprimis ne meo quidem, tot derepente hic episcopos constitui, idque per Lucium regem, in ea provincia, quam plane pacatam Romanos tunc possedisse constat. Ecclesia scilicet nostra, tanquam Aaronis virga, uno eodemque tempore et germinavit et folia fructusque affatim produxit. Cæterum in tota hac de Lucii rebus narratione, nihil est absurdius, quam somnium illud de archiepiscoporum et episcoporum sedibus ad archiflaminum et flaminum ethnicorum numerum aptandis. Commentum, pace dixerim doctissimorum virorum, qui hoc aut tradiderunt aut crediderunt, plane putidissimum et plusquam puerile. Clarius enim est quam ut possit negari, raro usu venisse, ut non una et eadem civitas plurima haberet sacerdotum collegia, et sic plures flamines. Urbs una Romana non tantum Dialectem habuit, sacrorum quæ ad Jovem pertinerent summum pontificem, sed, pro Romulo Quirinalem, pro Marte Martialem, et ne singulos enumerem, singulis Diis singulos flamines attributos. Fieri igitur quomodo potest, ut inter illorum flamines et nostros episcopos aliqua existat proportionis ratio? cum illi in unaquaque civitate, ne dicam oppido,

^s Jo. Balæ. script. Britann. Centur. 2. cap. 25.

¹ Franc. Godwin. de convers. Britann. a pag. 28. ad 32. unde pauca ista sunt carptim delibata. Vid. et D. Hen. Spelman.

plurimos haberent flamines; nos vero aliquot comitatibus non raro unum duntaxat præfecerimus episcopum."

Archiflaminum vero, ad quorum rationem archiepiscopi nostri dicuntur constituti, ne nomen quidem apud ullum antiquum et probatæ fidei scriptorem uspiam occurrere; in defensione^a apologiæ Ecclesiæ Anglicanæ ante illum monuit gemma illa theologorum, Johannes Juellus Sarisburiensis episcopus. Primus enim commenti hujus architectus Isidorus Mercator fuit: qui, Clementis ad Jacobum fratrem Domini scribentis persona assumpta, Petrum præcepisse fingit, "in^v illis civitatibus in quibus olim apud Ethnicos primi flamines eorum atque primi legis doctores erant, episcoporum primates poni vel patriarchas; in illis autem civitatibus in quibus dudum apud prædictos erant archiflamines, archiepiscopos institui;" neque, ex alio fonte sunt hausta, quæ Leo IX^x. Gratianus^y, Petrus Lombardus^z, Guilielmus Durandus^a, Andreas Dominicus Floccus Florentinus^b (qui falso L. Fenestellæ nomine circumfertur) Polydorus Vergilius^c, et reliqui recentiores hac de re commemorant. Et de hierarchiæ ecclesiasticæ constitutione ista dixisse sufficiat.

^a Juel. defens. apol. part. 2. cap. 4. divis. 2. Vid. Franciscum Viliarium (sive Hotomannum) de statu primitivæ ecclesiæ contra Remundum Rufum. Et Antonii Augustini notas in Hadriani I. papæ canones 72. cap. 23. tom. 3. concilior. part. 1. sec. 1. pag. 445. edit. Colon. ann. 1618. et Davidis Blondelli censuram epist. 1. Clementis a pag. 52. ad 55.

^v Pseudo-Clement. epist. 1.

^x Leon. IX. epist. 4.

^y Decret. distinct. 21. in ipso initio. Otho Frisingensis, lib. 3. cap. 2. Vid. Jo. Sarisbur. supra, pag. 93.

^z Sentent. lib. 4. distinct. 24.

^a Durand. Rational. lib. 2. cap. 1. num. 21, 22.

^b Fenestel. de potestatib. Roman. lib. 1. cap. 5.

^c Polydor. de inventor. rerum, lib. 4. cap. 12.

CAP. VI.

Fagani et Duviani iter Romanum, et reditus in Britanniam. Eleutheri papæ epistola ad Lucium. Fagani et Duviani res gestæ in insula Avaloniæ. Antiquitatis ecclesiæ Glastoniensis assertio : et nova ab Ina et Dunstano facta restauratio. Privilegia varia a Saxonis regibus eidem concessa. Arthuri donatio, et sepulchri inventio. Henrici II. et Edvardi III. diplomata. Possessiones et libertates ecclesiis a Lucio tributæ. Wintoniensis ecclesiæ antiquitates. Fundatio ecclesiæ S. Petri Westmonasteriensis, B. Mariæ Doverensis, et S. Martini Cantuariensis. De Cantabrigiensi et Bannochoresi gymnasio : et Lucii regis exitu.

AD res aliquas, quæ a Fagano et Duviano sive Derwiano hic gestæ referuntur, jam progredimur : de quibus ita Galfridus Monemuthensis : "Restauratis^a omnibus, redierunt antistites Romam ; et quæ fecerant a beatissimo papa confirmari impetraverunt. Confirmatione vero facta, reversi sunt in Britanniam compluribus aliis comitati : quorum doctrina gens Britonum in fide Christi in brevi corroborata fuit. Eorum nomina et actus in libro reperiuntur, quem Gildas de victoria Aurelii Ambrosii inscripsit. Quod autem ipse tam lucido tractatu paraverat, nullatenus opus fuit ut inferiori stylo renovaretur." Similia habet Rogerus Wendoverius, qui hæc ad annum gratiæ CLXXXIV. necnon Matthæus Parisiensis, Matthæus Westmonasteriensis, et Roffensis historiæ collector, qui ad annum CLXXXVI. referunt ; quibus addantur et illi, alterius personati Gildæ, male tornati versiculi,

—————sic disposita regione,
Doctores Romani repetunt : confirmat eorum

^a Histor. Britannic. lib. 2. cap. 1. edit. Ascensian. lib. 4. cap. ult. edit. Heidelberg.

Dictus apostolicus factum ; sunt inde reversi
 Cum sanctis aliis ; quorum doctrina fideles
 Reddit et informat in Christi lege Britannos.

Ab his Roma redeuntibus ad Lucium perlatas fuisse existimant aliqui literas illas, quæ Eleutheri Romani episcopi circumferuntur nomine. Habentur eæ inter leges Edvardi Confessoris : tum in Ἀρχαιονομία Guilielmi Lambardi^b, Londini anno MDLXVIII. edita, tum in veterum legum exemplari, quod circa Edvardi I. tempora descriptum, olim in prætorio Londinensi, nunc in bibliotheca Cottoniana asservatur : atque etiam in vetusto libro regum MS. qui Breton nominatur. Anglice quoque ex variis antiquis exemplaribus eas transtulit Guilielmus Harrisonus^c : et datas fuisse asserit Commodo et Vespronio consulibus. Cujus hic fidem Guilielmus Camdenus^d est secutus : licet horum consulum nomen in MSS. quos mihi videre contigit nusquam occurrebat adscriptum. Constat vero Commodum una cum Vespronio secundum consulatum gessisse anno Christi CLXXIX. quod Eleutheri papæ temporibus melius quadrat, quam sequens ἐπιγραφὴ, ab interpolatore legum Edvardi, qui has literas primus nobis dedisse videatur, epistolæ huic præfixa : “ Anno centesimo sexagesimo nono a passione Christi, scripsit Dominus Eleutherius papa Lucio regi Britanniæ, ad correctionem (vel petitionem potius, ut in Lambardi edito, et Bretonico MS. legitur) regis et procerum regni Britannicæ ;” ubi notandum, auctorem more Gallico annos vulgatæ nostræ æræ a passione Christi denominare ; quos nos, multo ad veritatem propius, a nativitate vel incarnatione ejusdem dinumerare consuevimus. Sed en tibi ipsam epistolam, ex quinque codicibus inter se collatis expressam.

ELEUTHERI PAPÆ RESCRIPTUM AD LUCIUM BRITANNIÆ
 REGEM.

“ Petistis a nobis leges Romanas et Cæsaris vobis transmitti, quibus in regno Britannicæ uti voluistis. Leges Ro-

^b Et in lib. Consuetudinum Londinens. anno 12. Henrici VIII. edito.

^c Harrison. descript. Britann. lib. 1. cap. 9.

^d Camden. Britann. pag. 47.

manas et Cæsaris semper reprobare possumus; legem Dei nequaquam. Suscepistis enim nuper miseratione divina in regno Britanniae legem et fidem Christi. Habetis penes vos in regno utramque paginam: ex illis Dei gratia per consilium regni vestri sume legem, et per illam Dei patientia vestrum rege Britanniae regnum. Vicarius vero Dei estis in regno; juxta prophetam regem: *Domini^e est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo*; et rursum juxta prophetam regem, *Dilexisti^t justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*; et rursum juxta prophetam regem, *Deus^s judicium tuum*, &c. Non enim dixit judicium neque justitiam Cæsaris."

"Filiis enim regis gentes Christianae et populi regni sunt, qui sub vestra protectione et pace in regno degunt et consistunt: juxta evangelium; *Quemadmodum^h gallina congregat pullos sub alis*. Gentes vero regni Britanniae et populi vestri sunt; quos divisos debetis in unum ad concordiam et pacem et ad fidem et ad legem Christi, et ad sanctam ecclesiam congregare, revocare, fovere, manu tenere, protegere, regere, et ab injuriis et malitiosis et ab inimicis semper defendere."

"*Væ^l regno cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt*. Non voco regem [puerum] propter parvam et minimam ætatem; sed propter stultitiam et iniquitatem et insanitatem; juxta prophetam regem, *Viri^k sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos*, &c. Per comestionem intelligimus gulam, per gulam luxuriam, per luxuriam omnia turpia et perversa et mala; juxta Solomonem regem, *In^l malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*."

"Rex dicitur a regendo, non a regno: rex eris dum bene regis; quod nisi feceris, nomen regis non in te constabit, et nomen regis perdes; quod absit. Det vobis

^e Psalm. 24. ver. 1.

^s Ibid. 72. ver. 1.

ⁱ Eccles. cap. 10. ver. 16.

^l Sapient. cap. 1. ver. 4.

^f Ibid. 45. ver. 7.

^h Matth. cap. 23. ver. 37.

^k Psalm. 55. ver. 23.

omnipotens Deus regnum Britanniae sic regere, ut possitis cum eo regnare in aeternum, cujus vicarius estis in regno praedicto.”

Censuram vero non aliam hic adjicere libet, quam Herefordensis episcopi; brevem quidem illam, sed liberam et ingenuam: “De^m hac epistola si me oporteat sententiam ferre; non nimis profecto sapere seculum Eleutherianum confitendum reor.”

Non praetereundum tamen, quod in Analectis suis Anglo-Britannicis monuit, vir non magis nostri juris quam universae antiquitatis consultus, Johannes Seldenus; nonⁿ Lucio soli vicarii^o Dei titulum esse tributum, sed posterioribus etiam temporibus Anglorum subsequentes reges hoc nomine potitos esse: id quod Henrici de Bracton primarii Angliae jurisconsulti testimonio confirmat: qui libro primo de legibus et consuetudinibus Angliae, capite octavo, ita scripsit: “Quod sub lege [rex] esse debeat, cum sit Dei vicarius, evidenter apparet; ad similitudinem Jesu Christi, cujus vices gerit in terris; quia verax Dei misericordia, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppetent; hanc potissimam elegit viam, quasi ad destruendum opus Diaboli, ut non virtute uteretur potentiae, sed justitiae ratione:” cui nos et aliud adjicimus, ex eodem Bractono desumptum, “Habet^p rex in manu sua omnia jura quae ad coronam et laicalem pertinent potestatem, et materialem gladium qui pertinet ad regni gubernaculum. Habet etiam iudicium et justitiam, quae sunt jurisdictiones; ut ex jurisdictione sua, sicut Dei vicarius et minister unicuique tribuat quod suum fuerit.” Et post: “Cum sit Dei vicarius; jus ab injuria, et aequum ab iniquo tenetur

^m D. Godwin. de convers. Britann. pag. 34.

ⁿ Selden. Analect. lib. 1. cap. 6.

^o Hilarius Romanus diaconus (vel quicumque author fuit quaestionum in Vetus et Nov. Test. Augustino perperam adscriptarum) quaestione 91. “Rex adoratur in terris, quasi vicarius Dei.” oper. Augustin. tom. 3. app. pag. 82. et Plinius in panegyrico ad Trajanum: “Te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungeris.” Sic et Fletaus, de jure Anglican. lib. 1. cap. 17.

^p Bracton. lib. 2. cap. 24.

separare." Ex eodem Bractono^a, "Separare debet rex, cum sit Dei vicarius in terra, jus ab injuria, æquum ab iniquo." Ita et Ædgarus^b anno Christi DCCCCLXVI. seipsum Christi vicarium appellat^r. Et Britonus in ipso libri sui initio Dei vicarium regem nominat, ut in fine inter errata ibi annotatur. Henricus Bractonus "Facit^s homines esse perfectos et principari in regno, et sedere in regia aula, et in sede ipsius regis, quasi in throno Dei; tribus et nationes, auctores et reos, ordine dominabili judicantes vice regis, quasi vice Jesu Christi: cum rex sit vicarius Dei." Et aliud, ex textu legum Edvardi Confessoris petitum: "Rex^t autem, quia vicarius summi regis est, ad hoc est constitutus; ut regnum terrenum, et populum Domini, et super omnia sanctam ejus veneretur Ecclesiam, et regat, et ab injuriosis defendat, et maleficos ab ea evellat."

De rebus a Fagano et Derwiano apud Glastonienses gestis, longiorem narrationem in libro de ecclesiæ illius antiquitate pertexit Guilielmus Malmesburiensis: "Prædicando," inquit, "et baptizando Britannia partes peragrantes, in insulam Avalloniae, more Moysi legislatoris interiora deserti penetrantes, sunt ingressi: ubi antiquam, Deo dictante, repererunt ecclesiam, manibus discipulorum Christi, ut ferunt, constructam, et humanæ saluti a Deo paratam: quam postmodum ipse cælorum fabricator multis miraculorum gestis multisque virtutum mysteriis sibi sanctæque Dei genitrici Mariæ se consecrasset demonstravit. Fluxerant autem ab adventu discipulorum sancti Philippi in Britanniam usque ad adventum sanctorum memoratorum CIII. anni. Igitur prædicti sancti Phaganus et Deruvianus, oratorio illo sic reperto, ineffabili sunt referti gaudio, ibidem in Dei laudibus moram protrahentes diurnam, per novem videlicet annos; locum etiam diligen-

^a lib. 3. cap. 9. fol. 107.

^r apud Selden. not. in Ædmer. pag. 155. lin. 16. et D. Spelman. in concil. pag. 438.

^s lib. 1. cap. 2.

^t MS. Cottonian. et Ἀρχαιονομ. Guil. Lambardi, fol. 130. b.

ter perscrutantes, figuram nostræ redemptionis, aliaque signa manifesta reppererunt, quibus bene cognoverunt, quod Christiani prius locum inhabitaverant : postea cœlesti perpendiculari oraculo, quod Dominus ipsum locum præ cæteris Britanniae specialiter elegerit ad nomen gloriosæ genitricis suæ ibidem invocandum. Omnem etiam narrationem in antiquis scriptis invenerunt, qualiter sanctis apostolis per universum orbem dispersis, sanctus Philippus apostolus cum multitudine discipulorum in Franciam veniens, duodecim ex ipsis in Britanniam misit ad prædicandum. Qui prædictam capellam, angelica docti revelatione, construxerunt : quam postmodum filius Altissimi in honorem suæ matris dedicavit. Ipsisque duodecim tres reges, licet pagani, duodecim portiones terræ dederunt ad eorum sustentationem. Insuper gesta eorum scripta invenerunt ; ideoque locum ipsum præ cæteris dilexerunt. Qui etiam in memoriam primorum duodecim, ex suis sociis duodecim elegerunt, et in præfata insula, rege Lucio consentiente, habitare fecerunt. Qui postea in diversis locis, sicut anachoritæ manserunt ibidem ; in iisdem videlicet locis, in quibus primi duodecim primitus habitaverant. In vetustam tamen ecclesiam ad divina obsequia devotius complenda crebro convenerunt. Et sicut tres reges pagani dictam insulam, cum adjacentiis suis, duodecim primis Christi discipulis dudum concesserant ; ita prædicti Phaganus et Deruvianus istis duodecim sociis, et aliis in posterum securis, ab eodem rege Lucio eandem confirmari impetrabant. Sic autem multi aliis succedentes, semper tamen in numero duodenario, per multa annorum curricula, usque ad adventum S. Patricii Hibernensium apostoli, in memorata insula permanserunt."

Habentur ea quoque ab anonymo quodam Glastoniensi monacho concioni de cœnobii sui antiquitate inserta ; et in magna Glastoniensi tabula eisdem verbis descripta, una cum additamento isto : " Illic duo sancti Phaganus et Deruvianus multum tempus perendinaverunt ; et ab Eleutherio papa, qui eos in terram istam miserat, decem annos indulgentiæ omnibus sacrum locum pie visitaturis perquisierunt. Hi vero duo sancti regionem istam in principio ad

fidem Christianam converterunt: sed utrum ibi requiescunt vel inde redierunt, non invenimus scriptum. Ibi multi ex discipulis sanctorum Phagani et Deruviani requiescunt, qui per ducentos sexaginta et septem annos quidem alii post alios, usque ad adventum sancti Patricii, in præfata insula sicut anachoritæ habitaverunt. Illic duodecim socii magnæ sanctitatis viri requiescunt, quos sanctus Patricius in primo adventu suo ibidem invenit, et eos postea congregavit, et monastice vivere instruxit. Horum vero nomina in charta sancti Patricii reperies descripta; videlicet, Brumban, Hyregaan, Brenwal, Wencreth, Bantomme-weng, Adelwolred, Lowor, Wellias, Breden, Swelwes, Hinloernius, et alius Hin," quorum nonnulla mere Anglo-Saxonica, ideoque suspectioris esse fidei, jamdudum me monuit perspicacissimus Camdenus.

Lucium regem insulam Avaloniæ Fagano et Duviano charta sua confirmasse, tam libere quam a Josepho et sanctis ejus comitibus possessa fuerat; narrat Johannes Hardingus^u. Eosdemque "prædictum oratorium in insula Avalloniæ reparavisse, et præ omnibus aliis locis honoravisse," ad annum Christi CLXVI. scribit alius anonymus Glastoniensium chronographus; et relictos ibidem duodecim illorum socios "in insula illa, rege Lucio favente, ædificia construxisse," ex eorundem libris refert in vita B. Patricii Johannes Tinmuthensis. "Horum ergo restaurata fuit opera vetusta S. Mariæ in Glastonia ecclesia," inquit Guillelmus Malmesburiensis; "omnium^w quas quidem noverim antiquissima in Anglia, indeque cognomen sortita: quæ primo virgea, nescio quid divinæ sanctitatis jam inde a principio redoluit spiravitque in omnem patriam; quamvis

— ex deformi grandis reverentia cultu."

Ejus vero antiquitatem astruere nititur, partim ex "illis non exiguæ," ut affirmat is, "fidei literis apud sanctum Edmundum repertis," hoc est, in Buriensi S. Edmundi bibliotheca, in hanc sententiam: "Ecclesiam Glastoniæ non fecerunt aliorum hominum manus; sed ipsi discipuli

^u Harding, chronic. cap. 51.

^w Vid. supra cap. 2. pag. 34.

Christi eam ædificaverunt:" partim ex quodam Britonum historiographo; quem et ibi et apud sanctum Augustinum Anglorum apostolum se vidisse dicit; non quod ipse Augustinus scripti illius esset author, ut aliquos^x sensisse video: sed quod Cantuariæ in monasterii S. Augustini bibliotheca fuisset repositum: inter cujus veteres libros anno MDLXV. a Johanne Josselino repertum, nos in Musæo Cottoniano non semel perlegimus.

Vixit author tempore Dunstani Cantuariensis archiepiscopi; cujus ille vitam in hoc descripsit opusculo: fuitque non ex Britonum, uti Malmesburiensis innuit, sed ex genere Anglo-Saxonum: quod verba illa satis produunt: "Sumpsit secum ex more cytharam suam, quam lingua paterna hearpani vocamus"; et ista quoque, "Omnis HÆC Anglica terra doctrina ejus sancta repleta est." Verba autem ejus ad Glastoniensis ecclesiæ antiquitatem spectantia, hæc sunt: "Erat quædam regalis in confinio (West-Saxonum) insula, antiquo vicinorum vocabulo Glestonia nuncupata; latis locorum dimensa finibus, piscosis aquis stagnisque circumducta fluminibus, et plurimis humanæ indigentiae apta usibus, atque sacris, quod maximum est, Dei dicata muneribus. In ea siquidem ipsius loci primi Catholicæ legis neophytæ antiquam, Deo dictante, reppererunt ecclesiam; nulla hominum arte, ut ferunt, constructam, immo humanæ saluti cœlitus paratam: quam postmodum ipse cœlorum fabricator multis miraculorum gestis, multisque virtutum mysteriis, sibi sanctæque Dei genitrici Mariæ consecratam fore demonstravit. Huic etiam aliud addiderunt opere lapideo oratorium, quod Christo ejusque sancto Petro apostolo dedicaverunt."

Non Britonum vero neophytos sed Anglorum recte hic Malmesburiensis accipit: qui ab Ina occiduorum Saxonum rege ecclesiam Petri et Pauli extractam docet, et in suprema præcinctione inscriptos esse versus a Camdeno^y

^x Matth. Parker. antiquit. Britannic. Eccles. pag. 4. Franc. Godw. de convers. Britann. pag. 12. Edvard. Maihew, congregat. Anglican. ordinis Benedict. tabul. 2. pag. 1087, 1088, 1103.

^y Camden. in Somersetshire, pag. 165.

memoratos; qui ex epigrammate septimo libri tertii et undecimo libri secundi poematum Venantii Fortunati desumpti sunt. Verum ubi apud Fortunatum legitur,

Hæc^z pius egregio rex Childebertus amore
Dona suo populo non moritura dedit.

hic positum est :

Hæc pius egregio rex Ina refertus amore, &c.

et ubi apud Fortunatum,

Gallia^a plaude libens, mittit tibi Roma salutem,
Fulgor apostolicus visitat Allobrogas.

hic est adscriptum :

Anglia plaude libens, mittit tibi Roma salutem,
Fulgor apostolicus Glastoniam irradiat.

Qui versus, ut hoc obiter moneam, si ipsius Inæ^b exarati sunt temporibus, ostendunt etiam^c sub Saxonum heptarchia auditum fuisse nomen Angliæ, quod ab Egberto^d monarcha primum fuisse introductum existimatur vulgo.

Ibi etiam “ primo rex Ina, consilio beatissimi Aldhelmi, monasterium ædificavit; multa illuc prædia, quæ hodieque nominantur, largitus:” ut habet Guilielmus Malmesburiensis, in gestis pontificum Anglorum, libro secundo, et in gestis regum Anglorum, libro primo, capite secundo, de eodem. Monasterium Glastoniense, “ nostris quoque diebus insignissimum, in quodam palustri recessu construxit; ut scilicet eo tenacius monachi supernis inhiarent, quo castigatius terrena haurirent: cui quantum splendoris ad-

^z Bibliothec. Patr. tom. 6. part. 2. pag. 326. edit. Colon. ann. 1618. ubi tamen prius male excusum est pro pius.

^a Bibliothec. Patr. tom. 6. part. 2. pag. 330.

^b In ecclesiæ supremo ordine hos versus fecit describi. Johan. Glaston. pag. 94.

^c Vid. Johan. Sarisburiens. Policratic. lib. 6. cap. 17. Matth. Florilegum, ad annum Dom. 586. et Girald. supra. pag. 118.

^d Humfred. Lhuyd. fragment. Britan. descript. fol. 11. b. histor. Cambriæ; ad ann. 829. Camden. Britan. pag. 99. Verstegan. restitut. antiquitat. Anglic. cap. 5. pag. 148. Jacob. Gretser. observat. in Philipp. de Divis Eystetensib. lib. 1. cap. 9. pag. 192, 193.

jecerit, libellus ille docebit, quem de antiquitate ejusdem monasterii elaboravi." Quod autem "primo regem^e Inam monasterium hic ædificavisse" narrat; "de monasterio redditibus stabilito, cui abbas ab episcopo consecratus præfuit," est^f qui intelligendum existimet. Videndum tamen, an non de monasterio potius suis diebus insignissimo loqui putandus sit Guilielmus; quod primo ab Ina constructum, postea a Dunstano magnifice fuerit restauratum: sic enim ille subjicit: "Quicquid turbo bellorum obtriverat, reparavit egregie Dunstanus, qui prius eo loci vitam solitariam monachus actitarat; postmodum vero liberalitate regis Edmundi omnia quondam appendicia et iis multo plura nactus, abbatiam composuit, qualis nusquam in Anglia sit fueritve; tanta est diffusio et opportunitas fundorum, tanta librorum pulchritudo et antiquitas exuberat." Hæc in secundo illo de gestis pontificum Guilielmus: qui secundo etiam libro de regum gestis, capite septimo, integram Edmundi regis donationem inseruit, anno Domini DCCCCXLIV. indictione^g I. ecclesiæ S. Mariæ Glastoniæ et Dunstano abbati a se ibidem constituto concessam: "scriptamque literis aureis in libro evangeliorum, quem eidem ecclesiæ obtulit eleganti opere satis compositum," in qua privilegia eorum antiqua redintegrat: "quemadmodum mei antecessores," inquit, "concesserunt et statuendo confirmaverunt: videlicet Edwardus pater meus, et Elfredus^h pater ejus, et Cenwinesⁱ, Ines, et Cuthredus, et alii complures, qui locum illum honorantes gloriosum habuerunt."

De eodem Ingulphus Croylandensis quoque in sua historia; "Rex^k Edmundus Dunstano sancto tunc presbytero suo monasterium Glasconiæ, tunc in desolatione a paucis clericis occupatam, cum omnibus pertinentiis contulit restaurandum, et monachorum ordinem, prout antiquitus habuerat, in illo revocandum. Qui Floriacum adiens, et monachus ibidem factus, cum regulares observantias plenius didicisset, valem faciens fratribus, Glasco-

^e Vid. supr. cap. 2. pag. 32.

^f Edvard. Maihew, in addit. ad tab. 2. congreg. Anglic. Bened. pag. 29.

^g II. Glaston. Oxon.

^h *Alfredus* ibid.

ⁱ *Kentwine, Ine*, Glaston. Oxon.

^k Ingulph. hist. pag. 871. ed. Francfort.

niam est reversus: abbasque factus ibidem, fratres sui stemmatis accipiens, sanctissimum in brevi collegium adunavit." Posteriores vitæ Dunstani scriptores, quos secutus est Capgravius, "primum abbatem effectum" adjiciunt: indeque Camdenus¹, eum huc "recentioris instituti monachos Benedictinos induxisse, ipsumque primum numeroso monachorum grege hic præfuisse" asserit. Vetus ille, de quo diximus, vitæ ejus descriptor paulo restrictius, ipsum "saluberrimam S. Benedicti secutum institutionem, primum abbatem Anglicæ nationis enituisse" ait. Sed Glastoniensem CCL. ante Dunstanum annis, primum Anglicæ gentis abbatem sibi præfuisse tradunt Beorwaldum vel Brithwaldum: primum vero simpliciter B. Patricium^m nostrum; de quo, inⁿ additionibus ad Guilielmi Malmesburiensis librum de cœnobii illius antiquitate, ita legimus: "Certissimum est, S. Patricium Hiberniensium apostolum apud nos requiescere, et nostri monasterii primum abbatem fuisse, tam ex scripturis antiquis, quam etiam ex ejusdem sancti charta;" et post: "Glastoniam veniens anno Domini CCCCLXIX. duodecim fratres anachoritice viventes ibidem reperiens congregavit: abbatisque, omnium voluntate et electione, licet invitatus suscipiens officium, eosdem vitam agere docuit cœnobialem. Per hunc enim religio monachorum in Glastonia sumpsit exordium; vitam ducentium monachorum more Ægyptiorum. Nondum enim exortum erat sidus aureum, scilicet pater Benedictus, quod orbem terræ sua doctrina et exemplo foret illustraturum;" et in ipso Malmesburiensis libello: "His diebus mortuo Vortigerno, regnabat supra Britones Aurelius Ambrosius: et Saxones invalescebant, et multiplicati sunt valde. Sanctus vero Patricius Hiberniensium apostolus, et in insula Avalloniæ abbas primus, postquam prædictos fratres regularibus disciplinis convenienter informaverat, et eundem locum terris et possessionibus de dono regum ac aliorum principum competenter ditaverat; post annos XXXIX. ab adventu suo in insulam Avalloniæ decursos,

¹ Camden. in Somersetshire, pag. 165.

^m MS. libell. de reliquis cœnobii Glaston. circa tem. R. Henrici III. script. Johan. Tinmuthensis in vita Patricii. Tabula magna Glastoniens, &c.

ⁿ MS. in bibliotheca collegii S. Trinitatis, Cantabrig.

naturæ cessit." Illi S. Bènignum successisse affirmat ibidem Guilielmus; ac deinde addit: "Successerunt ibidem plures de natione Britonum abbates; quorum tam nomina quam gesta et memoriam oblivionis nubilo obducens deletit antiquitas. Ipsam tamen ecclesiam apud magnates Britonum in maxima fuisse veneratione, ostendunt eorum exuviæ ibidem requiescentes." Item: "Effluxis a tempore S. Patricii annis CCLXVII. regnante post Kynegilsum filio suo Kenwalco, qui et Cenwallis est dictus, primus de Anglis præsedet in Glastonia abbas Briwaldus."

Balæus^o ex Johannis Lelandi collectaneis, primum abbatem Glastoniæ circa annum DCXXX. Worgresium fuisse refert, Britannici generis virum: habuisseque ex eodem cœnobio socium eruditum, Mawornum episcopum, qui annales suæ patriæ composuerit. Abbatem^p vero a Worgresio isto quartum designatum esse Brithwaldum, qui anno DCXCIII. Cantuariensis ordinatus est archiepiscopus. De duobus prioribus hoc tantum habemus reliquum ex Guilielmo Malmesburiensi antiquitatis testimonium. "Anno incarnationis DCI. id est, adventus B. Augustini V, rex Domponiæ (id est, Devonix et Cornubiæ) terram quæ appellatur Ineswithrin ad ecclesiam vetustam concessit, quæ ibi sita est, ad petitionem Worgrez abbatis in quinque cassatis^q. Ego Manvorn episcopus hanc chartam conscripsi. Ego Worgrez ejus loci abbas subscripsi. Quis iste rex fuerit schedulæ vetustas negat scire: veruntamen quod Britannus fuerit, hic non ambigitur, quod Glasconiam sua lingua Ineswithrin appellavit. Sic enim Britannice vocari apud eos constat. Illud quoque animadvertere par est, quantæ antiquitatis sit ecclesia, quæ tunc etiam dicebatur vetusta. Fuerunt sane ejusdem abbates Britannicam barbariem nominibus prætendentes (præter Worgrez) Lademmid, et Bregorez. Prælationis eorum tempora sunt in obscuro: sed nomina illorum et dignitates, in majori ecclesia, prodente secus altare pictura, sunt in propatulo." Brithwaldum vero idem Malmesburi-

^o Jo. Balæ. script. Britann. centur. 1. cap. 75. et centur. 10. cap. 7.

^p Id. centur. 1. cap. 99.

^q Alii Hidas et Carucatas terræ vocant. II. Spelman.

ensis^r inter septem illos qui e Glastoniensi cœnobio ad cathedram Cantuariensem sunt evecti connumerat: sed abbas numere functum apud Cantianos, in monasterio Regulbii (quod Saxonibus Raculf-minster, hodie Reculver appellatur) ex Bedæ^s liquet historia. Magnæ Glastoniensis tabulæ exarator trium archiepiscoporum corpora in insula Avalloniæ requiescere perhibet, S. Patricii videlicet Hiberniensem, S. Davidis Legionum, et S. Dunstani Cantiorum archiepiscopi: episcoporum vero novem, quorum unum Brichtwoldum nominat. At ejus nominis ego nullum in veteribus Anglo-Saxonicorum episcoporum indiculis invenio: et archiepiscopum, Doroberniæ defunctum in ecclesia S. Petri, sive S. Augustini Cantuariensis, sepultum fuisse, et ipse Beda^t, et in annalium quibus Bedam continuat initio docet Hovedenus; ut primus ille e gente Anglorum Glastoniensis abbas, non tam Brithwaldus sub Kenewalchio, quam Beorwaldus sub Ina rege censi posse videatur: cujus in vita Bonifacii Moguntini archiepiscopi meminit Willibaldus: ille nimirum Beorwaldus, quem Glastoniensem abbatem post Hemgiselum extitisse, et nomen in pyramide juxta vetustam ecclesiam posita insculptum habuisse, notat Malmesburiensis^u. Quanquam ut aliter sentiamus ejusdem ipsius Malmesburiensis nos moveat autoritas de tota hac re hunc in modum scribentis. “Anno Dominicæ incarnationis DCLXX. Cenwalch, anno regni sui XXIX. dedit Bertualdo Glasconiensi abbati Ferramere II. hidas, archiepiscopo Theodoro interveniente. Hic item Bertualdus, renitente rege et diœcesis episcopo, Glasconiæ renunciavit, ad regimen monasterii Raculf secessit. Quocirca Bertualdus, et fama religionis nominatissimus et gentis nobilitate præclarus (quippe fratris Ethelredi regis Merciorum filius) loci opportunitate Cantuariæ proximus, Theodoro archiepiscopo decedente illius successit cathedræ.”

Hemgislo autem sive Hemgiselo illi duæ concessæ habentur chartæ regiæ; una Baldredi reguli, ex consensu Heddæ Wintoniensis episcopi et Aldhelmi Malmesburiensis abbatis, anno DCLXXXI. illi donata; “ad sup-

^r De gest. reg. Anglor. lib. 2. cap. 11.

^s Bed. lib. 5. cap. 9.

^t Be d. lib. 2. cap. 3.

^u De antiquit. eccles. Glaston.

plementum honorabilis ecclesiæ B. Mariæ et B. Patricii quæ sita est in Glastingaburi;" altera Inæ regis, consilio ejusdem Aldhelmi, anno DCCIV. confirmata monachis qui in ecclesia beatæ Dei genetricis Mariæ et beati Patricii omnipotenti Deo sub abbate Hemgisto famulantur in pristina urbe quæ dicitur Glastingay;" qua utraque duæ etiam antiquiores extiterunt regum West-Saxonicorum donationes: prior Kenewalchi illius de quo dictum est, data anno Domini DCLXX. regni sui XXIX. posterior octavo post anno concessa a Kentwino; de quo magnæ Glastoniensis tabulæ consarcinator: " Illic," inquit, " requiescit rex Centuinus, vel Kentuinus, in pyramide saxea in cimiterio monachorum. Hic de regibus Anglorum primus fuit, qui insulam Glastoniæ liberam ab omni regali servitio vetustæ ecclesiæ concessit; sicut reges Britonum ante eum jam pridem confirmaverunt." Item: " Hedda episcopus in superiori cimiterio monachorum, in pyramide saxea quondam nobiliter exculpta, adhuc requiescit. Hic regiam libertatem insulæ Glastoniæ de rege Centwino ad vetustam ecclesiam impetravit: et liberam electionem fratribus ibidem Deo servientibus ab eodem rege perquisivit, ut haberent jus eligendi et constituendi sibi rectorem, secundum regulam S. Benedicti." Quod maximo argumento est, non modo ante Dunstani præfecturam, sed ante Inæ regnum quoque, monachorum conventum sub Benedicti regula viventium ibidem extitisse.

Privilegii autem, quo hujusmodi electionis Glastoniensibus concessa est potestas, ut et donationis Kenewalchianæ, et alterius ab Hedda episcopo, cum consensu Cedwallæ tum pagani (qui postea, Christianam fidem amplexatus, Kentwini in regno successor fuisse videtur) anno DCLXXXI. factæ, mentio fit in ipsius Inæ magno hoc privilegio, anno Dominicæ incarnationis DCCXXV. (vel DCCXXI. potius; si IV. apposita indictio recte se habeat) consignato.

" Ego Ina regali fretus dignitate a Domino, cum consilio Sexburgæ reginæ, et licentia Bcorthwaldi Dorobernensis ecclesiæ pontificis et omnium suffragancorum suorum, necnon et hortatu Baldredi et Athelardi subregu-

lorum, ecclesiæ vetustæ, quæ est in loco qui dicitur Glasteye, quam magnus sacerdos et pontifex summus, Christus angelorum obsequio sibi ac perpetuæ virgini Mariæ, beato David multis et inauditis miraculis olim se sanctificasse innotuit, ex iis quæ paterna hæreditate possideo, et in dominium peculiare teneo, locis continuis et congruentibus concedo, ad supplementum vitæ regularis et ad usum monachorum; Brente decem hidas, Sowi duodecim^x hidas, Pilton viginti hidas, Dulting decem hidas, Bledeni unam hidam; cum iis omnibus quæ antecessores mei eidem ecclesiæ contulerunt; Kenewalchius qui, sancto Theodoro archiepiscopo interveniente, Ferlingmere, Beokerie, Godenie, Martinesie, Edredesie; Kentwinus rex, qui Glastingeie matrem sanctorum vocare solitus fuerat, et eam ab omni seculari et ecclesiastico obsequio immunem statuit; et hanc privilegii dignitatem concessit, ut habeant fratres ejusdem loci potestatem eligendi et constituendi sibi rectorem juxta regulam S. Benedicti. Hedde episcopus, qui Cedwalla annuente et propria manu (licet paganus) confirmante, Lantokai; Baldrec^y, qui Penard sex hidas; Athelard, qui Poeld sexaginta hidas, me annuente et confirmante dederunt. Quorum ego devotioni et benignæ petitioni assentio, et contra malignantium hominum et oblatrantium canum insidias regalium munimine invigilo literarum: quatenus Ecclesia Domini nostri Jesu Christi et perpetuæ virginis Mariæ, sicut in regno Britannia est prima et fons et origo totius religionis, ita et [in] ipsa supereminentem privilegii obtineat dignitatem; nec ulli omnino hominum ancillare obsequium faciat in terris, quæ super choros Angelorum dominatur in cælis. &c.”

Illam vero de B. Davide fabellam hic perstrictam, quod fundamentum est reliquarum quæ de Glastoniensis ecclesiæ primordiis postea invaluerunt traditionum omnium, Guilielmus Malmesburiensis in libro de antiquitate Glastoniæ Johannes Timmuthensis (et ex eo Capgravius) in vita Patricii, et magnæ Glastoniensis tabulæ concinnator, latius explicarunt. Quibus et ista addantur, ex minore

^x Al. *decem*.

^y Al. *Baldredus*, vel *Baldred*, rectius.

tabula ænea, de^z vetere illa ecclesia a Christo consecrata, “sancto David Menevensium archiepiscopo hoc testante: cui Dominus ecclesiam illam dedicare disponenti in somnis apparuit, et eum a proposito revocavit; necnon in signum quod ipse Dominus ecclesiam ipsam primus cum cœmiterio dedicarat, manum episcopi digito perforavit: et sic perforata, multis videntibus, in crastino apparuit. Postea vero idem episcopus, Domino revelante, ac sanctorum numero in eadem crescente, quendam cancellum in orientali parte huic ecclesiæ adiecit, et in honore beatæ Virginis consecravit; cujus altare inæstimabili sapphiro in perpetuam hujus rei memoriam insignivit. Et ne locus aut quantitas prioris ecclesiæ per tales augmentationes oblivioni traderetur; erigitur hæc columna, in linea per duos orientales angulos ejusdem ecclesiæ versus meridiem protracta et prædictum cancellum ab ea abscidente. Et erat ejus longitudo ab illa linea versus occidentem XC. pedum, latitudo vero ejus XXVI. pedum, distantia centri istius columnæ a puncto medio inter prædictos angulos XLVIII. pedum.”

Ecclesiolam illam a Davide adjectam, Seint Marie le petite, sive sanctam Mariam parvam, fuisse nominatam; veterem vero a Paulino^a novo opere postea instauratam, in magna tabula legimus: “Anno,” inquit auctor, “Domini DCXXV. S. Paulinus Northanhumbrorum archiepiscopus Glastoniam ad perendinandum venit. Hic muros vetustæ ecclesiæ ligneo tabulatu construere fecit, et extra a summo usque deorsum in terram plumbo undique cooperire fecit: et sic illud sanctum oratorium in eadem factura usque ad combustionem ejusdem ecclesiæ perduravit.” Unde lucem accipit subscriptio prioris privilegii ab Ina rege huic cœnobio concessi: “Actum publice et confirmatum in lignea Basilica, anno Domini DCCIV.” et alterius, quo^b a Cnutone antecessorum suorum, Cenwini, Inæ, Cuthredi, Ailredi, Alfredi,

^z Supr. cap. 2. pag. 30. D. Godwin. de convers. Britann. pag. 13.

^a “Paulinum, ex archiepiscopo Eboracensi Roffensem episcopum, asserit majorum traditio Ecclesiæ contextum dudum, ut diximus, virgæe ligneo induisse tabulatu.” Guil. Malmes.

^b Guil. Malmes. de gestis reg. Anglor. lib. 2. cap. 11.

Edwardi, Etheldredi, Ailstani, Edmundi, et Edgari, donationes confirmantur: "Scripta est hujus privilegii donatio et promulgata in lignea Basilica, sub præsentia regis Cnutonis, anno ab incarnatione Dominica MXXXII." Præ cæteris vero rex Edgarus Glastoniense cœnobium amplificare studuit: non solum privilegia concessa a prædecessoribus, Cenwino, Ina, Ethelardo, Cuthredo, Elfredo, Edwardo, Ethelstano, et Edmundo, confirmando, sed nova etiam complura adjiciendo; quæ ex Glastoniensium antiqua schedula recitat Malmesburiensis^c.

Extat adhuc ejus diploma^d, datum "anno Dominica incarnationis DCCCCLXXI. Indictione XIV. præsentibus et consentientibus Dunstano archiepiscopo Cantuariensi, et Oswaldo Eboracensi, et Athelwoldo Wintoniensi, et Brithelmo Fontanensi, et regina Edgiva, et multis aliis ducibus et principibus, et aliis innumeris." In cujus proœmio leguntur ista. "Dignum videtur, ut ecclesia beatissimæ Dei genetricis semperque virginis Mariæ Glastoniensis, sicut ex antiquo principalem in regno meo obtinet dignitatem, ita speciali quadam et singulari privilegii libertate per nos honoretur:" deinde, inter alia privilegia, confirmatur et illud: "ut, quod hactenus ab omnibus antecessoribus diligenter observatum est, Fontanensis^e episcopus vel ejus ministri super hoc monasterium vel super parochiales ecclesias ejusdem, videlicet Strete, Merelinch, Budecleth, Shapwyke, Sowi, aut super earum capellas; nec etiam super eas quæ in insulis continentur, scilicet Bekerye, quæ parva Hibernia dicitur, Godenye, Martinesye, Pathenebryge, Adredsye, Ferlingende^f, nullam omnino potestatem habeant."

Hæc omnia eo studiosius a me simul huc sunt congesta; ut intelligi posset, quænam de Glastoniensis ecclesiæ antiquitate Anglo-Saxonum temporibus opiniones receptæ fuerint: nempe, I. "Primam in regno Britannia eam fuisse habitam, ac fontem et originem totius religionis, ut

^c Guil. Malmes. de gestis reg. Anglor. lib. 2. cap. 8.

^d Guil. Malmes. in lib. de antiquit. eccles. Glaston. D. Henr. Spelmanni synod. pag. 485.

^e *Wellensis* vulgo dictus. Budeket. MS. Oxon.

^f *Ferlingmere*. MS. Oxon.

Ina inquit, atque ex antiquo, ut loquitur hic Edgarus, principalem in eo regno obtinuisse dignitatem." II. A discipulis Christi ædificatam, et ab ipso Christo consecratam primitus fuisse. III. Glastoniam matrem sanctorum fuisse nominatam. IV. Præ aliis sanctis ita celebrem fuisse Patricii nostri in ea memoriam; ut vetusta illa ecclesia B. Mariæ simul et B. Patricii nomen acceperit: quemadmodum ex Baldredi et Inæ chartis liquet: quibus addi potest et Ealdredi cujusdam donatio; qua concessæ sunt "Ecclesiæ B. Dei genetricis Mariæ et S. Patricio, sub testimonio regis Edgari optimatunque suorum, undecim hidæ de Clifan."

Atque ex hisce demum est prognata illa B. Patricio afficta epistola: in qua, non solum quæ de vetusta Ecclesia S. Mariæ a XII. discipulis Philippi et Jacobi constructa superius^g recitavimus, sed etiam de oratorio S. Michaelis in montis cacumine a Fagano et Deruviano ædificato leguntur ista: "Invenimus volumen unum, in quo scripti erant actus apostolorum, pariter cum actis et gestis sanctorum Phagani et Deruviani, ex magna parte consumptum: in ejus tamen fine voluminis invenimus scripturam, quæ dicebat, quod prædicti sancti Phaganus et Deruvianus per revelationem Domini nostri Jesu Christi idem oratorium ædificaverunt in honore sancti Michaelis archangeli; quatenus ibi ab hominibus haberet honorem, qui homines in perpetuos honores jubente Deo est introducturus. At cum delectaret nos illa scriptura, nitebamur eam ad finem legere. Dicebat etenim eadem scriptura, quod venerandi Phaganus et Deruvianus moram ibi fecerunt per novem annos: et quod ipsi etiam perquisierant triginta annorum indulgentiam, omnibus Christicolis locum ipsum ob honorem beati Michaelis pia voluntate visitantibus." Neque adhuc tamen rerum ad Josephum Arimat hæensem spectantium facta est illa accessio: de quibus uti de ipsa etiam commentitia hac epistola, in scriptis ante Normannorum adventum editis, quemadmodum ante^h subindicavimus, altum est silentium.

^g Supr. cap. 2. pag. 34.

^h Supr. pag. 25.

Ab Arthurⁱ quoque et aliis Christianis Britonum regibus, cœnobium suum dotatum fuisse pluribus possessionibus, affirmant monachi Glastonienses. “Anno DXLII.” inquit eorum unus, “inclutus Arthurus obiit: et sepultus in insula Avalloniæ in Domino requiescit, qui e regibus Britonum octavus decimus fuit, qui Christiani fuerunt; et illam ecclesiam a discipulis sanctorum Philippi et Jacobi in insula Avalloniæ olim constructam nimis dilexerunt, de terris et possessionibus eam valde ditaverunt, liberamque ab omni seculari servitio per privilegia et regalia scripta confirmaverunt.” Arthurum vero regem, dicto illo anno, “Lethaliter vulneratum, ad sananda vulnera sua in insulam Avallonis advectum, cognato suo Constantino diadema Britanniae concessisse,” refert Galfridus Monemuthensis^k: in qua etiam insula, mortuo jam Galfrido, sepulchrum illius inventum fuisse, cum ab aliis proditum est, tum in magna^l Glastoniensi tabula hoc modo.

“In hac insula, [quæ insula] Avalloniæ [dicitur,] inno in hoc tumulo sanctorum, apud Glastoniam requiescit inclutus rex Arthurus flos regum Britanniae, et Guenhavera^m ejus regina; qui post decessum eorum, juxta vetustam Ecclesiam, inter duas pyramides lapideas quondam nobiliter insculptas, honorabiliterⁿ sepulti fuerunt: et ibidem per multa annorum curricula requieverunt, videlicet DCXXVIII. annos, usque ad tempus Henrici de Soili; qui post combustionem ejusdem ecclesiae abbas fuit illius loci. Prædictus vero abbas a compluribus sæpissime admonitus, jussit inter prædictas pyramides fodere, si regium corpus valerent invenire: et antequam fodere inceperunt, cortinis totum locum circumdederunt. Foderunt igitur in profundum valde, et ad extremum ingens sarcophagum ligneum totum clausum invenerunt: et illud quam citius potuerunt cum eorum utensilibus aperuerunt: et regum corpus

ⁱ Supr. cap. 2. pag. 32.

^k Hist. Britan. lib. 11. cap. 2.

^l Et parvo libro Glaston. in bibliotheca Bodleiana.

^m Guenevera regina ejus secunda. Bod.

ⁿ Sepulture tradebantur. Ibidem sexcentis quadraginta et octo annis requiescentes, usque ad tempus Henrici de Soity abbatis. Glaston.

intro invenerunt, et quandam crucem de plumbo totam in una parte ita descriptam. HIC JACET SEPULTUS INCLITUS REX ARTHURUS IN INSULA AVALLONIA. Deinde tumbam reginæ aperuerunt, et crines capitis sui per similitudinem sicut noviter ibidem sepulta erat, circa corpus suum jacuerunt: sed cum eas tetigerunt, totum in pulverem devenerunt. Abbas vero et conventus cum ingenti gaudio et honore maximo eorum exuvias inde transtulerunt, et in mausoleo intus bipartito et extra nobiliter in petra exciso, in majori ecclesia eos ita collocaverunt: regium videlicet corpus per se ad caput tumbæ, et reginam in orientali parte imposuerunt. Et hi versus circa epitaphium subtiliter exsculpti sunt.

Hic jacet Arthurus, flos regum, gloria regni;
Quem mores, probitas, commendant laude perenni.

Arthuri jacet hic conjunx tumulata secunda;
Quæ meruiti cælos virtutum prole secunda^o.

Henricum abbatem, cujus in hac historia facta est mentio, Johannes Lelandus^p Blesensem alias Soliacensem dictum fuisse ait; Henrici II. regis ex Adela nepotem et Richardi regis consanguineum, ex abbate Bermundianæ insulæ Glastoniensem primum præsidem, ac deinde Wintoniensem episcopum designatum. Verum sciendum est, duos fuisse Henricos abbates Glastonienses, a Lelando hic in unum conflatos. Prior Blesensis fuit, Henrici, non secundi, sed primi ex sorore Adela nepos, Stephani regis et Theobaldi comitis Blesensis frater: qui anno MCXXIX. ad Wintoniensem episcopatum promotus, anno MCLXXI. vivere desiit. Atque huic librum de Glastoniensis ecclesiæ antiquitate dicavit Guilielmus bibliothecarius Malmesburiensis, proprio cognomine Somerset dictus; quem Balæus^q anno MCXLII. vitam, Matthæus Parisiensis^r Anglorum historiam terminavisse asserit: licet principia gestorum anni MCXLIII. ipse exponat in novella sua historia.

^o al. *secunda*.

^p Leland. assert. Arturii; fol. 25. a. et 26. b.

^q Balæ. script. Britann. centur. 2. cap. 73.

^r Matth. Paris. in hist. anni 1142.

Posterior, Henricus Soliacensis, de Soili vel Sully, et quibusdam Suinesius appellatus, post combustionem Glastoniensis ecclesiæ, quam anno MCLXXXIV. contigisse notat Hovedenus, abbatiam adeptus, anno (ut ex eodem intelligimus) MCXCIII. Wigorniensis factus est episcopus, et MCXCV. obiit. Ab eo Arthuri et uxoris ipsius inventæ sunt reliquiæ, atque in marmoreo monumento conditæ; appositis duobus illis jam commemoratis distichis: ex quo scalmo navigium compingens Pitsius³; “ex multis quæ et oratorio stylo scripsit et poetico, nullum titulum apud scriptores invenisse se fingit, præter diversi generis poematum librum unum.”

Balæus⁴ quoque illa duorum Henricorum confusione, quam a Lelando hausit, non contentus, de suo adjecit, “scripsisse Soliacum plura, tam prosa quam carmine; et inter alia ad avunculum regem, adjutore Giraldo Cambrensi, de inventione corporis Arthuri librum unum;” addens, se “reliqua ejus opuscula nec tetigisse unquam, nec vidisse:” quasi vel ille, vel alius quisquam mortalium, alterum illum librum aut tetigisset uspiam, aut aspexisset: quem tamen, hoc commenti genere, quod Balæo nimis familiare est, haud satis perspècto, “extare etiamnum hodie,” pronuntiat Godwinus⁵ noster. Historiam quidem Arthuriani sepulchri ab Henrico abbate Glastoniæ inventi, et in libro de institutione principis et in speculo ecclesiastico fusius enarrat Giraldus; atque ab eodem abbate tum Arthuri ossa, tum crucem illam plumbeam ostensa sibi fuisse agnoscit: sed de eo argumento librum aliquem ab illo fuisse compositum, neque ipse dicit, neque ante Balæum ullus alius.

Giraldi verba de Arthuri ossibus hæc sunt: “Os tibiæ ipsius appositum tibiæ longissimi viri, quod et nobis abbas ostendit, et juxta pedem terræ illius adfixum, large tribus digitis trans genu ipsius se porrexit. Os etiam capitis, tanquam ad prodigium vel ostentum, capax erat et gros-

³ Jo. Pits. de illustrib. Angliæ scriptorib. num. 267.

⁴ Balæ. centur. 13. cap. 28.

⁵ Fr. Godwin. in Wintoniensium episc. catalogo, num. 37.

sum; adeo ut inter cilium et oculos palmalem amplitudinem large contineret. Apparebant in hoc decem aut plura vulnera: quæ cuncta, præter unum majus cæteris quod hiatum grandem fecerat, quodque solum lethale videretur, in solidam concreverant cicatricem." De plumbea cruce ista; "In lapide quodam lato tanquam ad sepulchrum a fodientibus invento, quasi pedibus septem sub terra, cum tamen sepulchrum Arthuri novem pedibus inferius inventum fuerit, reperta fuit crux plumbea, non superiori sed potius inferiori parte lapidis inserta, literas has inscriptas habens: HIC JACET SEPULTUS INCLITUS REX ARTHURUS IN INSULA AVALLONIA CUM WENEVERIA UXORE SUA SECUNDA. Crucem autem hanc extractam a lapide, dicto abbate Henrico ostendente, perspeximus, et literas has legimus." Ubi ex inscriptione demendæ videntur postremæ quinque dictiones: quippe quæ neque apud Glastoniensem monachum inveniuntur qui totam hanc narrationem ipsissimis Giraldi verbis expressis, neque in protypo crucis^w ipsius; quæ in Glastoniensis ecclesiæ gazophylacio usque ad cœnobii illius dissolutionem est conservata: de qua Johannes Lelandus, "Erat ex lamina plumbea confecta, longa plus minus pedem unum: quam et ego curiosissimis contemplatus sum oculis, et sollicitis contrectavi articulis, motus et antiquitate rei et dignitate. Literis Romanis majusculis illis, sed parum dextere insculptis, hæc verba continet, HIC JACET SEPULTUS INCLITUS REX ARTURIUS IN INSULA AVALLONIA."

Tempus inventæ hujus crucis et sepulchri, in rhythmicis versibus quos de Arthuro scriptos habeo, ita notatum comperi.

Annis millenis bis centum connumeratur,
Tollitur undenus numerus; tunc extumulatur.
In tumulo cujus crux plumbea scripta reperta,
Facti tunc hujus reddebat singula certa.

Ex MCC. sublato undenario, relinquitur ann. MCLXXXIX. ad quem a Malmesburiensis quoque interpolatore ista referuntur: qui etiam in die Veneris Pentecostes, sive XXV.

^w Leland. in assert. Arturii, fol. 22, 23. et Camden. in Somersetshire, pag. 166.

die Maii, anno MCLXXXIV. Glastoniensis cœnobii combustionem, post quam Henricum de Soliaco abbatem factum fuisse audivimus, contigisse confirmat. “In æstate,” inquit, “die videlicet S. Urbani, totum monasterium, præter cameram cum sua capella a Roberto abbate constructam, et campanarium ab Henrico episcopo constructum consumpsit incendium:” ubi, “reliquiarum confusio, thesauri tam in auro et argento, quam in pannis sericis, libris et cæteris ecclesiæ ornamentis, direptio, etiam remotos hæc audientes non immerito posset ad lamenta provocare:” quod sententiam refellit, et Nicolai Harpsfeldii^x, in annum MCLXXVII. et Ranulphi Cestrensis^y atque Johannis Caii^z, in annum MCLXXX. translationem reliquiarum Arthuri conferentis.

“Anno ab incarnatione Domini MCXCI. inventum est sarcophagum in insula Avallan, et in sarcophago ossa virilia et tabula plumbea in qua ita scriptum erat: HIC JACET GLORIOSISSIMUS REX BRITONUM ARTURUS: quod et ego Simon oculis meis inspexi,” inquit hic, in Abbendonien-
 sis cœnobii historia. Similiter etiam Matthæus uterque, Parisiensis et Westmonasteriensis, cum Johanne Bevero, quem Castoreum et Fiberium vocant, earum inventionem in annum conjiciunt MCXCI. quo Rogerus Hovedenus et Gualterius Coventrensis gladium Arthuri, quem Britones Caliburne vocant, Tancredo Siciliae regi a Richardo I. donatum fuisse scribunt. Sed regnante Henrico II. quem sexto die Julii, anno MCLXXXIX. vita excessisse constat^a, Arthuri ossa effossa fuisse, ex Giraldi Cambrensis narratione intelligitur: cujus hoc exordium est, “Regnante^b nostris in Anglia diebus Henrico II. contigit ut apud Glastoniense cœnobium, quondam (ante combustionem scilicet) nobile sepulchrum, dicto rege monente et abbate loci ejusdem Henrico, qui ad cathedram Wigor-

^x Harpsfeld. hist. ecclesiast. Anglican. lib. 1. cap. 14.

^y Ranulph. polychronic. lib. 5. cap. 6.

^z Cai. antiquit. Cantabrig. lib. 1. pag. 53.

^a Vide Ranulph. Cestrensis. polychronic. lib. 7. cap. 23. Ex Giraldi lib. de institut. principis.

^b Girald. specul. eccles. distinct. 2. cap. 8.

niensem translatus postea fuit, procurante, diligenter quæsitum, in cœmeterio sacro a S. Dunstano dedicato, inter duas pyramides altas et literatas in Arthuri memoriam olim erectas, multis laboribus effoderetur; et corpus ejusdem in pulverem et ossa redactum, ab imis in auram et statum digniorem transferretur." Conclusio vero ista: "Dictus^c autem abbas corpore reperto, monitis quoque dicti regis Henrici marmoreum ei sepulchrum fieri fecit egregium, tanquam patrono loci illius præcipuo: qui scilicet ecclesiam illam præ cæteris regni cunctis plus dilexerat, terrisque largis et amplis locupletaverat. Ideoque non immerito, sed justo quoque Dei judicio, qui bona proculdubio cuncta, non solum in cœlis verum etiam in terris, sive in vita sive post mortem gloriam conferendo plerumque remunerat, in cœnobiali demum Ecclesia, antiqua præ cæteris regni totius et authentica, corpus Arthuri egregie sepultum fuit; et glorifice, sicut debuit et tantum virum decuit, collocatum."

Inter terras, quibus Arthurum ecclesiam Glastoniensem locupletavisse ait hic Giraldus, Brent-marsh nominat Johannes Rossus: quam alii ranarum palustrium regionem interpretantur; Malmesburiensis a Bregdeno illo derivat, cujus nomen in duarum pyramidum, inter quas Arthuri corpus fuit repositum, majore insculptum reperit. "Certe," inquit, "LOGWOR is pro certo asseritur esse, de cujus nomine Logweresbeorh dicebatur, qui nunc Mons Acutus dicitur: BREGDEN^d a quo Brentaknolle, qui nunc Brentemers dicitur." Donationis vero Arthurianæ tabulas, inter aliorum regum alias complures exhibitas sibi fuisse testatur Henricus II. in charta anno MCLXXXV. novæ ecclesiæ Glastoniensi, post veteris incendium a se fundatæ, concessa: quam vidisse se affirmat Johannes Caius^e "salvam atque integram, equite in cera viridi consignatam, sigillo de filo serico albo atque rubro pendente confirmatam." Eam et nos, inter archiva regia in arce Londi-

^c Girald. specul. eccles. distinct. 2. cap. 10.

^d A Lelando, in assert. Arturii, fol. 24. et qui ex eo exscripsit, Camdeno, pag. 167. hoc omisum est.

^e Cai. antiquit. Cantebri. lib. 4. pag. 54.

nensi asservata, quinquies^f transcriptam invenimus indeque istas decerpsimus.

“Henricus Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ, Aquitaniæ, et comes Andegaviæ, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, justiciariis, baronibus, vicecomitibus, et omnibus fidelibus suis Francis et Anglis totius Angliæ, salutem. Quoniam quæ seminaverit homo, hæc et metet: ecclesiæ Glastoniæ fundamentum jaciens, quæ dum in manu mea fuerat incendio consumpta in cinerem recedit; eam Domino volente, persuadentibus Eraclio patriarcha Hierosolymitano, Baldewino archiepiscopo Cantuariensi, Richardo Wintoniensi episcopo, Bartholomæo Exoniensi episcopo, Ranulpho de Glanvil, cum multis aliis, per me aut per hæredes meos consummandam, magnificentius reparare decrevi. Quæcunque etiam a prædecessoribus meis Willielmo primo, Willielmo secundo, et Henrico avo meo; sed et ab antiquioribus, videlicet sancto Eadgaro patre sancti Edwardi, ab Eadmundo et patre ipsius Edwardo, et Ælfredo avo ejusdem, Bringwalechio, Kentwino, Baldredo, Ina, inclito Arturo, Cudredo, et multis aliis regibus Christianis, sed etiam a Kenewalla quodam rege pagano, quorum privilegia et chartas feci diligenter inquiri et coram me præsentari et legi, confirmata sunt prædictæ ecclesiæ, quæ olim a quibusdam mater sanctorum dicta est, ab aliis tumulus sanctorum; quam ab ipsis discipulis Domini ædificatam, et ab ipso Domino dedicatam primo fuisse, venerabilis habet antiquorum auctoritas, ego quoque in honorem Dei et beatissimæ virginis matris suæ, quæ locum illum sibi specialem et primum in hoc regno elegit, et omnium sanctorum ibidem quiescentium, pro salute animæ meæ et antecessorum et hæredum meorum concedo, et hac mea charta confirmo omnes libertates et dignitates, privilegia et liberas consuetudines, quæ a prædictis nobilibus viris collata sunt præfatæ ecclesiæ, et apostolicis sanctionibus munita, et a beatis Ealfego et

^f Inspeximus chart. ann. 6. Edward. II. num. 13. et ann. 7. ejusd. num. 29. et ann. 1. Edward. III. num. 67. et ann. 6. ejusd. num. 27. et Patent. an. 1. Edward. IV. part. 6. membran. 21. Eam etiam ecclesiasticæ suæ historiæ libro 1. cap. 2. inseruit Harpsfeldius.

Dunstano archiepiscopo, et quondam loci illius monachis, et a prædecessoribus eorum et posteris roborata, &c. Sed præcipue villa Glastoniæ in qua vetusta ecclesia genitricis Dei sita est, quæ fons et origo totius religionis Angliæ pro certo habetur, præ cæteris sit liberior cum insulis suis, scilicet Becaria quæ parva Hibernia dicitur, Godeneya, Martenesia, Ferumere, Patheneberga, et Adredesia, &c. Testibus Eraclio patriarcha Hierosolymitano, Willielmo Remensi archiepiscopo, Baldewino archiepiscopo Cantuariensi, Richardo Wintoniensi episcopo, Bartholomæo Exoniensi episcopo, Reginaldo Bathonensi episcopo, Willielmo Comite de Mandevill, Randulfo de Glanvill, et multis aliis, apud Westmonasterium."

Huic Henrici II. magno (ut appellatur) privilegio, diplomatis alterius, ab Edvardo III. die vicesimo septimo Februarii, anno regni tertio dati, præcæmium, ex iisdem^s archivis descriptum adjungam. "Edwardus Dei gratia rex Angliæ, dominus Hiberniæ, et dux Aquitaniæ; omnibus ad quos præsentis literæ pervenerint, salutem. Ad decorem et tranquillitatem Glastoniensis ecclesiæ (quæ, ut veterum tradit authoritas, primo a discipulis Domini ædificata extitit, et ab ipso Domino consecrata; ac sanctorum tumulus vocabatur, propter sanctorum multitudinem quorum corpora ibidem referuntur humata: quam etiam progenitores nostri reges Catholici propter loci sanctitudinem de suis fundarunt patrimoniis et ditantur largiflue, et variis privilegiis et libertatibus munire piis desideriis studuerunt) nostræ considerationis intuitum convertentes, ut ab ea cujuslibet inquietudinis submoveatur occasio et inserti in vite palmites virescant et fructificent, vepribus a vinea extirpatis; eo solertius agimus et ferventiori desiderio æstuamus, quo ardentius cupimus cultum divini nominis et regularis disciplinæ observantiam nostris semper augeri temporibus, et personas divinis mancipatas obsequiis quietis plenitudine præpotiri."

Fervente inter Glastonienses monachos et Jocelinum Bathonensem ac Wellensem episcopum contentione, circa

^s Inspeximus Patent. ann. 1. Richard. II. part. 3. membran. 13.

annum MCCXV. facta est de pluribus articulis inquisitio : quorum^b primus hic fuit, “ An omnibus ecclesiis Angliæ Glastoniensis ecclesia sit antiquior et vetustior, saltem per famam, inquiratur.” Secundus iste, “ An omnibus monasteriis Angliæ esset quondam laudabilius et excellentius, et cum primo abbate præficeretur? et an omnium abbatum extet memoria, vel extare possit?” Cui de abbatibus quæstioni chronologicam hanc *σύνοψιν*, ab ejusdem cœnobii monacho post quadraginta et quatuor annos literis memoriæque mandatam, responsionis loco subjiciam: et cum ea totam de monasterii illius antiquitate disquisitionem tandem finiam.

“ Ab incarnatione Domini usque ad adventum S. Patricii Hiberniensium apostoli in Glastoniam, CCCXXXIII. anni. Hic fratres, in diebus illis in diversis locis habitantes congregavit, et secundum regulam sanctam communiter vivere instruxit: et postea ipsi fratres prædictum sanctum unanimiter elegerunt, et primum abbatem illius loci constituerunt.”

“ A tempore S. Patricii usque ad Beorwaldum abbatem de Anglicis primum, CCXXXVII. anni. Et sciendum est, quod inter S. Patricium et Beorwaldum plures abbates de gente Britannorum in Glastonia fuerunt; quamvis antecessores nostri nomina eorum in catalogo abbatum non scripserint.”

“ A tempore Beorwaldi usque ad S. Dunstanum, CCLXX. anni. Et hoc quoque notandum est, quod inter Beorwaldum et S. Dunstanum, XVIII. abbates in Glastonia fuerint.”

“ A tempore S. Dunstani usque ad Turstinum abbatem de Normannis primum, CXL. anni. Et hoc similiter sciendum est, quod inter S. Dunstanum et Turstinum sex abbates in Glastonia extiterint.”

“ A tempore Turstini usque ad abbatem Michaellem, CLXX. anni. Et hoc quoque adjiciendum est, quod inter Turstinum et Michaellem septem abbates in Glastonia fuerunt.”

^b Secret. domini abbatis, fol. 43. in bibliotheca Arundelliana.

“ Sed si quis numerum annorum a S. Patricii tempore primi abbatis Glastoniæ usque ad S. Dunstanum sciri voluerit: secundum chronica antiquorum, DVII. annos: et a tempore S. Dunstani usque ad tempus nostrum, CCCXIX. annos invenire valebit. Hæc autem scripta in anno post incarnationem MCCLIX.”

Sed nimis diu in Glastoniensibus antiquitatibus explicandis hæsimus. Ad Lucium jam regredimur: de quo in Britannica historia porro legimus. “ Gloriosus^l ille rex Lucius, cum infra regnum suum cultum veræ fidei magnificatum esse vidisset, maximo gaudio fluctuans, possessiones et territoria quæ prius templa idolorum possederant in meliorem usum vertens, ecclesiis fidelium permanere concessit. Et quia majorem honorem ipsis impendere debuerat, augmentavit illas amplioribus agris et mansis, omnique libertate sublinavit:” et in ejusdem metaphrasi, Gildæ temere attributa:

Lucius interea regnum lucrere corusca
Luce nova fide gaudens, convertit in usus
Ecclesiæ quæ templa prius tenuere Deorum.

Brevius, ad Othonem IV. imperatorem, Gervasius Tillesburiensis: “ His Lucius omnia territoria templis pridem collata, contulit ecclesiis et ampliavit.” Rogerus Wendoverius^k, et alii eum secuti: “ Possessiones largas ac prædia ecclesiis et viris ecclesiasticis abundanter distribuit, atque munimentis omnia et privilegiis communivit. Ecclesias quoque cum suis cœmiteriis, ita esse liberas constituit; ut quicumque malefactor ad illa confugeret, illæus ab omnibus maneret.” Quibus addantur quæ de Wintoniensis ecclesiæ fundatione, in ejusdem ecclesiæ historiola^l, circa annum MCCCCXL. conscripta, et majore Thomæ Rudburni chronico^m, iisdem verbis habentur expressa.

“ Aspiciens utroque lumine gloriosus ac Christianissimus rex Lucius cultu veræ fidei mirifice suum regnum

^l Galfrid. Monemuth. lib. 2. cap. 2. edit. Ascensian. lib. 5. cap. 1. edit. Heidelberg.

^k Rog. Wendov. ad annum grat. 184. Matth. Paris. Matth. Westmonast. et histor. Roffens. ad ann. 187.

^l MS. in bibliotheca Cottoniana.

^m MS. in bibliotheca Lambethana.

esse magnificatum, maximoque gaudio repletus, possessiones et territoria quæ prius templorum flamines possederant in meliorem usum vertens, ipsa ecclesiis fidelium permanere concessit; augmentandoque eas amplioribus agris et mansis omnique libertate sublimavit. Ecclesiam vero Wintoniensem quam quadam speciali prærogativa dilexit solummodo a fundamentis renovavit: ut scribit Vigilantius in libro de Basilica Petri, capitulo primo; monachis vero, quousque perficeretur opus pro posse consummandum, mansiunculam cum oratorio, dormitorio, ac refectorio construxit: ut scribit idem Vigilantius. Completo renovationis opere quinto anno conversionis regię, dedicaverunt eam prædicti antistites et monachi Faganus et Duvianus in honore sancti Salvatoris, IV. Calendas Novembris, anno gratię CLXIX. et monachis ipsam repleverunt Deo devote famulantibus: abbatemque loci constituerunt monachum quendam vocabulo Devotum. Statuit insuper inclitus princeps Lucius episcopo et monachis Wentanę ecclesię dari possessiones et prædia quę quondam erant ejusdem civitatis flaminum, cum privilegiis eorundem. Quorum limites extendebantur, ut scribit ille antiquus Britannorum conscriptor Moraciusⁿ, per duodecim millia passuum per gyrum civitatis Wentę: scilicet ab unaquaque plaga civitatis in duodecim millia passuum. Insuper, ut scribit idem Moracius ibidem, dedit prædictus Christianissimus rex Lucius prædictę ecclesię, quam de novo fundaverat, suburbana civitatis ejusdem cum privilegio Dunwallonis Molmutii. Iste Dunwallo, ut scribit idem Moracius, et Gildas historię suę capitulo decimo nono, et Gaufridus Monemuthensis in historia^o Britonum, cum sextus decimus esset Britonum rex et paganitate nimis obvolutus, leges sancivit quę Molmutinę dicebantur, usque ad tempora Willielmi Conquestoris satis celebres. Inter quę statuit, ut civitates et templa Deorum, vię ad illa ducentes, ac aratra colonorum immunitate confugii congauderent: ut quicumque fugitivus sive reus ad ea confugeret, cum venia coram inimico suo abiret. In diebus illis latro-

ⁿ lib. 1. cap. 9.

^o lib. 2. cap. ult. edit. Heidelberg.

num mucrones cessabant; nec erat qui violentiam alicui usquam ingereret. Erantque ab unaquaque plaga civitatis in quolibet duodenario numero passuum octo viculi optimi. Requievit extunc religio monastica in ecclesia Wintoniensi, quieta in pace et pacifica possessione Domino jugiter conjubilans, centum duobus annis, videlicet a primo anno regni Lucii Christianissimi principis, usque ad annum secundum Dioclesiani tyranni. Eratque mensura ecclesiæ quam primitus rex Lucius fundaverat^p in longitudine ducentorum et novem passuum, in latitudine octoginta passuum, in altitudine nonaginta duorum passuum: ab uno cornu ex transverso ecclesiæ in alterum, passus centum triginta. Situs monasterii ex parte orientali ecclesiæ erat centum passuum in longitudine, versus videlicet templum Concordiæ, et quadraginta passuum in latitudine, versus scilicet novum templum Apollinis. Ex parte aquilonali in longitudine erant passus centum sexaginta, in latitudine nonaginta octo. Ab occidentali plaga ecclesiæ erant passus centum nonaginta, in latitudine centum. Ex Australi plaga erant passus in longitudine quadringenti quinque, in latitudine quingenti octoginta. In hac plaga situm erat palatium episcopale, domus necessariæ ac officinæ monachorum.

Sic constructa micat, sic et variata coruseat
 Machina, quæ hanc matrem sustinet ecclesiam.

In magna Wintoniensis ecclesiæ tabula leguntur consimilia: " Tali sacra lotionem tereso Lucio rejectoque infidelitatis velamine, construitur de novo insigne Wintanæ civitatis cœnobium, quod vetus nominatur. Monasticæ religionis inibi constituuntur professores, adaucta pontificalis apicis cathedra: dedicatumque est illud monasterium a supranominatis doctoribus (Fagano et Damiano) in honorem sancti Salvatoris; ut scribit Moracius libro primo, capite septimo, et Vigilantius in libro de Basilica Petri capite primo. Possessiones vero et prædia cum redditibus, quæ quondam erant flaminum, additis suburbanis mansionibus civitatis, ad pontificis et monachorum stipendia largissima

^p secundum Móracium lib. I. cap. 2.

manu princeps inclytus commendavit. Evidentissimo dilectionis titulo insuper concessit prædictæ ecclesiæ insignis princeps, sicut et aliis omnibus sacris locis regni sui, privilegium Dunwallonis Molmutii." Et in antiquitatum ejusdem ecclesiæ libello: "Paganitas deleta est in Britannia anno gratiæ CLXIV. anno primo regni Lucii regis Britannorum: qui Lucius rex primus fundavit ecclesiam Wintoniensem, quæ modo vetus nominatur cœnobium; ipsam faciens ecclesiam cathedralem, monachos in ea constituendo. Prædia et possessiones flaminum, qui parum ante erant in Britannia, monachis non solum dedit, sed etiam munifice ampliavit. Fundata est prædicta ecclesia Wintana et dedicata a Fagano et Duviano episcopis et monachis in honore sancti Salvatoris IV. Kalendas Novembris, anno gratiæ CLXIX. A prima fundatione et dedicatione Wintoniensis ecclesiæ florent anni MCCLXV. Duravit Christianitas in Britannia a tempore (videlicet a primo anno) Lucii regis primi Britannorum Christiani usque ad primum annum Dioclesiani principis quæta in pace, videlicet centum annis. Et tam diu monachi Deo servientes prædictum vetus cœnobium quiete inhabitabant." Istos autem monachatum professos esse addit Rudburnus⁹, "secundum regulam a S. Marco evangelista traditam; de qua scribit Cassianus, de institutis monachorum." Atque hæc sunt quæ recentiores chronographi Wintonienses de ecclesiæ suæ antiquitate proferunt, quorum fides penes ipsos esto.

Sunt qui Lucio regi assignent templum B. Petro positum extra urbem Londinum: ut notat Polydorus⁸. De prima illius constructione liber extat a Sulcardo monacho scriptus ad abbatem suum Vitalem: qui Westmonasteriensi huic collegio sub Guilielmo Normanno præfuit, atque anno MLXXXII. vita functus, in australi parte claustrisepultus est, cum hoc epitaphio:

Qui nomen traxit a vita morte vocante
Abbas Vitalis transiit, hicque jacet.

⁹ Rudburn. histor. major. lib. 1. cap. 3.

^r lib. 2. cap. 5.

⁸ Polyd. Vergil. Anglic. histor. lib. 1.

Ex hoc Sulcardi scripto sunt qui referant, Apollinis delubrum olim hic extitisse, et Antonino Pio imperante terræ motu corruisse; indeque Lucium regem in honorem Christi alterum erexisse. Sed neque in eo quo ego sum usus Sulcardi codice, neque in iis quæ ex eo recitat Johannes Fletus, qui de ejusdem ecclesiæ Westmonasteriensis fundatione anno MCCCCXLIII. alium librum edidit, hoc invenio. In eandem vero sententiam, ex "quodam libro vetustissimo chronicorum, veteri Anglorum sive Saxonum lingua conscripto," Fletus producit ista: "A primitivo tempore Christianæ fidei inter Britones habitæ, hoc est, a diebus Lucii regis eorundem, qui primus in hoc regno, id est, sub anno gratiæ CLXXXIV. legem divinam, simul et sanctæ regenerationis lavacrum legitur suscepisse; iste locus ad honorem Dei fundatus et consecratus fuerat, atque ad regiam sepulturam regaliumque repositorium specialiter erat deputatus."

Radulphus Niger ad annum mundi 5358. similiter: "Tunc fundata est abbatia Westmonasterii, ultimo anno Antonini; (Marcum Aurelium Antoninum intelligit:) sed postmodum præfata abbatia diu destructa, ab Eadvarde rege reparata est, et nobiliter dotata;" et Johannes de Taxster, monachus Buriensis, ad annum Christi (secundum Dionysium) CLXIX. "Lucius rex Britannorum ecclesiam sancti Petri Westmonasterii construxit;" et Matthæus Westmonasteriensis MS. ad annum gratiæ CLXXXV. "Circa idem tempus subversum est templum Apollinis apud Westmonaster, quæ tunc Thorneie vocabatur; et cœpit ædificari ecclesia sancti Petri." Quæ eadem de destructo templo Apollinis apud Thorneiam, et ecclesia S. Petri tunc ædificata, in chronica Britonum abbreviata reperiuntur; de anno etiam, in inedita ad libros de gestis pontificum appendice, Guilielmo Malmesburiensi non dissentiente; si, ut Guilielmus Harrisonus eum citat, anno ante adventum Saxonum CCLXIV. et Augustini monachi CCCCXI. factum fuisse hoc ille scripserit.

Quo tempore Lucii sacellum in Doverensi castro Servatori Christo positum sit, "ex ejusdem urbis annalibus

¹ Jo. Stowæus, in Londini perlustratione: et eum secutus Camdenus, in Middlesex, pag. 303.

venerandam antiquitatis præ se ferentibus imaginem," refert Lelandus^u. Et ita quidem in commentario de Dorrens castelli initiis legitur: "Anno CLXI. Lucius rex in summitate castri Dorrens templum Christo ædificat, et maris tributo donat." Illud B. Mariæ a Lucio fuisse dicatum, affirmat recentius chronicon ecclesiæ S. Martini de Dover verbis hæc: "Inter alia beneficia quæ fecit Deo et Ecclesiæ, construi fecit in castro Dover ecclesiam in honorem gloriosæ Dei genetricis Mariæ: ubi ipse rex, et plebs sua Catholica, sua sacramenta et sacramentalia habuerunt, et eorum Catholici successores."

Tunc etiam constructa est extra Cantuariam ecclesia sancti Martini: si Radulpho de Diceto et Combensium annalium scriptori credimus; non quod ante Lucium Martini alicujus episcopi in Britannia celebrata fuerit memoria, quod suspicatus est quidam: sed quod antiquum nomen, oblivione jam deletum, novo a Martino Turonensi deducto subsequentibus temporibus fuerit commutatum: "nam templorum nomina mutari novum non est; et Martini præsertim memoriæ Franci multis post seculis, quod eum enixe colerent, vetera persæpe addixerunt:" quemadmodum in rerum Augustanarum Vindelicarum libro septimo confirmat doctissimus Velserus. Cum autem Cantuariæ ad Augustini usque adventum duæ ecclesiæ tempore Romanorum extractæ superfuerint, Christi^w in urbis medio, et Martini prope urbem posita: in altera hac Luidhardum Francorum episcopum, Berthæ^x reginæ e regia Francorum stirpe adiutorem fidei datum, sacra peragere solitum ex Beda intelligimus: "Erat^y," inquit ille, "prope ipsam civitatem ad orientem, ecclesia in honorem sancti Martini antiquitus facta, dum adhuc Romani Britanniam incolebant: in qua regina orare consueverat." Quantam vero amicitiae conjunctionisque necessitudinem Galliæ et Britannia doctores secum olim habuerint, commemorare nihil est opus.

Lucium regem "viros doctos summa prosecutum esse

^u Jo. Leland. assert. Arturii, fol. 7.

^w Bed. lib. 1. hist. cap. 33.

^x Ibid. cap. 25.

^y Ibid. cap. 26.

benevolentia et honoribus," in quarto Britannicæ historiae libro, affirmat Ponticus Virunnius. Præ aliis vero Cantabrigienses ab² illo ornatos fuisse, sunt qui ex duabus chartis regiis probare cõtendunt; Arthuri altera, quæ anno ab incarnatione Domini DXXXI. septimo die Aprilis in civitate Londinensi, Cadwalladri^a regis altera, quæ Cantabrigiæ anno ab incarnatione Domini DCLXXXV. data fuisse fingitur: in qua-utraque privilegii a Lucio rege academiæ indulti fit mentio; cujusmodi ab Eleutherio quoque papa concessum fuisse, ex illa Honorii^b I. Romani pontificis nomine venditata bulla astruere nituntur; quæ apud Sanctum Petrum anno ab incarnatione Verbi DCXXIV. vicesimo die mensis Februarii, scripta fuisse dicitur: cui et aliud ex memoriali historiarum petitum testimonium adjungit Johannes Caius, in libro de Cantabrigiensi academiæ antiquitate primo; per^c Elvanum et Medwinum "Academiæ Cantabrigiensi generalis studii confirmationem, aliaque privilegia Eleutherium misisse."

At in illo exemplari, quod in honoratissimi domini Lumlæi bibliotheca vidit, nihil hujusmodi inveniri testatus est Brianus Twinus^d: et commentitia esse res ipsa clamat, tum ista, tum quæ istis consimilia in historiæ Cantabrigiensi libro^e primo, ab eodem Caio referuntur. Lucium regem Cantabrigiam venisse: eique ex sanctorum virorum, qui Christum professi sunt et Cantabrigiæ studebant, prædicatione persuasum esse, non fuisse vana quæ de Deo et Trinitate divulgata sunt. Elvanum item et Medwinum Roma reversos, Cantabrigiam parentem suam adiisse; illicque anno Domini CLXXVIII. postquam multum varieque cum philosophis disputassent, uno die et philosophos omnes et hominum millia baptizasse. Ubi ad Elvanum et

² Caius de antiquit. Cantabrig. academ. lib. 1. pag. 51. Twinus, antiquitat. Oxoniens. academ. lib. 1. pag. 45. qui deinde usque ad pag. 60. diploma hoc falsi convincit Vid. supr. cap. 4. pag. 71.

^a Caius, de antiquit. Cantabrig. academ. lib. 1. pag. 72. Twinus, pag. 89. qui de hujus diplomatis fide deinceps disserit, usque ad pag. 95.

^b Caius, de antiquit. Cantabrig. academ. lib. 1. pag. 58, 59. Twinus, pag. 61. qui hujus Bullæ examen subjicit, usque ad pag. 77.

^c Caius, de antiquit. Cantabrig. academ. lib. 1. pag. 76.

^d Twinus, antiquit. Oxon. lib. 1. pag. 56.

^e Cai. histor. pag. 22, 23.

Medwinum trahit, quæ de Fagano et Damiano scripserat, quem hic solum authorem ille habuit, Nicolaus Cantelupus Carmelita. Sic enim ille in historiola Cantabrigiæ: “Ad eam civitatem rex Lucius cum venisset, et de trino Deo simplici et uno cum esset informatus dictis poetarum et oraculis prophetarum; mysterium fidei scire cupiens, ad papam Eleutherium epistolas direxit, petens ab eo Christianitatem recipere. At beatus pontifex duos religiosos doctores, Faganum et Damianum misit ad illum: qui Christi incarnationem prædicantes, ipsum sacro baptismate abluebant, et ad Christum converterunt. Nec mora, philosophi civitatis Cantabrigiæ venientes, veniam de commissis petentes, fidem baptismatis cum effectu debite recipientes, gloriam dederunt cum laudibus Altissimo: quorum exemplis populi undique mundati cælesti regno restituuntur. Tandem doctores prædicti, cum per insulam verba vitæ seminassent, accesserunt Cantabrigiam: ubi post multas et varias disceptationes cum philosophis, baptizati sunt uno die ex ipsis tria millia virorum, deinceps in Christo per fidem credentes; qui in amore fraternitatis legem Christi jugiter prædicaverunt, signa et prodigia pariter ostendentes.” Hæc ille.

“Academiam quoque Banchorensem, in gratiam bonarum artium et virorum literatorum, fundavisse Lucium” affirmat Pitsius^f. Eam “sub Lucio inchoatam, postea a Congello Bangorensi in monasterium monachorum mutatam fuisse, cum annos CCCL. perstitisset,” ex Guolphango Justo refert Caius^g. De Bangorensi nempe cœnobia, ad marginem Gildæ a se editi, Polydorus Vergilius ista annotaverat: “In eo fuisse ferunt amplius duo millia monachorum; qui circiter annum salutis. CLXXXII. Lucio rege, Christianum dogma receperunt retinueruntque in posterum tempus;” et de Congello addidit postea Balæus^h; atque eum, uti solet, secutus Pitsiusⁱ: “Banochorense Christianorum philosophorum collegium, quod

^f Pits. de Brit. script. num. 22.

^g Cai. de antiquitat. Cantabrig. lib. 1. pag. 149. Franc. Sweertius, in academiarum catalog. Athenis Belgicis præfixo.

^h Bal. scriptor. Britan. centur. 1. cap. 53.

ⁱ Pits. de Brit. script. num. 56.

a Lucii regis tempore trecentos circiter et quinquaginta duraverat annos, in monachorum sub apostolici ordinis titulo cœnobium permutavit, ex illius præposito anno Christi DXXX. primus abbas effectus." Atqui Congellus, sive Comgallus, Hibernus fuit non Britannus; et Bangorensis cœnobium ab ipso institutum, non illud in Britannia, sed alterum in Ultonia juxta sinum Fergusianæ Petræ positum: de quo, suo loco^k.

Neque minori etiam errore, Bangorensis hoc monasterium in Flintensi agro situm cum sede episcopali Bangorensi in Arvoniam ad Menaium fretum constituta confudit Guilielmus Malmesburiensis. Sub finem enim libri quarti de gestis pontificum, Hervæum primum Eliensium episcopum, causatum quod sibi et Wallensibus non conveniret, spe majorum divitiarum sedem Bancorensis dimississe docens, subjicit: "Est enim Bancor in ipsis Wallis monasterium quondam nobile, et tot habitatoribus plenum ut, sicut Beda^l refert, si in septem partes divideretur, non minus quæque portio quam trecentos homines haberet: sunt certe adhuc ibi tot semiruti parietes ecclesiarum, tantæ turbæ ruinarum quantæ vix alibi." Et libro primo de regum gestis, capite tertio, Ethelfridi Northanhumborum regis res enarrans: "Testis," inquit, "est Legionum civitas, quæ nunc simpliciter Cestra vocatur, quæque ad id temporis a Britannis possessa, contumacis in regem populi alebat superbiam: ad cujus oppugnationem cum intendisset animum, oppidani qui omnia perpeti quam obsidionem mallent, simul et numero confisi, effuse in bellum ruunt; quos ille insidiis exceptos fudit fugavitque prius in monachos debacchatus, qui pro salute exercitus supplicaturi frequentes convenerant. Quorum incredibilem nostra ætate numerum fuisse indicio sunt in vicino cœnobio tot semiruti parietes ecclesiarum, tot anfractus porticum, tanta turba ruderum, quantum vix alibi cernas. Vocatur locus ille Banchor, tunc monachorum famosum receptaculum, nunc mutatus in episcopatum." Sed rectius

^k Post. cap. XVII.^l Bed. histor. lib. 2. cap. 2.

novam illam Bangoriam a vetere distinxit Johannes Rossus : “ Mailgo^m rex crexit novam civitatem Bangor super fluvium Meanath in Wallia. Erat enim altera Bangor super Dec fluvium ; ubi Ethelfridus monachos occidit in Wotton non longe a Cestria.” Et Johannes Caius : “ Cumⁿ Bangoriam dico, monachorum intelligo, quæ circiter octo^o passuum millibus a Cestria urbe distat ; non apostolorum, quæ hodie sedes episcopalis est propter mare in Cambriæ parte septentrionali. Hæc academia ab urbe Bannochoria aberat mille passibus, ut audio : sicuti olim Atheniensis academia, quæ in agro Atheniensi loco sylvoſo ut, Horatius ait, posita, mille passibus ab urbe distabat.”

Quid autem Caium moverit, ut alteram Bangoriam monachorum, alteram apostolorum appellet, haud facile dixerim : nisi quod in posteriore, quæ ad prioris differentiam Banchor vaur, id est, Bangoria magna a Britannis dicta fuit, eruditorum apostolicique ordinis collegium a Daniele primo loci illius episcopo institutum, apud Balæum^p fortasse legerit ; quanquam in priore quoque illa apostolicorum^q hominum collegium et apostolici^r ordinis monachos apud eundem invenire similiter potuisset. Stetit vero celeberrimum hoc monasterium in regiuncula quam Cambro-Britanni Maelor Saesneg sive Mailoriam Anglicam vocant : nihilque sui hodie habet reliquum, præter duarum portarum, plusquam dimidiati milliarii spatio disjunctarum, nomina quarum borealior Port Hogan, australior Port Clais appellatur : medio inter utramque loco intercurrente Deva fluvio, et antiquis ædificiis in agros conversis ; a quorum cultoribus monachorum ossa et vestimenta, cum saxis quadratis et Romanorum nummis, erui aliquando solita, ex Johannis Lelandi commentariis refert Guilielmus Harrisonus^s.

^m Hist. reg. Angl. pag. 66. 67.

ⁿ Cai. de antiquit. Cantabr. lib. 1. pag. 149.

^o Decem milliaria numerat Ranulphus Cestrensis, in polychronic. lib. 4. cap. 31.

^p Jo. Bal. cent. 1. cap. 53.

^q Ibid. cap. 74, et 70.

^r Ibid. cap. 53.

^s Harrison. descript. Britann. lib. 1. cap. 14.

Defuncto, vel, ut alibi traditum, non comparente Lucio, regiam stirpem in Britannia defecisse, ex *Scotiechronico supra*¹ retulimus. Et quidem comparere desiisse scribit Galfridus Malmesburiensis: in patria defunctum esse, Galfridus Monemuthensis et reliqua Britannicorum scriptorum turba affirmat: quod “neque cum annalibus privatis nostris,” inquit M. Velserus², “neque cum tabulis ecclesiæ Curiensis, quæ nonnullis publici juris auctoribus juvantur, convenit. His quippe relatum, Lucium relicto regno, cujusmodi exempla prisca ætas plura tulit, magna terrarum spatia obivisse, ut pietatem qua ipse imbutus alios doceret.” In privatis quos commemorat annalibus est Sigismundi Meisterlini manuscriptum chronicon: (Augustanum, ni fallor, Sigismundi religiosi illud est chronicon, quod a Velsero acceptum, cum aliis rerum Germanicarum scriptoribus a Johanne Pistorio postea est evulgatum:) inter auctores vero publici juris factos præcipuum locum obtinet Romanum martyrologium; in quo, III. Nonas Decembris, “Curia in Germania S. Lucii Britannorum regis, qui primus ex iis regibus Christi fidem suscepit tempore Eleutherii papæ,” memoria celebrari dicitur; quo eodem etiam die notat Hertmannus Schedelius³ celebrem haberi festivitatem Lucii Anglorum regis, Coilli regis filii, quem “totam Bavariam et Rhætiam inter Alpes Christo acquisivisse” ait. “Relicta enim patria regnoque, Galliam ingressum esse” narrat, “deinde Rhætiam petiisse, per Augustam civitatem ad Curiensem urbem profectum, hos populos Domino subjugavisse, atque virtute ac miraculis clarum ibi in pace quievissse.” De quo etiam author vetustior Notkerus Balbulus in martyrologio suo, ad VIII. Kalendas Junii similiter scribit: “Lucius, spretis omnibus mundialibus rebus nudus et expeditus peregrinatione suscepta, partem Baioariorum et totam Rhætiam inter Alpes sitam miraculis et prædicationibus ad fidem Christi convertisse creditur. Cujus sepulchrum (id est, qui in Rhætia

¹ Sub fin. cap. 3. pag. 63.

² Velser. rerum August. Vindelic. lib. 6. ad ann. Dom. 179.

³ Schedel. chron. in sexta ætate mundi.

requiescit, sive rex quondam ille, sive quicumque servus Dei fuerit) creberrimis virtutibus illustratur.”

Hinc vero contra Anglos validum scilicet ex Anglis ipsis argumentum torquet Dempsterus^x. De Oswaldo Northan-umbrorum rege, anno DCXLII. perempto, scripserat Guilielmus Malmesburiensis^y, fuisse illum, “ qui genti suæ primitias sanctitatis dederit: quippe nullus,” inquit, “ ante illum Anglus miraculis quod sciam claruerit.” Unde concludit disputator subtilis, sequi alterutrum. “ Vel S. Lucius miracula non patravit, vel Anglus non fuit.” Latet nimirum illum hoc volentem, ex alia gente fuisse Lucium, ex alia Oswaldum: Anglum hunc, Britonem illum. Ut enim demus in ea Britanniae parte, quæ hodie Anglia dicitur, regnavisse Lucium, eaque ratione a Schedelio et aliis, Anglorum regem *καταχρηστικῶς* esse appellatum: nostrarum tamen rerum admodum imperitum esse oporteat, qui Anglorum gentem illis temporibus in ulla Britanniae parte consedissee sibi persuaserit. Adde, quod in Britannia Lucium miracula patravisse nusquam sit proditum: ut sive Britonum sive Anglorum regem quisquam illum fuisse statuerit, non aliud inde inferri posset, quam quod ab Achille Gassar^z in Augustanæ urbis descriptione est assertum; Lucium qui Vindelicis et Rhætis Christum annunciavit, diversum fuisse “ a Britanniae illo rege, qui circiter annum Domini CXC. floruit, et patria nequaquam exiens, pie apud suos obdormivit.”

Verum ista in medio relicta controversia; quæ de Lucii hujus peregrinatione et martyrio a Johanne Stumpfio^a, ex tabulis ecclesiae Curiensis, et aliis auctoribus^b sparsim tra-

^x Dempster. apparat. ad histor. Scotie. pag. 144.

^y lib. 1. gest. reg. Anglor. cap. 3.

^z Munster. Cosmograph. lib. 3. pag. 603.

^a Stumpf. chronic. Helvet. lib. 10. cap. 15.

^b Sigismund. in chronic. Augustan. ecclesiastic. cap. 3. Hertman. schedel. ætat. 6. Ægid. Tschud. in Rhætiae Alpineæ descript. tom. 1. scriptor. German. a Sim. Schardio edit. pag. 543. Achill. Gassar. apud Munster. loco jam notato et Martin. Crusium, in Suevicorum annalium paralipomen. cap. 13. Gasp. Bruschi. de German. episcopat. cap. 3, et 8. Jo. Bal. script. Britan. cent. 1. cap. 29. Magdeburgens. cent. 2. cap. 2. col. 9. Guil. Eisengreyn. centenar. 2. part. 4. dist. 7. Henr. Pantaleon, de viris illustr. German. part. 1. Baron. notat. in

ditā reperi, lectori consideranda hic exhibeo. Non tam regno quam omni mundi cultu relicto, Gallias prædicandæ veritatis causa primum petiit; inde transmissio Rheno in superiorem Germaniam concessit; ut Christum Germanis adhuc idololatriæ concionaretur, et eos ad Christum converteret; tum in Bavariam perveniens, Salisburgi prædicavit: et ad Danubium hærens, ejus regionis incolas in vera religione instituit. Deinde Augustam Vindelicorum celebrem urbem petiit: ibique et in Suevia passim prædicavit Christum. Cui cum multi crederent, inter quos Campestrii viri primarii nomen hodieque celebratur; ædiculam illam Augustæ positam ferunt, quæ, multis post seculis aucta, a Leone IX. pontifice anno Christi MLI. Sancto Gallo dicata est. Cum vero plures essent, qui Sylvani et Cybeles cultum novæ huic doctrinæ præferrent: pium Christi præconem primo convitiis incesserunt, lapidum dein jactu petierunt, in puteum demum male mulctatum deturbarunt; unde piorum auxilio ægre semianimis extractus, et sanatus, in Alpinam Rhætiam concessit. Iter autem ingressus periculosum, collem illum supra arcem Gutenburgam transcendit, qui usque ad tempora nostra S. Lucii clivus^c appellatur: atque in regione, ubi jam est urbs Chura sive Curia, et pago Tigurino strenuum se evangelii præconem gessit; et Curiensis ecclesiæ episcopus effectus, plures homines a tenebris ad lucem convertit. Est Churæ extra urbis muros cœnobium S. Lucii pervetustum, in vitifero colle situm, quod ab eo cœptum et oratorii loco conditum aiunt.

Cum autem in Churiensi provincia, in qua potissimum vixit, idololatricas opiniones reprehenderet, et fidem Christi cum suis amplificare ac propagare non desineret; atque Romani eam religionis mutationem ferre non possent: Antoninus Verus imperator, qui Christianos tum persequabatur, eum de religione tentavit; et cum nollet

martyrolog. Roman. Decemb. 3. M. Velsar. rer. August. Vindelic. lib. 6. ad annum Dom. 179. Franc. Guilliman. de rebus Helvetiorum, lib. 1. cap. 15. Petrus Merssæus Cratopol. in libello de sanctis Germaniæ, in Lucio: et in Treverensium archiepisc. catalogo. num. 20.

^c Steig.

abnegare, occidi iussit. Continuit is se aliquamdiu in quadam montis caverna supra Curiam: sed tandem ab infideli populo et præfecto regionis illius ex spelunca sua ad Martis castrum sive arcem Martiolam perductus, juxta urbem Curiensem tertio die Decembris martyrio occubuit. Trimis quoque sive Trimontii pro Christi nomine ignis supplicium passa est soror ejus Emerita; quæ totam fere Rhætiam ad cultum Christi adduxisse fertur. Philippus Ferrarius, in catalogo sanctorum qui in martyrologio Romano desiderantur, ex tabulis et breviario ecclesiæ Curiensis, Decembris die quarto, Curia in Rhætia, sed ex kalendario et breviario Scotico, Maii vicesimo sexto, Trimontii in Scotia, sanctæ Emeritæ virginis memoriam celebrari notat: addens, “Trimontium oppidum esse in ora occidentali Scotiæ, ab ostio Solvei ad sex millia passuum, hodie Atterith” appellatum; in quo a Dempstero, quem in Scotiis ducem maxime infidum sequi solet, in errorem proculdubio est inductus. Nam licet eo loci Trimontium a Ptolemæo collocari non inficer: tamen Trimontium illud sive Trimas, ubi martyrium Emerita subiisse dicitur, castellum urbi Curiensi finitimum fuisse docet Schedelius; ab ea videlicet unius horæ spatio distans, ut, qui loca ista optime novit, Ægidius Tschudus clarius confirmat.

Dempsterus vero^d Emeritam, fratrem in Helvetios secutam, religioso fine Eremitidem ibi decessisse ait, anno CLXXVIII. At Lucium anno CLXXVI. in Bavariam venisse, Tschudus; CLXXVII. in Rhætia et pago Tigurino evangelium prædicasse, Guillimannus; anno circiter CLXXXIV. Augustæ docuisse, significat Martinus Crusius. Annum circiter CLXV. martyrio ejus Petrus Cratepolius; CLXXVI. tribuit Henricus Pantaleon. Neque de principio et fine regni apud Britannos major est consensus. Cum enim Galfridus Monemuthensis, et alii capite^e tertio a nobis commemorati, anno ab incarnatione Domini CLVI. Lucium ab hac vita migravisse asserant: circa illum annum regnare cœpisse, Malmesburiensis mo-

^d Dempster. histor. eccles. Scotor. lib. 5. num. 483.

^e Supr. pag. 53.

nachus anonymus, in quinto eulogii sui libro, significat. Johannes Caius, historiae Cantabrigiensis academiae libro primo, eodem illo anno, quem regni XIII. numerat, consilium suum de recipienda fide cum Eleutherio Romano pontifice eum communicavisse narrans, initium regni in anno CXLIV. ea ratione collocat. Polydorus Vergilius, anno quidem regni XIII. mentem suam regem pontifici aperuisse non diffitetur: sed annum illum salutis humanae CLXXXII. fuisse statuens, atque annos alterum et XX. regnavisse eum adjiciens, in annum CLXX. initium, in annum CXCI. finem regni conjicit. Johannes Stowæus anno CLXXIX. regnum adisse, et annos XII. regnavisse dicit: in numero annorum regni cum Caxtono, Balæo, Graftono, et Richardo Vito Basinstochio; in anno mortis, qui hac quoque ratione CXCI. consurgit, cum Polydoro Vergilio conveniens. Matthæus Florilegus, anno gratiæ CXV. natum illum affirmat, anno CXXIV. regni diademate insignitum, et anno CCI. vita functum: Sarisburiensis quoque ecclesiæ chronico et tabula pensili ecclesiæ S. Petri in Cornhill, consentientibus; in quibus, anno gratiæ CXXIV. coronatio Lucii regis Christiani, regnantis LXXVII. annis adscripta legitur. Totidem etiam regni annos, ex Paulinæ ecclesiæ apud Londinenses tabula pensili, assignat illi Robertus Fabianus^f.

Ranulpho^g Cestrensi, circa primum annum Marci Antonini, qui illi est Christi CLXII. Lucius cœpit regnare apud Britones. Annum CLXIV. antiquitatum Wintoniensis ecclesiæ collector ejus principio assignat; CLXV. Guilielmus Harrisonus et Raphael Holinshedus; CLXXX. Petrus Pictaviensis eumque secutus Fabianus, Lanquetus et Graftonus; CLXIV. scriptor annalium, quos ad annum MCCCCLXIV. productos MSS. habeo. In deflorationibus Galfridi, quæ Alphredo Beverlacensi tribuuntur, anno ab incarnatione Domini CLXXXVI. ab hac luce migravisse dicitur. Juxta Fabiani rationes, circa annum CXCII. decessisset. Alii, apud Nauclerum, anno CLXX. alii, apud Holinshedum,

^f Fabian. chronic. Anglie. part. 3. cap. 60.

^g Ranulph. polychronic. lib. 4. cap. 16.

anno CCVIII. obiisse malunt. Robertus Glocestrensis circa annum CLXVI. potius. Anno enim CLXII. baptizatum, et circiter quadriennium postea Glocestriæ decessisse scribit: "A plurimis historicorum nostrorum," inquit Franciscus Godwinus, "traditum comperi, mortem obiisse Glocestriæ, anno postquam Christianæ religioni per baptismum initiatus est decimo quarto, aut ut quidam volunt decimo." Regni sui anno LXVII. in Halensis monasterii chronico, XLIII. in genealogico de gestis Anglorum, vitam finisse scribitur. Author chronici, quod appellatur Brutus, mortuum scribit, postquam regnaverat L. annos: alii, postquam XXX. Johannes Hardingus annos regni LIV. illi tribuit: ac inter illius obitum et Severi adventum in Britanniam quadriennii interstitium constituit; quod posterius a Matthæi quoque Florilegi et Polydori Vergilii rationibus non est alienum: licet Fabianus et Graftonus, et Richardus Vitus quindecim, Caxtonus quinquaginta, Eulogii author plurimum etiam quam quinquaginta annorum spatium interponendum censeat. Nos in tanta scriptorum dissensione eo potissimum inclinamus, ut tertii a Christo sæculi anno primo Lucium vita excessisse dicendum existimemus; annis post susceptam fidem XXV. atque septennio fere ante expeditionem Severi Britannicam; quandoquidem in annum illum CCI. non Sarisburiensis solum ecclesiæ annales, et chronicam Britonum abbreviatam, et tabulas quas citavimus Londinenses; sed etiam Rogerum Wendoverium, Matthæum utrumque (Parisiensem et Westmonasteriensem) una cum Roffensi historia, consentire animadvertimus.

Ad sepulturæ locum quod attinet: "ex Rhætia ejus corpus in Britanniam reportatum, Claudiocestriæ honorifice sepultum esse fertur;" si Richardo Vito credimus: nam Britannici historici Claudiocestriæ, sive Glocestriæ, et mortuum et sepultum esse ferunt. "Secundum quædam chronica Londini sepultus est, secundum alia Glocestriæ, eo in loco ubi nunc ordo S. Francisci consistit:" ait Londinensis Cornhillanæ tabulæ exarator: quod tamen de Londinensi Lucii sepultura in unico Sarisburiensis ecclesiæ chronico reperire me memini. Scripserat

nimirum Galfridus Monemuthensis^b, eumque secuti, Matthæus Parisiensis et Westmonasteriensis, et alii plures, “in urbe Claudiocestriæ ab hac vita migravisse, et in ecclesia primæ sedis honorifice sepultum esse:” unde fortasse in una e tribus archiepiscopalibus sedibus tumulo mandatum suspicati sunt aliqui: quum non aliud voluerit Galfridus, quam quod in magna Wintoniensis ecclesiæ tabula est expressum; “Regem Lucium sepultum esse Gloucestriæ in ecclesia primæ sedis,” id est, in urbis Glocestrensis ecclesia cathedrali; quo sensu ecclesiæ primæ sedis Wintoniæ alibiⁱ apud eundem facta habetur mentio: sicut et Glocestrensiū episcoporum, Eldadi^k et Theoni^l: ne quis ab Henrico VIII. Glocestriam sede episcopali primum ornatam fuisse hic objectet. Epitaphii vero locum suppleverint canonici isti, a superioris ævi monachis conscripti versiculi^m:

Lucius in tenebris prius idola qui coluisti,
Et merito celebris ex quo baptisma subisti.
Cœlestis medici merito curam meruisti,
Omne felici, lotus baptisate Christi.

^b Galfrid. hist. Britannic. lib. 5. cap. 1.

ⁱ Id. lib. 18. cap. 17.

^k Id. ibid. cap. 7.

^l Id. lib. 11. cap. 3.

^m Apud Johannem Fiberium sive Bever, et chronicam Britonum abbreviatam.

CAP. VII.

De fide a Britannis usque ad Diocletiani tempora conservata : cum Origen s et Tertulliani ea de re testimonio. De Mellone Britanno, Rothomagensium præsule. De sævissima hic a Maximiano Herculo excitata persecutione ; et passis in ea Albano, Amphibalo, Julio, Aarone, Socrate, Stephano, Augulio, et aliis innumeris. De pace Britannicis ecclesiis, altero post cœptam persecutionem anno, a Constantio Chloro Augusti Constantini magni patre restituta.

BRITANNOS susceptam fidem usque ad Diocletiani tempora integram et intemeratam in pace servavisse, et nostri tradiderunt authores et exteri. Beda, libro primo historiae ecclesiasticæ, capite quarto ; annales Anglo-Saxonici, Ivo Carnotensis in chronico, Gotcelinus Bertinianus, in majore historia vitæ Augustini, capite trigesimo et secundo ; Florentius Wigorniensis, Galfridus Monemuthensis, Britannicarum historiarum libro quinto, capite quinto ; Henricus Huntingtoniensis historiae libro primo ; Radulphus de Diceto, Johannes de Taxster, Radulphus de Baldoc Londinensis episcopus, Ranulphus Cestrensis, in polychronici libro quarto, capite decimo sexto ; Thomas Rudburnus in minore chronico, Abingdonensis liber, annales de Winchcombe, Lacock, Kirstall, &c. Henricus Marleburgensis, Johannes Geerbrandus Leydensis in chronico Hollandiæ, libro secundo, capite primo ; Ponticus Virunnus, historiae Britannicæ libro quinto. Johannes Major, de gestis Scotorum libro primo, capite decimo tertio, et Polydorus Vergilius, historiae Anglicæ libro secundo. Quos omnes in re non admodum necessaria testes advocare libuit ; ut duorum recentiorum scriptorum, Britannicæ gentis gloriæ iniquiorum, Guilielmi Paradini et Thomæ Dempsteri comprime-
rectur audacia.

Eorum enim alter “ post^a Lucium ita fidem refrixisse affirmat, ut tractu temporis divini cultus Barbari sint obli- ti, et ad Deorum Gentilium nugas revoluti : atque in ea cæcitate vixisse addit, usque ad tempora Edvyni^b regis Angliæ, et annum salutis humanæ DCVIII.” Alterius, eo dementior quo confidentior, est hæc assertio : “ Si^c vera est de Lucio Britannorum rege relatio: certum est, rege fidem amplexo, populum infidelem quingentis annis totis permansisse, ut sequenti capite dicitur.” Deinde in illo capite multa accumulatur testimonia, quibus probet Gregorii I. temporibus, Augustini et sociorum opera, Anglos Christianam fidem suscepisse : ac demum, quasi re plane confecta, hunc sibi canit triumphum. “ Hæc satis arbitror ad refellendas aniles de Lucio rege fabulas, ex Gallis, Germanis, Italis, ipsis Anglis.” Neque interim advertit, insanire se solennia, ridendumque se omnibus propinare ; dum diversissimas gentes inter se confundit, et conversionem Britonum a conversione Anglorum vel nescivit vel noluit distinguere.

De Anglis quidem Sigebertus Gemblacensis in chronico ad annum DXCIX. ea scripsit, non quæ ex eo citavit hic Dempsterus : “ Nondum verbum vitæ audierant Edilbertus rex Anglorum qui Cantuarii vocantur ; ita nec Mercii, nec gens Nordanybrorum, sub regibus Adilfrido et Aelle :” sed ista : “ Edilbertus rex Anglorum, qui Cantuarii vocantur, prædicante Augustino, cum gente sua, baptizatur. Porro gens Anglorum qui Mercii dicuntur et gens Nordanybrorum, qui, quod ad aquilonarem partem Humbri fluminis habitent, ita vocantur, sub regibus Edilfrido et Aelle nondum audierant verbum vitæ.” De veteribus tamen Britannis scripserat jam idem, in ipso operis præmio. “ Hi tempore Marci Antonini Veri, instantia Lucii Britanniarum regis, per legatos Eleutherii papæ mysteria Christianitatis susceperunt ; in qua aliqui eorum usque ad martyrii coronam proveci sunt.” Eandem etiam distinctio-

^a Paradin. Angliæ descript. compend. cap. 22.

^b Regis Nordanhumborum, quem ann. 627. a Paulino baptizatum constat.

^c Dempster. apparat. ad histor. Scotie. cap. 7.

nem observavit, inter exteros, Alanus de Insulis: "Cum^d Britones a tempore Eleutherii, qui fuit decimus quartus a B. Petro apostolo, per gloriosæ memoriæ Lucium regem suum Christianitatem suscepissent: Saxones in cultu Dæmonum usque ad adventum Augustini, a beato papa Gregorio missi, perstiterunt:" et Martinus Polonus, in chronico; "Anno decimo quarto Mauricii, B. Gregorius misit in Angliam Augustinum monachum, pro conversione Saxonum, qui de novo Britanniam intraverant. Nam Britones, de quibus adhuc Galenses remanserunt, ab Eleuthero papa diu ante Christiani facti fuerunt." Ex quo deducit Alphonsus Garsias de sancta Maria, Castellani regis nomine cum legatis Anglicanis in Basileensi^e concilio disceptans, "quod illud quod dicitur de temporibus Gregorii, intelligitur de Britannis qui et Anglici dicuntur: illud vero quod dicitur de temporibus Eleutherii, intelligitur de Britonibus Britonantibus (ita enim loqui illi libuit) seu Galensibus:" et hoc quoque modo ad argumentum Anglorum, de antiquitate fidei jam inde ab Eleutherii temporibus apud ipsos receptæ, responderi posse addit, "Illa tota gens quæ tunc erat in Anglia fuit expulsa per Saxones, qui erant infideles, et susceperunt fidem temporibus Gregorii papæ et Mauricii imperatoris; ut patet in chronicis. Non ergo sunt tempora computanda a gente prima quæ totaliter est expulsa, sed a tempore Saxonum qui Angliam occuparunt, et de quorum genere Anglici descendunt."

At antiquitatem illam fidei apud ipsos Britannos aliquantulum minuere videri posset Origenis hoc testimonium, tractatu vigesimo et octavo in Matthæum. "Quid dicamus de Britannis, aut Germanis, qui sunt circa Oceanum, vel apud Barbaros, Dacos, et Sarmatas, et Scythas? quorum plurimi nondum audierunt evangelii verbum; audituri sunt autem in ipsa seculi consummatione." Verum præterquam quod docti dubitent, an ista tribui debeant Origeni; non aliud hinc elicitor, quam in hisce gentibus extitisse plurimos qui nondum audiverint evangelii ver-

^d Alan. explanat. prophet. Merlin. lib. I.

^e Ex actis concilii Basileensis, MSS.

bum, quod ut nos facile concedimus; ita nec Origenem negaturum scimus, complures in iisdem gentibus evangelii verbum suscepisse. Sic enim scribit ipse, in Ezechielem homilia quarta. “Quando enim terra Britanniae ante adventum Christi in unius Dei consensit religionem? quando terra Maurorum? quando totus semel orbis? Nunc vero propter ecclesias, quae mundi limites tenent, universa terra cum laetitia clamat ad Dominum Israel, et capax est bonorum secundum fines suos:” et in Lucae caput primum homilia sexta, “Virtus Domini Salvatoris et cum his est qui ab orbe nostro in Britannia dividuntur, et cum his qui in Mauritania, et cum universis qui sub sole in nomine ejus crediderunt.” Idem *Περὶ ἀρχῶν* libro quarto “In^f omni orbe terrarum, in omni Graecia, atque universis caeteris nationibus, innumeri sunt et immensi, qui relictis patriis legibus, et his quos putabant Deos, ad observantiam Mosaicae legis, et disciplinam se Christi cultumque tradiderunt.”

A Tertulliano quoque ante Origenem, in censum gentium suo tempore Christo credentium referuntur “Getulorum^g varietates, et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversae nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; et Sarmatarum, et Dacorum, et Germanorum, et Scytharum, et abditarum multarum gentium, et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum, et quae enumerare minus possumus. In quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat”, inquit ille: et pauculis interjectis, “Germani adhuc usque limites suos transgredi non sinuntur. Britanniae intra Oceani ambitum conclusae sunt. Maurorum gens et Getulorum barbaries a Romanis obsidentur, ne regionum suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum suarum praesidiis imperium suum muniunt, nec transistas gentes porrigere vires regni sui possunt? Christi autem regnum et nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur.” Arnobius libro secun-

^f Clemens Alexandrinus, lib. 5. Stromat. Christum dicit omnibus notum gentibus.

^g Tertull. lib. advers. Judaeos, cap. 7.

do, Christianam religionem fuisse testatur, “ In insulis et provinciis omnibus quas sol oriens atque occidens lustrat.”

Neque multum tribuendum est fabulosæ legendæ reginæ Helenæ a Johanne Capgravo editæ; in qua, “ Asclepiodoti (qui Allectum, purpuram in Britannia adversus Diocletianum sumentem, e medio sustulit) temporibus, ut multum extincta in regno Britannicæ fides Catholica” esse dicitur. Etsi enim, ut ibi additur, “ a tempore Lucii, qui primus fuerat inter Britones rex Christianus, regnum Britannicum usque ad præfatum Asclepiodotum Romanis qui gentiles erant et pagani pro majori parte fuerat subjectum:” tamen, ut reliquas gentes iisdem Romanis subjectas, ita et Britannos nostros inviolatam fidem Christo conservasse, satis testatum reliquit, in immani illa Diocletiani persecutione, quam ipsius Asclepiodoti diebus ortam Britannica^h narrat historia, sustinenda, martyrum invicta constantia. Hæc enim persecutio, ut in chronico suo Beda; ejusque insistentes vestigiis Adoⁱ, et Freculphus^k, et Ordericus Vitalis^l, retulerunt, “ tam crudelis et crebra flagrabat; ut intra unum mensem XVII.^m millia martyrum pro Christo passi inveniantur: et Oceani limbum transgressa, Albanum, Aaron et Julium Britannicæ, cum aliis pluribus viris ac fœminis, felici cruore damnavit:” ita quidem ut, præter illos nominatos, alios octingentos octoginta novem numeret Notkerus Balbulusⁿ, Christi sectatores innumeros fuisse referat Johannes Nauclerus^o, qui in una hac insula martyrium perpessi fuerint: ubi tamen non multum ultra unius anni spatium in Christi athletas sævitum fuisse ostendemus.

Ante hanc vero persecutionem, S. Mellonis Britanni (Malloni, Melanii et Melonini aliis nuncupati) celebris extitit memoria: qui, relicta patria, “ primus^p Rotho-

^h Galfrid. Monemuth. lib. 5. cap. 5.

ⁱ Ado in chron. ætat. 6. et martyrolog. Jun. 22.

^k Freculph. chron. tom. 2. lib. 3. cap. 15.

^l Orderic. histor. eccleslast. lib. 1.

^m XVIII. leguntur apud Adonem et Ordericum: sed XVII. habet liber pontificalis in vita Marcellini; unde hoc hauserunt reliqui.

ⁿ Notker. martyrolog. X. Calend. Julii.

^o Naucler. Chronograph. vol. 2. generat. 6.

^p Molan, in Usuard. Octobr. 22. ex vetere martyrologio Romano.

magensem ecclesiam archiepiscopus rexisse" dicitur; relicto successore Avidiano sive Avitiano, qui synodo Arelatensi anno CCCXIV. habitæ subscripsisse reperitur. De his habentur veteres illi Rothomagensis Cleri^q versiculi:

Antistes sanctus Mallonus in ordine primus
 Excoluit plebem doctrina Rothomagensem.
 Post hunc præcipuus devotus et Avidianus
 Obtinuit regimen, curam quoque rexit herilem.

Primus quidem ad Rothomagenses S. Nicasius episcopus destinatus fuisse legitur: sed "prisca gentilitas," inquit Ordericus Vitalis^r, "martyrisato prædicatore, Rothomagum diu possedit; et innumeris idolorum spurcitiis usque ad sanctum Mellonem archiepiscopum replevit." Hunc ex majori Britannia Romam venientem, a Stephano I. pontifice in fide Christiana instructum, baptizatum, clericum et gradatim sacerdotem ordinatum, atque divino oraculo Rothomagensem episcopum consecratum fuisse anno Domini CCLVI. in natalibus sanctorum canonicorum refert Constantinus Ghinius: actis etiam ejusdem consentientibus, quæ ita rem gestam narrant. "Tempore^s Valeriani imperatoris Mellonus quidam de majore Britannia oriundus Romam venit; ut patriæ suæ tributum solveret, et imperatori serviret. Ibique, sicut mos erat, cum sociis suis ad templum Martis ductus est ut sacrificaret. Audiens autem Stephanum papam paucis Christianis evangelium Christi prædicantem, verba ejus attendit et credidit; baptismum ab eo petiit et accepit."

A Stephano quoque papa ordinatum, et Rothomagum ad prædicandum evangelium missum esse, martyrologium Romanum, ad diem vigesimum et secundum Octobris, et brevium^t Rothomagense confirmant: ut et Balæus^u,

^q Orderic. lib. 5. hist. pag. 557, 558.

^r Id. ibid. pag. 555.

^s Vincent. specul. historial. lib. 11. cap. 74. Johan. Tinmuthens. et Capgrav. in vita S. Mellonis. Petr. de natalib. catalog. lib. 9. cap. 93. Legenda aurea Anglicana, edit. Londini ann. 1512. in vita S. Melonini.

^t Claud. Robert. in Rotomag. archiepiscop. catalogo.

^u Bal. scriptor. Britan. centur. I. cap. 31.

Baronius^w, ac recentiorum alii: quibus etiam Damasum in pontificali accenset Dempsterus^x: sed eadem fide, qua Antonium Possevinum^y, Scotum illum fuisse, affirmare ait^z, quum de eo Pseudo-Damasus verbum omnino nullum; hæc autem tantum habeat in citato loco Possevinus: "Mellanius Probus, Britannus, scripsit quasdam homilias. Vivebat anno CCLX." Nam Scotum ipse Dempsterus et primus et solus fuisse somniavit. Ordericus vero Vitalis^a tempore Constantii patris Constantini magni "Mallonum cum aliis quibusdam fidelibus Rothomagum incoluisse scribit, et primum ibi volente Deo pontificalem cathedram obtinuisse: tempore Eusebii papæ et Melchiadis claruisse, undecimoque Calendas Novembris ad Dominum migravisse, in crypta basilicæ S. Gervasii martyris extra urbem sepultum." Quam temporis consignationem si sequi volumus, Diocletianæ persecutioni superstitem illum vixisse dicamus necesse est.

Cœpta ea est, ut ex Eusebio^b liquet, decimo nono anno Diocletiani, mense Martio, per eos dies Dominicæ passionis memoria celebrabatur, anno æræ Antiochenæ CCCLI. vulgaris nostræ Christianæ CCCIII. in Britannia et reliquo occidente non minorem crudelitatem exercente Maximiano Herculo, quam in oriente ipso Diocletiano. Quomodo autem hæc persecutio Britanniam, ut Beda^c loquitur, "cum plurima confessionis Deo devotæ gloria sublimavit;" ita explicat Gildas, Britannicorum scriptorum antiquissimus; "Ne penitus crassa atræ noctis caligine Britannia obfuscaretur, clarissimas lampades sanctorum martyrum nobis accendit DEUS: quorum nunc corporum sepulturæ, et passionum loca, si non lugubri divortio barbarorum^d quamplurima ob scelera nostra civibus adime-

^w Baron. annal. tom. 2. ad ann. 260. sec. 6.

^x Dempster. in Menolog. Scotic. Octob. 22.

^y Appar. Sacr. pag. 433.

^z Dempster in histor. ecclesiastic. Scotor. lib. 12. num. 924.

^a Orderic. histor. lib. 5. pag. 557, 558.

^b Euseb. chronic. et histor. ecclesiastic. lib. 8. cap. 2. al. 3.

^c Bed. histor. ecclesiastic. lib. 1. cap. 6.

^d Anglo-Saxonas intelligit, qui ipsius tempore adhuc infideles erant.

rentur, non minimum intuentium mentibus ardorem divinæ charitatis incuterent. Sanctum Albanum Verolamiensem, Aaron et Julium Legionum urbis cives, cæterosque utriusque sexus diversis in locis summa magnanimitate in acie Christi perstantes dico." Deinde, descripto S. Albani certamine, de reliquis subdit, "Cæteri vero sic diversis cruciatibus torti sunt, et inaudita membrorum discerpitione lacerati; ut absque cunctamine gloriosi in egregiis Hierusalem veluti portis martyrii sui trophæa defigerent. Nam qui superfuerant, sylvis ac desertis abditisque speluncis se occultavere; expectantes a justo rectore omnium Deo carnificibus severa quandoque judicia, sibi vero animarum tutamina."

Purpurati hujus agminis dux fuit ille primo loco nominatus Albanus, Verolamii (quod Britannorum erat oppidum, suis quidem usum legibus, sed municipii^e, quo donatum erat jure, munerum^f et honorum publicorum cum populo Romano particeps) generosus civis: de quo Venantius Fortunatus, in^g Carmine de virginitate;

Egregium Albanum fecunda Britannia profert.

Et longo post illum intervallo Alexander Necchamus, de Verolamio suo canens:

*Hic est martyrii roseo decoratus honore
Albanus, civis, inclyta Roma, tuus.*

Et Johannes de Garlandia libro secundo de triumphis Ecclesiæ:

*Bacchatur sanctos dum Maximiauis in omnes,
Albanus martyr Amphibalusque cadunt.*

Et hymnus, die^b S. Albani memoriæ dicato cantari solitus:

*Ave protomartyr Anglorum,
Milcs regis Angelorum;
O Albane, flos martyrum.*

^e Supr. cap. 5. pag. 82.

^f A. Gell. Noct. Attic. lib. 16. cap. 13.

^g Fortunat. lib. 8. carm. 4.

^b Breviar. Sarisbur. in officio S. Albani.

Hoc enim protomartyris Anglorum titulo, quod in ea Britanniae parte, quae ab Anglis postea possessa et Anglia dicta est, omnium primus Christi fidem sanguine suo ob-signavit, non apud Ingulphum Croylandensem solum et alios Anglicanos scriptores passim insignitus reperitur; sed etiam in vetere inscriptione, anno MCCLVII. in ecclesia S. Albani a cementariorum ministris eruta; et anno DCCXCIII. ut videtur, Offa regnante posita: cujus anonymus quidam Albanensis monachus ita meminit; "In mausoleo, inter altare S. Oswini et altare S. Vulstani, sub tabulatu marmoreo et feretro antiquo picto (dum aptitudo fundamenti quaereretur, per strepitum gradientium ab insperato invento) reperta sunt haec. Panni plumbei, ut vulgariter loquamur, in quibus corpus martyris proximius ponebatur: et quaedam lamina plumbea, monopodalis longitudine, et trium digitorum latitudine. In qua, secundum consuetudinem antiquorum, inscriptum et stylo ferreo insculptum fuerat hoc: IN HOC MAUSOLEO INVENTUM EST VENERABILE CORPUS SANCTI ALBANI PROTHOMARTIRIS ANGLORUM." Et in anni illius MCCLVII. historia, Matthaeus Parisiensis: "In mausoleo inventa est quaedam lamina plumbea, in qua secundum antiquorum consuetudinem, scriptus est hic titulus, In hoc mausoleo inventum est venerabile corpus sancti Albani protomartyris Anglorum." Matthaeus Westmonasteriensis ad annum DCCXCIV. Anglorum sive Britonum protomartyrem nominat: ubi ad vocem Britonum criticus aliquis notulam hanc apposuit, quae in libris impressis ex margine irrepsit in contextum: "Quod solum verum est: quia certum est eum Britonem, non Anglicum extitisse: unde male dicitur, Anglorum protomartyrem:" indeque alteram illam magis propriam appellationem retinuit Thomas Walsinghamius, commune conventus S. Albani sigillum describens: "in quo" ut inquit ille, "vetustissimo opere imago gloriosi protomartyris Britannorum Albani figurabatur, tenens in manu palmam."

ⁱ Walsingham in histor. Richard. II. ann. 1531.

Thomas Dempsterus^k Scotum fuisse contendit: eam in rem producto Hartmanni apud Canisium testimonio :

Scotia se Albano felicem martyre clamat ;
Victima qui Christo prima Britanna fuit.

Verum quum in tomis Canisianis hoc frustra quæsiverim : non magis hic apud me fidem suam liberat, quam in illo quod in eodem ipso loco non minori confidentia asseverat ; pervenisse ad se Albani opusculum inscriptum, Christianorum puritas: cujusmodi libellum, neque ab illo, neque a mortalium omnino quoquam, conspectum fuisse unquam, quovis pignore ausim contendere.

In edito Bedæ martyrologio Albinus hic vocatur ; a Germano aliquo antiquario scriptura immutata. Eo^l enim nomine Germani Britannicum nostrum ab Albano Moguntino martyre distinguendum censuerunt : de quo ita Colonienses S. Pantaleonis cœnobitæ, in libello anno MDII. ad Henricum VII. Anglorum regem scripto : “ Theophana imperatrix, ob affinitatem S. Brunonis Coloniensis archiepiscopi, Coloniense Benedictinum S. Pantaleonis monasterium summo honore coluit ; et ad illud S. Albani reliquias Roma, quo eas ex Anglia tulerat S. Germanus, pertulit. Eæ vero Moguntiam cum venissent, licet ejusdem sedis antistes Augustam cum memoria martyris venerabiliter excepisset, donariis quoque non spernendis honorasset ; verebatur tamen et auctoritate regia et martyris memoria recens adducti, per cognationem vocabuli, sui martyris Albani gloriam extenuari : nam uterque eorum vocabatur Albanus. Hunc ergo protomartyrem Angliæ Albinum vocari obnixè rogavit ; et cum optimatum regni consilio simul et auxilio impetravit.”

Hujus Britannorum protomartyris agonem breviter his verbis perstrinxit Gildas : “ Postquam, charitatis gratia confessorem persecutoribus insectatum, et jam jamque

^k Dempster histor. ecclesiast. Scotor. lib. 1. num. 23.

^l Jo. Molan. in Usuardi, et Petr. Galesin. in Roman. martyrolog. 11. et 10. Calend. Julii. Erhard. Winheim, in sacrario Agrippinæ, pag. 143. Nic. Serarius, rer. Moguntiac. lib. 2. pag. 275. et lib. 5. pag. 718, 719.

comprehendendum (imitans et in hoc Christum, animam pro ovibus ponentem) domo primum ac mutatis dein mutuo vestibus occubuit, et se discrimini in fratris supra dicti vestimentis libenter persequendum dedit: ita Deo, inter sacram confessionem cruoremque, coram impiis Romanum stigmata cum horribili phantasia referentibus, placens, signorum miraculis mirabiliter adornatus est ut, oratione ferventi, illi Israeliticæ arenti viæ minusque tritæ, stante diu arca^m prope glareas Testamenti in medio Jordanis canali, simile iter ignotum trans Thamesis nobilis fluvii alveum cum mille viris sicco ingrediens pede, suspensis utrinque modoⁿ præruptorum fluvialibus montium gurgitibus, aperiret; et priorem carnificem tanta prodigia videntem in agnum ex lupo mutaret, et una secum triumphalem martyrii palmam sitire vehementius et excipere fortius faceret."

Sed quæ angustius et obscurius ille attigit, plenius et planius in primo ecclesiasticæ suæ historiæ libro explicavit Beda^o: ex quo novem illæ lectiones sunt excerptæ, quæ die S. Albani apud Anglos publice recitari consueverunt: sive eas primum Sarisburiensi breviario a se composito Osmundus inseruerit; sive ab Alfrico^p abbate, sub finem decimi post Christum sæculi, ita ordinatas acceperit. Sic enim de eo in historia abbatum S. Albani a Matthæo Parisiensi conscripta legimus: "Leofrico^q, qui ex abbate S. Albani factus est archiepiscopus Cantuariensis, successit in abbatia frater ejus uterinus Alfricus. Iste, visione præmonitus, S. Albani quæ nunc cantatur composuit historiam, et eidem notam melicam adaptavit; et auctoritate fratris sui archiepiscopi multis locis Angliæ fecit publicari, diemque ejusdem martyris honorari: statuens ut die Jovis, nisi præoccupetur legitimis temporibus, Missa de ipso cum pertinentiis, solemniter celebretur."

^m Jos. cap. 3. ver. 17.

ⁿ Al. *more*.

^o Bed. lib. 1. hist. cap. 7.

^p Jo. Balæ. centur. 10. cap. 52.

^q Meminit ejus idem Matthæus, in historia majore, ad annum Dom. 1214. Aliis Ælfricus et Aluricius dicitur. Vid. Balæum centur. 10. cap. 52. cum centur. 2. cap. 41.

In hisce actis, confessoris illius vestimentum, quo indutus Albanus militibus capiendum se exhibuit, caracalla vocatur: quam monasticam fuisse vestem confirmat Thomas Rudburnus^c, ex Saxonico Bedæ interprete, qui “habitum monachalem” reddidit; ex Dolensi, qui passum Albanum scripsit “sub caracalla et cuculla magistri sui Amphibali monachi et doctoris egregii,” et ex Thoma Walsinghamio, qui feretrum in quo vestimentum hoc apud Elienses servatum fuisse existimabatur, anno MCCCXIV. a rege Edvardo II. reclusum referens, quid in eo inventum fuerit, hunc in modum explicat: “Ecce vident locellum illum a summo usque deorsum quodam panno villosa ita occupatum, ut nihil posset aliud continere. In superiori vero parte vestimenti conspiciunt eruoris coagula dense respersa; ita nova, ita recentia, quasi pridie fuissent effusa.” Verum pro eo quod in Walsinghamio sequitur: “Constat hanc vestem fuisse caracallam, quam sanetus Albanus in conversione acceperat a sancto Amphibalo magistro suo in signum religionis, in quo idem martyr sententiam subiit capitalem:” substituit Rudburnus, “cum eo panno inventam esse scripturam antiquam, ita se habentem; hæc est cuculla^s sancti Amphibali monachi et sancti Albani præceptoris; sub qua passus est sanctus Albanus Angliæ protomartyr, sub persecutione Dioclesiani imperatoris in omnes Christianos sævissima.”

Et ad caracallam quidem quod attinet: Hieronymus^t et Eucherius^u, ephod indumentum sacerdotale ita describentes, ut in modum caracallæ fuisse dicant, sed sine cucullo; caracallas fuisse pænulas cucullatas satis indicant: indeque diminutivum *Καρακάλλιον* in glossario Græco-Latino, Cyrillo adscripto, cuculla exponitur. Sed Amphibali vocabulum, quod huic ipsi vestimento magis quam illius possessori convenire, suo loco sumus ostensuri, ex Britannica Galfridi Monemuthensis^w historia acceptum esse,

^r Rudburn. hist. major. lib. 1. cap. 4.

^s Caracalla.

^t Hieronym. epist. ad Fabiolam. op. tom. 2. pag. 580.

^u Eucher. instruction. lib. 2. cap. 10.

^w Galfrid. histor. lib. 5. cap. 5.

ne ipsi quidem monachi dissimulant. Ita enim ad annum CCCIV. Rogerus Wendoverius, et ad annum CCCIII. annotat Matthæus Florilegus: "Istius clerici nomen, licet Romanæ taceant historiæ, in historia Britonum tamen continetur expressum:" et ante eos, Guilielmus Albanensis monachus, in præfatione ad Albani vitam ex Anglico sermone in Latinum a se conversam: "Sciendum, quod huic operi beati clerici nomen adjecerim: quod non in libro quem transfero, sed in historia quam Gaufridus Arturus de Britannico in Latinum se vertisse testatur, inveni."

In prolixioribus quoque illis actis, nomen fluvii, quem sicco pede Albanus cum mille viris pertransiisse dicitur, haudquaquam est expressum: licet in quibusdam Gildæ exemplaribus Tamesis et Tamensis vox appareat: nam a codice Gildæ MS. qui in publica Cantabrigiensis academiæ bibliotheca habetur, ea abest: sicut à Beda, et aliis omnibus actorum Albani descriptoribus: neque aliter ferri potest, quam si Colo fluvio in Tamisim illabenti, tanquam profluenti inde derivato, Tamesis nomen a Gilda communicatum fuisse dicamus. Colus enim a Tamisi diccedens, et Colbroke^x oppido nomen tribuens, Buckinghamienses a mediterraneis Saxonibus disternat; indeque Hertfordienses visitans, vetus Verolanium et novam S. Albani villam intermeat, et Redburnam alluit. Matthæus vero Parisiensis, ex navalibus armamentis et conchyliorum testis Ældredi abbatis temporibus, circa annum Christi DCCCCLX. hic effossis, marinas etiam aquas huc olim accessisse colligit. "Fossos," inquit, "juxta ripam asseres quernos, cum clavis infixis, pice navali delimitos quales solent esse in carinis invenerunt: nec non et quædam navalia armamenta, utpote anchoras rubigine semirosas et remos abiegnos, in certum ac manifestum signum aquæ marinæ, quæ quondam Warlamecestrense vexit navigium, reppererunt: quæ unda quomodo in primum rivulum nunc contrahatur, et quo miraculo, historia de Sancto Albano explanat evi-

^x Florentius Wigorniensis, ex annalibus Anglo-Saxonicis, de Danis, anno 894. "Tamense fluvio siue vadis transito, in insulam quandam intra meatum Colnæ annis sitam fugerunt."

denter. Conchylium vero conchas quales littus maris solet educare vel projicere, cum arenis æquoreis, quas insolito vestigio cives Verolamiæ, properantes ad martyrium novi martyris, quondam calcarunt, non sine admiratione invenerunt."

Atqui conchyliæ Verolamiensibus suppeditabant loca mari quam ipsi essent viciniore: ut nihil necesse sit eo argumento marinas aquas ad eorum mœnia arcessere: neque deerat illis lacus amplissimus, licet hodie ingesta terra obstructus, et in prata conversus, qui regionum piscatorum vehebat navigia; unde Offam regem non minimum commodum percepisse, ipse testis est Matthæus: ne navales asses, et anchoræ, et remi, quenquam hic permoveant. Illud etiam verum est, in Albani actis a Beda descriptis arenæ mentionem esse factam: sed fluminibus quoque sua est arena: et arenam terram aridam quandoque denotare, ad primum Georgicorum monuit nos Scrvius. In iisdem præterea actis fluvius ab Albano exsiccatus, "ministerio persoluto, reversus ad naturam esse" dicitur. Sed neque illud, neque in tota Albani historia aliud quicquam, marinas undas huc influxisse arguit.

Duo vero in illa historia commemorantur miracula, quæ Gildas omnino non attigit: fontis nimirum in montis cacumine Albani precibus producti; et oculorum excæcati carnificis in terram cum beati martyris capite decidentium. Prioris, in anni DXVI. historia, meminit Matthæus Florilegus: posterioris, in martyrologiis suis ad X. Calendas Julii, Beda, Ado, Rabanus et Notkerus: quibus et illa^y Errici Antissiodorensis addi possunt de Albano nostro carmina:

Millia pœnarum Christi pro nomine passus:
 Quem tandem rapuit capitis sententia cæsi.
 Sed non licitori cessit res tuta superbo:
 Utque caput sancto, ceciderunt lumina sævo.

Atque hæc fuerunt antiqua martyrii S. Albani acta, a Beda historiae ecclesiasticæ gentis Anglorum inserta, et in ecclesiis Anglorum solenni more olim recitari solita: cum

^y Erric. Antissiod. de vita Germani, lib. 3.

quibus et vetustissimum de iisdem volumen, primævo Verolamiensium idiomate conscriptum, plane consensisse, in historia abbatum S. Albani refert Matthæus Parisiensis. Quod opus quia nondum in lucem est editum; ex gestis Ædmari, qui Ældredo illi, de quo diximus, circa annum DCCCCLXX. in Albanensis cœnobii regimine successit, integrum locum non pigebit adscribere: narrationis fide ipsi authori relicta.

“Istius abbatis tempore, dum fossores muros et abscondita terræ rimarentur, in medio civitatis antiquæ, cuiusdam magni palatii fundamenta diruerunt: et cum tantorum vestigia ædificiorum admirarentur, invenerunt in cuiusdam muri concavo deposito quasi armariolo, cum quibusdam minoribus libris et rotulis cuiusdam codicis ignotum volumen, quod parum fuit ex tam longæva mora demolitum; cuius nec literæ, nec idioma alicui tunc invento cognitum præ antiquitate fuerat; venustæ tamen formæ et manifestæ literæ fuerat; quarum epigrammata et tituli aureis literis fulserunt: redimiti asseses querni, ligamina serica, pristinam in magna parte fortitudinem retinuerunt. De cuius libri notitia cum multum longe lateque fuerat diligenter inquisitum: tandem unum senem jam decrepitem invenerunt, sacerdotem literis bene eruditum, nomine Unwonam: qui, imbutus diversorum idiomatum linguis ac literis, legit distincte et aperte scripta libri prænominati; similiter quæ in aliis codicibus, in eodem armariolo et in eodem habitaculo repertis, legit indubitanter et exposuit expresse. Erat enim litera, qualis scribi solet tempore quo cives Werlamecestrani inhabitabant; et idioma antiquorum Britonum, quo tunc temporis utebantur: aliqua tamen in Latino: sed his non opus erat.”

“In primo autem libro, scilicet majori, cuius prius fecimus mentionem, scriptam invenit historiam de sancto Albano Anglorum protomartyre, quam ecclesia diebus hodiernis recitat legendo: cui perhibet egregius doctor Beda testimonium in nullis discrepando. In aliis vero libris passim inventis reperit lector prædictus invocationes et ritus idololatrarum civium Warlamecestrensiū: in quibus comperit, quod specialiter Phœbum Deum Solis invo-

caverunt et coluerunt, quod perpendi potest per historiam S. Albani, si eam sedulus lector intelligat: secundo vero Mercurium (Woden Anglice appellatum, a quo quartus dies septimanæ intitulatur) Deum videlicet mercatorum, quia cives et compatriotæ, propter navigium civitatis, et commodum loci situm, per unam diætam tantum a Londiniis distantem, fere omnes negotiatores et institores fuerunt. Abjectis igitur et combustis libris in quibus commenta Diaboli continebantur; solus ille liber, in quo historia sancti Albani continebatur, in thesauro carissime reponebatur: et sicut prædictus presbyter illam antiquo Anglico vel Britannico idiomate conscriptum, in quo peritus extitit, legerat; abbas iste Ædmarus per prudentiores fratrum in conventu fecit fideliter ac diligenter exponi, et plenius in publico prædicando edoceri. Cum autem conscripta historia in Latino pluribus, ut jam dictum est, innotuisset; exemplar primitivum ac originale, quod mirum est dictu, irrestaurabiliter in pulverem subito redactum cecidit annullatum."

Præter ista Albani acta, Unwoni presbyteri opera ex vetere Britannica lingua in Latinam traducta; post annos ducentos prodierunt alia, ex vulgari Anglicano in sermonem Latinum a Guilielmo Albanensi monacho conversa: quibus ne ob novitatem derogaretur fides: placuit ut author ex historico repente propheta fieret; et de futura Anglorum conversione, ipse adhuc Catechumenus et Romam ad suscipiendum baptismum profecturus, vaticinaretur: unde claruisse illum anno gratiæ DXC. Lelandus et Balæus conjecerunt. Interpres autem Guilielmus ille Martellus sacrista Albanensis fuisse videatur, quem post Simonis mortem abbatis dignitatem frustra ambivisse, in historia abbatum S. Albani refert Matthæus Parisiensis. Simonis enim hujus, qui ab anno MCLXVII. usque ad MCLXXXIII. Albanensi monasterio abbas præfuit, jussu, Guilielmus opus hoc aggressus est: sicut Guilielmi deinde rogatu, idem heroicis versibus expressit Radulphus Dunstapulensis; de quo, in Albanensis cœnobii virorum illustrium catalogo, ita legimus: "Radulphus de Dunstaplia non impar Maroni floruit: qui scripsit metricè

vitas sanctorum Albani et Amphibali; modernis et futuris merito commendandus:" fallitur enim Balæus^z, cum Radulpho Gubio, abbati Albanensi anno MCLI. defuncto, poema hoc attribuit. Acta vero illa, soluta oratione edita, typis Frobenianis prodiisse Dempsterus^a affirmat: eadem fortasse credulitate, qua authorem in opere eo non semel se Scotum fateri somniavit; quum Scoti mentio in toto illo opere ne semel quidem occurrat. Ego ex duobus MSS. Cottonianæ bibliothecæ codicibus illud descripsi: unde si prologum (nec authoris illum tantum, sed utriusque simul Latini interpretis) una cum epilogo hic apposuero; rem lectori omnino non ingratam facturus mihi videor.

PRÆFATIO GUILIELMI INTERPRETIS.

Reverendo patri et domino charissimo Simoni, Willelmus in Domino salutem.

“Cum liber Anglico sermone conscriptus, passionem beati martyris Albani continens, ad nostram notitiam pervenisset: ut eum verbis Latinis exprimerem præcepistis. Ego vero nobis non obedire nefas existimans, dicto parui: non tamen ex aliqua præsumptione, sed ne contemni jubentis auctoritas videretur. Quod opus nomini vestro credidi consecrandum; non inveniens cui magis oris mei primitias offerrem quam Domini sacerdoti. Si quid minus Latine forte sonuerit apud doctas aures: interpretem novum obedientia, quæ viribus plerumque majora præsumit, excusabit. Sciendum autem quod huic operi beati clerici nomen adjecerim: quod non in libro quem transfero, sed in historia quam Gaufridus Arturus de Britannico in Latinum se vertisse testatur, inveni. Sed ne verborum prolixitas homini displiceat occupato: restat nunc qualiter author operis sui præfationem dirigat audiatur.”

^z Jo. Balæ. centur. 2. cap. 84.

^a Dempster. hist. ecclesiast. Scotor. lib. 1. num. 76.

PROLOGUS AUTHORIS.

“ **QUISQUIS** beatorum martyrum gloriosa certamina tentaverit ad memoriam revocare: necesse est, si tamen evaserit, odia sustineat paganorum. Si quis enim de nece martyrum, de gloria sanctorum narrationem cœperit ordinare; mox qui felicitati eorum invident, irasci, fremere, et usque ad mortem persequi consueverunt. Inde est quod passionem beati Albani martyris qualicumque stylo posteris proditurus, operi titulum non præpono: malens tacendo nomen omittere, quam loquendo nomen pariter et vitam amittere. Quamvis igitur insidiantium laqueis plena sint omnia: suppresso tamen nomine, quid viderim, quid audierim non tacebo. Cives quondam Verolamii, ob elationem cordis sui declarandam, qualiter passus sit beatissimus Albanus in muris suæ civitatis sculptum reliquerunt. Quam sculpturam longo post tempore in muris eorum jam rimosis et ad ruinam inclinatis inveni: vidi que mœnia præ vetustate jam labi, infra quorum ambitum beatus Albanus graves in corpore pertulit cruciatus. Vidi locum repleri arborum densitate, in quo martyr invictus quondam pro Christo sententiam subiit capitalem. Illinc inter cætera multorum relatione cognovi, qualiter vir sanctus fontem in vertice montis orando produxerit; ut inimicis siti laborantibus, et jam de vita desperantibus, aquarum beneficio subveniret. Omnem rei seriem diligenter inquisivi, didici, et (ne lateret posteros) in hunc modum stylo memoriæque mandari curavi.”

“ Cum persecutio, quæ sub Diocletiano mota est, in Christianos longe lateque desæviret: vir quidam meritis et doctrina clarus (nomine Amphibalus^b) transiens in Britanniam, Verolanium Domino ducente pervenit. Qui ingressus urbem, in domum divertens Albani hospitium postulavit. Erat autem Albanus civis Verolamius, vir eminens

^b Ab interprete additum: ut ipse in præfatione indicavit.

in civitate, ex illustri Romanorum prosapia originem ducens: in quo divitiarum gloria et dignitas secularis, nobilitati generis respondentes, honorabilem virum omni populo reddiderunt. Hic sanctum virum hospitio benigne suscipiens, vitæ necessaria ministravit, &c.”

EPILOGUS.

“ HÆC et alia multa, quæ divina pietas noluit hominibus occultare, diligenter literis commendavi. Benedictus Deus. Decessit omnis ille cœtus infidelium qui in beatum Albanum mortis quondam tulere sententiam: nec jam de cis multum tractant homines aut loquuntur. Albani memoria non delcbitur: sed ejus laudabile meritum, si quid mea carmina possunt, longe lateque per orbem diffundetur. Tempus erit, ut confidimus, quo viri religiosi Christiani ad prædicandum gentibus venient in Britanniam. Isti cum venerint, Dei magnalia hoc modo libris inserta reperient, legent, et ad notitiam deferent plurimorum. Tunc veritate cognita, lætabitur insula: tunc gentiles errorum vinculis absoluti, multiplici gaudio replebuntur. Verum tempus prædictæ visitationis et gratiæ quando venturum sit, quia certum non habeo, istic hujus lætitiæ magnitudinem non expecto. Sed ne posteris super meo nomine reddantur omnino solliciti, sciant, quia si voluerint verum mihi ponere nomen, me miserum, me peccatorem ultimum nominabunt. Romam autem proficiscor; ut illic gentilitatis errore deposito, et lavacro regenerationis adeptus, veniam increar assequi delictorum. Libellum quoque istum qui habetur in manibus offeram examini Romanorum: ut si quid in eo secus quam debuit forte prolatum fuerit, hoc per eos dignetur in melius commutare Dominus [noster] Jesus Christus; qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.”

PRÆFATIO RADULPHI DUNSTAPULENSIS.

Albani celebrem cœlo terrisque triumphum
 Ruminat inculto carmine Clio rudis.
 Ardua res poscit pectus studiumque Maronis :
 Non Maro sum, fateor, sed neque Codrus ego.
 Non acie mentis, non artis luceo cultu ;
 Ut metricæ martyr martyris esse queam.
 Martyris interpres me martyris ire poetam,
 Tu Guillelme mihi dux stimulusque cics :
 Quem de barbarie veteri novitate Latina
 Evolvīs, versu me recitare volens.
 Qui cupis Amphibali fortis sublime trophæum,
 Quod socias prosa, me sociare metro :
 Allegans quod eos fidei schola fœdere primo,
 Et nunc consorti nectat honore polus.
 Me plus discipulo doctorem carmine pulsat
 Jungere, quod jungat me tibi pignus idem.
 Hoc me compellit ad quod petis, et magis urget
 Quolibet imperio, quod pius orat amor.
 Sis igitur clypeus plus auso paupere vena :
 Æacidæ Chiron, non mihi tendo chelym.

Sequitur et altera præfatio; quam hoc disticho Radulphus claudit :

Difficiles igitur fragili rate remigo fluctus ;
 Quo mea Guillelmi carbasa flatus agit.

Ipsius operis epitomen si quis legere desideret: apud Matthæum Florilegum in anni CCCIII. historia, Johannem Capgraviū in legenda Albani et Amphibali, et Nicolaum Harpsfeldium ecclesiasticæ suæ historiæ libro primo, capite octavo, et decimo, eam inveniet. Inter alia, siccato Albani precibus rapidissimi fluminis alveo, infideles Verolanienses dixisse hic feruntur. “ Nos Deum Solem colimus, et illi præ cæteris reverentiam deferimus ampliore. Hic, nostræ non immemor devotionis, propter nos aquam fluminis vi caloris absumpsit; ut sani et numero integri necem inimici nostri lætis oculis cerneremus.” Atque iterum, fonte in montis cacumine producto : “ Laus

Deo magno Soli; qui servis in arcto constitutis tale dignatus est providere remedium, ut aquarum rivulus subito de terra prosiliens nobis occurreret ad salutem." Quo respexit Matthæus Parisiensis, in loco quem ex Ædmari abbatis gestis supra^b jam produximus. Hoc enim dramate tantopere delectatus est Matthæus, ut illud in metrum Gallicum nova metaphrasi transfuderit.

Gallicum illud Matthæi cum Latino Guilielmi et Radulphi opere conjunctum habetur in codice MS. ecclesiæ S. Albani ab Henrico VI. Anglorum rege donato: in quo et duplex continebatur tractatus, de inventione seu translatione S. Albani, in festo inventionis ejusdem, quæ facta fuit die S. Petri ad vincula, in Albanensi cœnobio legi solitus. In eorum priore, de nobilitate et dignitate S. Albani recitabantur ista: "Egregiæ dignitatis miræque sanctitatis martyr Albanus, ut passionis ipsius a quodam altioris ingenii et eloquentioris linguæ editus narrat libellus, ex stemmate inclytæ gentis venam ducens clari sanguinis, ex parentibus processit paganus, velut rosa ex spinis: et inter seculares dignitates constitutus, claris floruit virtutibus, ceu lilium candet in convallibus." Et postea, "Albanus nomen accepit a regione Albionensi; cujus ipse diu sub Cæsare primatum tenuit." Tractatus alter, priore longe prolixior, sub medium duodecimi post Christum seculi videtur editus, et ad prandium conventus legi consuevit: in cujus exordio, eam cum aliis Albano laudem tribuit, quod "primus in insula Britanniae pro Christi confessione proprium fuderit sanguinem;" in progressu vero, hac ad Verolamiense municipium utitur apostrophe.

"O Verolanium, civitatis antiquæ ruina, potius quam ædificium! felicior hodie in cunctis nationibus prædicaris confracta, quam in deliciosis supellectilibus extiteris integra: quæ quanti fueris integra, rupta doces. Avorum namque largientium tua superbia est magnificata donariis: sed privata, secus quam decebat, tui cognitione Creatoris. Idololatra enim effecta, et variis erroribus involuta, tuum deserueras infelix Creatorem; et adorans, lapidi serviebas.

^b pag. 182.

Proinde beatior es in tuis et ditior rebus pauper et tenuis reliquis, quam in pretiosis fueras lapidibus et lapidibus pretiosis. Hæc per sanctum tibi martyrem Albanum apud Deum gratia; hæc coram hominibus ipso subest interveniente potentia. Quæ superbire olim consueveras in vasis iræ, nunc humiliaris coram Deo in vasis misericordiæ. Per beatum Albanum facta es scala pertingens usque ad cælum; et quæ quondam fueras vorago inferni, nunc facta es aditus et janua paradisi. In te descendunt et ad te ascendunt cives Angelici; et sursum atque deorsum consortes fiunt et concives nostri. Per nomen Christi nomen ubique beati cognoscitur martyris Albani: cum ejus sub quo victor occubuit nesciatur vocabulum in toto orbe tyranni”.

Sed et ista, quæ desumpta dicuntur ex libro quem dominus Johannes Mansel specialis domini regis clericus et consiliarius attulit de Hispania, eidem volumini leguntur interserta: “Obsesso Londoniis Gallo et occiso, Galebroc nomen accepit ab illo; torrens scilicet Londoniam percurrens. Illo vero regnante, orta est persecutio immanis Christianorum sub Diocletiano Romanorum imperatore. Cujus consors et legatus Maximianus Hercules, princeps militiæ illius tyranni, ecclesias Britannia subvertit; Christianos proscribendo, et ad ritum gentilium flectendo. Albanum quoque nobilem civem Verolamii civitatis, magistrum militum totius Britannia, juxta ipsam civitatem occidit; sententia plectens capitali. Qui secundum sanctiones civitatis, more nobilium sic est punitus (nam si esset plebeius, aliter fuerat puniendus: sed nobilium hoc judicium fuerat plectendorum) ubi nunc in ejusdem, tanquam Anglicæ nationis protomartyris, nobile fundatur cœnobium veneratione. Passus est autem martyr memoratus, Britanniam sanguine purpurans primitivo, anno Gratia CCLXXXVI. pro eo quod a quodam hospite suo Christiano conversus ad Christum, licet diversis pœnis et diuturno carcere lacessitus, usque ad mortem in fide perstitit Christiana.”

Quibus, ad nobilitatem Albani amplius confirmandam, a collectore adjiciuntur etiam ista: “Quod B. Albanus civis Verolamii indigena fuerit et in ipsa natus civitate, præ-

claris parentibus ibidem propagatus; minime latet vitam ejus sedulo recitantes. Non enim sustinuerunt parentes ejus, quod judicandus pro sua causa compeditus ante tribunal responderet; nec ut judicatus aliam subiret sententiam quam capitalem. Veruntamen ab atavis Romanis, sicut Britones a Bruto, remote nimis originem traxit primitivam." Nempe in vita Albani a Guilielmo Latine reddita sic legimus: " Per parentes et genus ejus magnum et præclarum, quod erat in civitate, non minima perturbationis rabies et dissensionis exoritur. Injuriam namque tanti ac talis viri æquanimiter ferre non poterant: ut videlicet homo liber, ac si alicujus furti auctor extitisset, coram iudice ferro staret oneratus." Ad quem locum ab Albanensi quodam anonymo hoc appositum est scholion: " Nota, quod B. Albanus civis et indigena fuit, Verolami natus et genitus. Dicit enim quod genus in civitate habuit: ab antiquis tamen Romanis derivatum; sicut Wallenses a Trojanis."

In scripto vero illo a Guilielmo monacho Albanensi edito clericum quoque hospitio ab Albano exceptum, quem Amphibalum fuisse appellatum a Galfrido Monemuthensi primum accepimus, ex confessore martyrem effectum legimus: de cujus tamen martyrio, non modo in Gilda et Beda, sed in ipso quoque Galfrido et Sarisburiensi breviario, et antiquis omnibus martyrologiis altissimum est silentium. In hoc vero libello passionis ejus, scripto antiquis temporibus apud sanctum Albanum, (eo enim nomine a Matthæo Parisiensi^c laudatum invenio) narratio ita pertextitur. Nocte Albani cædem insecuta, " columna lucis e tumulo beati martyris in cælum usque tendebatur: per quam descendentes Angeli et ascendentes, noctem totam in hymnis et laudibus deducebant; inter cætera vero quæ canebant, vox ista frequentius est audita: Albanus vir egregius, martyr extat gloriosus." Ex Verolamiensibus mille viri, hoc spectaculo commoti, Christi fidem suscipiunt: ad quam plenius perdiscendam, in Walliam pergunt; ubi eam Wallensibus et Pictis prædicantem inve-

^c Matth. Paris. histor. major. ad ann. 1178.

niunt Amphibalum. Infidelium Verolamensium exercitus cives suos illuc insecutus, eorum nongentos nonaginta et novem, quod religionem Christianam abnegare nollent, simul ibidem obtruncat. "Ad perpetuandam quoque memoriam occisorum, ab ipsis incolis eorum numerus et nomina describuntur." Milites, ea suorum cæde facta, Amphibalum vinctum abducunt: et cum "suæ jam possent mœnia cernere civitatis, paululum in loco deserto fame et labore confecti requiescunt."

Reditus eorum nuncio Verolamium perlato et tota ad spectaculum effusa civitate: quidam "ingressi semitam cujus compendio strata^d publicæ obliquitatem declinarent, citius ad virum Dei in vinculis constitutum et a sociis suis longius remotum pervenerunt. Quem mox arripientes, et tractantes atrocius, expoliaverunt: visceraque ejus ferro patefacta palo in terram defixo circumligantes, et flagellis nimiis sanctum Dei concidentes, in circuitu ejusdem pali ambulare fecerunt. Cumque beatus martyr Dei munere inter tot angustias constitutus nulla daret doloris indicia; illi acriores effecti, eum quasi ad signum statuunt; et cultellis lanceolisque quod reliquum erat corporis confodiunt. Vir autem Domini, tanquam nihil mali pateretur, vultu hilari stabat constantior; et signa sui martyrii toto jam corpore præferebat: prodigiosum cunctis de se præbens spectaculum, quod post tanta supplicia, post tot mortis genera, adhuc vivere potuisset. Eadem hora plurimi, quorum corda Deus tetigerat, compuncti sunt corde^e; renunciantesque idolis, Christianæ se fidei subdiderunt." Qui mox omnes, judicis mandato, a speculatoribus eodem in loco interfecti sunt, mille numero: ipseque Amphibalus a turba obrutus est lapidibus.

Ita ex uno Verolamiensium municipio duæ martyrum chiliades prodiissent: altera in Wallia, altera non procul ab ipsa urbe trucidata. Ut ad earum neutram magnus^f ille Christianorum numerus referri posset quem, quod Amphibalum prædicantem audivisset, Johannes Rossus

^d Watling-street.

^e *Al. animo.*

^f Jo. Balæ. centur. 1. num. 34.

Warwicensis, in libro de Wigorniensibus episcopis, impiorum telis occubuisse narrat, in loco qui ab eventu Lich-field, id est, cadaverum campus appellatur: qua vocis etymologia nixi Lichfeldenses, pro civitatis suæ insignibus campum occisorum cadaveribus constratum etiam nunc usurpant. Nec desunt qui mille et ducentorum monachorum Bangorensium cædem ab Ethelfrido Northanhumbrorum rege factam eo^s trahant: sed contra historiæ fidem, quæ non juxta Lichfeldiam, sed prope urbem^h Legionum, quæ hodie occidentalis vocatur Cestria, interemptos illos fuisse confirmat.

Et pro Rosso faciunt, quæ in codice illo Albanensibus cœnobitis ab Henrico VI. donato reperimus: “S. Albani concives noviesⁱ viginti et nonaginta novem, secuti magistrum suum Amphibalum et stantes immutabiliter in fide Christi, in partibus Angliæ occidentalibus, scilicet apud Lichefeld, pro Christo trucidabantur. Lich enim Britonum vel Anglorum lingua cadaver mortui nuncupatur.” Et iterum; “Post S. Albani martyrium, de civibus Verolamii ipsum Amphibalum sequentes nongenti nonaginta apud Lichefeld pro Christo martyrium passi, ad cœlos migraverunt. Unde Lichefeld dicitur, quasi campus mortuorum corporum. Cives vero, qui ipsos trucidarunt, revertentes Amphibalum reduxerunt: et ipsum non procul a Verolamio, excogitato mortis genere, peremerunt et cum ipso quamplures de concivibus atque etiam parentibus suis. Et postea in ipsa Verolamii civitate multos pro Christo et Christi nomine, quod palam confessi sunt, truculenter trucidabant.”

Simonis vero illius Albanensis abbatis, qui jam dictum Albani et Amphibali passionis libellum Latine divulgandum curavit, autoritate atque industria, reliquias Amphibali et trium sociorum ejus anno MCLXXVII. in colliculo juxta villam Redburnam, a B. Albani monasterio tribus fere passuum millibus distante, inventas fuisse pro-

^s Humfred. Lhuyd. Britan. descript. fol. 22.

^h Bed. histor. ecclesiast. lib. 2. cap. 2. Ranulph. polychron. lib. 1. cap. 48. et lib. 4. cap. 31. Vide supr. pag. 161.

ⁱ Leg. *nongenti*.

dit author anonymus, qui singularem hac de re tractatum edidit; ita incipientem: “Opera Dei omnipotentis magnifica, quæ in sanctis suis mirabiliter operatur, multo consultius literarum industria quam succedentium sibi populorum relatione transmittuntur ad posteros.” Ex hoc ea pene omnia descripta sunt, quæ in majore Matthæi Parisiensis historia ad annum MCLXXVIII. hac de re leguntur: sed præter tres illos, quorum alter ille meminit, additum est hic; “inventos esse prope locum illum numero sex ex sociis martyrum prædictorum; ita quod beatus martyr Amphibalus decimus haberetur.” Unde Thomas Rudburnus, in majoris historiæ libro primo, capite quinto, et Wintoniensis ecclesiæ historiola, capitulo sexto: “Non multo post passionem B. Albani martyrizatus est S. Amphibalus, cum novem sociis suis apud villam de Redburn, per tria milliaria a villa S. Albani;” et magna Wintoniensis ecclesiæ tabula: “S. Amphibalus doctor et monachus passus est sub Diocletiano, cum novem sociis, in urbe Verolamia, quæ modo vocitatur villa Sancti Albani.” De corporibus vero reliquorum DCCCCXCI. qui eodem cum illis tempore interempti fuisse dicuntur, neque Redburnæ, neque in tota illa vicinia, fando quicquam est auditum.

Ad ipsum autem Amphibalum quod attinet: hominem fuisse illum transmarinum affirmant superiora illa acta a Guilielmo Albanensi edita, et sævjente Diocletiani persecutione transiisse in Britanniam. In Britannia tamen, ex urbe Legionum, sive Cair-Leon ad Iscam fluvium, exitisse oriundum, Giraldus Cambrensis^k et Ranulphus Cestrensis^l tradiderunt. Quo spectat et Dolensis ille locus^m, a Rudburnoⁿ et Wintoniensis^o historiolæ authore productus. “Passus est sanctus Albanus Verolamius, sub caracalla et cuculla magistri sui Amphibali, monachi et doctoris egregii, oriundi in urbe Legionum in Wallia, Britannico sermone Caer Usk nominata: in cujus urbis ecclesia cathedrali, ac totius Walliæ metropolitana, monachus ac ad officium cle-

^k Girald. Itinerar. Cambriæ, lib. 1. cap. 5.

^l Ranulph. polychron. lib. 1. cap. 48.

^m De laude Britonum, cap. 15.

ⁿ Rudburn. hist. major. lib. 1. cap. 4.

^o Winton. eccles. hist. cap. 6.

ricatus promotus est." Johannes Caius^p, illius quidem urbis origine natalitia civem eum fuisse ait, sed urbis scholarium Cantabrigiæ rectorem, ab Herculio Maximiano non multo post exustæ; cujus fabellæ authorem ille habuit Nicolaum Cantelupum, in historiola Cantabrigiæ hac de re ita scribentem: "Civitas præclara, mater philosophiæ Cantabrigia, habitaculis pulchra, turribus munita, muro ex quadratis lapidibus cincta, a Maximo Herculio principe militiæ Diocletiani imperatoris igne consumpta est. Cujus imperio omnes philosophi civitatis prædictæ, et cunctæ sanctæ ac Catholicæ scripturæ quæ inveniri poterant in medio fori exustæ sunt; atque electi sacerdotes, cum fidelibus suis sibi subditis atque commissis, trucidati agmine denso ad amœna cœlorum regna festinarunt. Inter quos cum Albano Verolamiensis civitatis præposito, passus est Dei athleta Amphibalus, civitatis scholarium Cantabrigiæ rector." In libro quem S. Albani monasterio Henricum VI. donavisse diximus, de S. Amphibalo leguntur etiam ista; "Si quis de titulis ejus plus voluerit investigare; adeat antiqua scripta Lichfeldensis et Bangorensis ecclesiarum cathedralium. Ibi enim prædicans et baptizans, multa millia hominum sequentibus signis convertit ad Dominum. Ibidem insuper, videlicet in Wallia et ejus confinio, fama celebri referente, parentes affines et incolas, uberius Deo animas lucrificans, Domino Jesu Christo præsentavit; quorum plurimi martyrio coronati ad Dominum migraverunt: ubi etiam, secundum credibiliorum et fide dignorum relationem, fuerat oriundus. Mater enim ejus, quæ filia fuit cujusdam regis illius regionis, clam ipsum conceptum et clanculo natum per aliquod tempus occultaverat: et postea limina apostolorum adiit oratura, duxitque vel bajulavit secum puerum elegantem. Opinatur autem nonnulli ipsum natum fuisse Romæ: quod veritati constat repugnare; quia per historiæ tenorem certificamur, quod B. Albano familiare et diuturnum in conversione ejus continuabat colloquium; et in Britannica lingua quasi doctor et prædicator docens discipulum, peritum et perfectum reddidit Christianum. Insuper in confinio

^p Cai. hist. Cantabrig. lib. I. pag. 24, 25.

Walliæ cives Verolamii Britones quamplures, necnon et Walenses, prædicando et manifeste docendo ad fidem convertit Christianam: quod non fecisset, si linguam juvenis non addidicisset. Veruntamen de partibus rediens Hierosolymitanis, quas cum matre (sicut præactum est) gratia orationis adierat, obiter Romam veniens, ibidem aliquandiu moram continuavit, ut plenius in lege Domini et fide quam neophytus susceperat, de sapiente sapientior, de sancto sanctior, et de instructo instructor redderetur. Ibidem namque sacris ordinibus fuisse creditur insignitus. Deinde in priori habitu orientali et peregrinali, videlicet caracalla, id est, villosa chlamyde, in tonsura et corona velut clerica, cum palma et cruce et aliis Christianis signis, nudusque pedes, ut se pro Christo ultro plus affligeret, repatriare maturavit. Et cum per multa hostium, maris et viarum discrimina pertransisset: proponens et desiderans ut in nativis partibus reliquias generis sui visitaret, crudiret, et ad Christum converteret eruditos; Domino ducente Verolamium pervenit." Verum omnes omnium ineptias longissime superavit tractatus de nobilitate, vita et martyrio S. Albani et Amphibali, de quodam libro Gallico exceptus et in Latinum translatus: ex cujus initio hic apposito, ὡς ἐκ τοῦ κρασπέδου περὶ τοῦ ὑφάσματος, de reliquo toto scripto lector facere poterit conjecturam.

"Regnante igitur in hac terra (Britannia scilicet) Severo, missi sunt Romam ad placendum imperatori Diocletiano, una cum filio regis Severi nomine Bassiano, filii dominorum et nobilium totius Cornubiæ, Cambriæ, Albanæ, et Hiberniæ, ad numerum mille^a quingentorum et quinquaginta: inter quos filius principis Cambriæ missus est cum maximo apparatu, Amphibalus appellatus; juvenis in Latina lingua, Gallica, Græca, et Hebræa satis instructus. Missus est etiam inter illos filius Domini civitatis Verolamiæ, dictus Albanus nomine, pro recipiendo nomine militari; juvenis elegans corpore, et opere circumspectus. Hi omnes pervenientes Romam prospere, ab imperatore cum honore maximo sunt suscepti. Eo tempore, sanctus

^a 1510. habet legenda aurea Anglicana: 1500. Gerardus Leghus.

Zepherinus papa Romæ sedit: qui videns tantam juvenum pulchritudinem, quantum potuit laboravit convertere eos ad fidem Christi. Et quidem filium principis Walliæ secretae convertit, et fidem docuit, et cito postea baptizavit. Qui, abjectis pompis mundi, voluntariam pro Christo assumpsit paupertatem; et in omni perfectione postea continuavit vitam suam. Conversi sunt autem et de præfata turba nonnulli sub eisdem diebus. Quod cum comperisset Diocletianus, iratus est vehementer, jussitque ut per terras et per mare requirerentur, et ejus præsentiae sisterentur. Sed cum nullo sensu potuissent inveniri: Diocletianus, omissa inquirendi diligentia, statuit diem in quo novi tyrones susciperent arma militaria per manus suas. Quos omnes manu sua cinxit, informans eos de statu suscepti ordinis et militaribus disciplinis: jubens ut de cætero essent viri perfecti, et corpora sua ab omni stultitia custodirent et delectationibus incompressis et inordinatis; audaciam sumerent et vecordiam devitarent, pugnarent pro justitia et, si instaret necessitas, morti se offerrent hilariter pro eadem: de cætero non gestarent arma contra eum qui eos tali donasset honore; et pro nulla re mundi cuiquam injuste facerent calumniam sive damnum."

Severum imperatorem Eboraci in Britannia anno Christi CCXI. defunctum, filium habuisse Bassianum, qui imperator Antoninus Caracallus dictus est; et sub imperio utriusque Zephyrinum Romæ vixisse episcopum, non est dubium: ut stuporis fuerit non ferendi, ad Diocletiani usque imperium eorum tempora velle protrudere. Et superioris tamen seculi hominibus ridicula ista commenta adeo placuerunt: ut ea legendæ aureæ, lingua Anglicana Londini anno MDXII. a Winando de Worde impressæ, intextenda censuerint; iisque non Gerardus solum Leghus sua insignium gentilitiorum rudimenta^r, sed illum quoque secutus Johannes Wilsonus Anglicanum martyrologium^s, tanquam emblemate aliquo vermiculato, decorari potuisse existimaverit.

^r Accedens of Armory. fol. 65. edit. Lond. ann. 1562.

^s Anglic. Martyrol. Jun. 25.

Johannes Fletus, de Westmonasteriensi ecclesia in templum idolorum tunc conversa, ex vetere chronico Anglo-Saxonico ista refert: "Sæviente per totam Britanniam gravissima Diocletiani imperatoris persecutione, dejectum est inter cætera hoc ipsum Christianorum habitaculum; ac deinde, juxta morem ritumque gentilium, in profanum Apollinis templum sacrilega potestate commutatum: sicque factum est, ut ubi prius in sua Deus colebatur ecclesia, ibidem postea fierent idolorum sacrificia; et ablata memoria Christianorum fidelium, caput efficeretur immolationis regum paganorum." Cum quibus conjungenda quæ a Wintoniensibus monachis de hisce temporibus sunt notata: "Post centenorum annorum curriculum quo Christi fides resplenduit cum gente Britannica, prævaluit vesana rabies persecutionis Dioclesianæ: sub quo turbine urbs Wentana ab inimicis crudeliter depopulatur, ecclesia cathedralis ad solum destruitur; magna monachorum multitudo quæ capta est occiditur, cæteris deserta petentibus." Ita habet magna Wintoniensis ecclesiæ tabula. Similiter et Thomas Rudburnus junior in majore historia, libro primo, capite quarto, et Wintoniensis ecclesiæ historiola, capite sexto, "Anno gratiæ CCLXVI. interfecti sunt monachi in Wentana ecclesia omnes, præter paucos qui fugam inierunt, et destructum est illud nobile cœnobium a ministris Diocletiani in fideles Christi crudelissimi persecutoris; quando iniquissima et a retro seculis inaudita in Christianos executata est persecutio:" et qui de ejusdem ecclesiæ antiquitatibus anno MCCCCLII. libellum edidit: "Interfecti sunt monachi in Wintana ecclesia, destructaque est eadem ecclesia a ministris Diocletiani persecutoris, anno imperii sui secundo, anno gratiæ CCLXVI. A prima occisione monachorum in prædicta ecclesia, et destructione ipsius usque ad solum, concurrunt anni mille centum et sexaginta (vel potius mille centum et octoginta sex, usque ad tempus quo ab authore scripta sunt ista). Passio sanctorum Albani et Amphibali juxta civitatem Verolanium (quæ alias Werlamchestre sive Watlingschestre a Saxonibus vocabatur) anno gratiæ CCLXXII. anno Diocletiani et

Maximiniani octavo. Eodem anno passus est S. Amphibalus monachus et doctor in ecclesia Kaer-merdyn (alias nominata civitas Merlini) in Wallia, Asclepiodoti regis Britanniae quinto. A passione sanctorum Albani et Amphibali concurrunt anni mille centum et octoginta:” ubi utrumque juxta civitatem Verolamium passum ille indicat: licet Johannes Caius¹, ex hoc ipso, ut videtur, loco minus diligenter considerato, Amphibalum Caermerlini interfectum fuisse scripserit.

Et de Albano quidem clare testatur Beda², passum fuisse illum juxta civitatem Verolamium, quæ ipsius tempore a gente Anglorum Werlamcester sive Watlingacester appellabatur: priore nomine, ut ad annum CCCXIII. a Matthæo Florilego est notatum, ab alveo deducto “ qui Warlame dicitur, et ad orientalem civitatis plagam defluit;” posteriore “ a via regia, quæ Watling-strete nuncupatur, et ad partem civitatis jacet occidentalem.” Locum quo martyrium ille pertulit, vulgi consuetudine Holm-hurst vocatum acta illa referunt, quæ a Guilielmo Albanensi ex Anglico sermone in Latinum sunt conversa. Hurst vero lingua Anglo-Saxonica sylvam denotat: et sylvestrem fuisse locum, illa in prologo ejusdem authoris verba satis indicant: “ Vidi locum repleri arborum densitate, in quo martyr invictus quondam pro Christo sententiam subiit capitalem.” Ita Illicetum vox illa denotaverit, vel etiam ulmorum sylvam; quemadmodum Holme Cultrain in Cumbria Cœnobium de ulmo Latine appellatum legitur. Posterioribus vero temporibus Derswoldinæ sylvæ nomen obtinuisse Stowæus ait, ibidemque S. Albani oppidum esse extractum; quod ex Verolamii ruinis accrevisse videmus, cujus præter nomen et mœnium rudera nihil hodie factum est reliqui. Non procul autem Verolamio ex parte una, et Annable oppido, quod ab Amphibalo nomen accepit, ex altera, sita est Redburna: ubi Amphibalum martyrii vitam finivisse, ex his ipsis Wintoniensium antiquitatum

¹ Cai. histor. Cantebri. lib. 3. pag. 25.

² Bed. histor. lib. cap. 6.

descriptoribus jam ante audivimus; ejusque memoriae ecclesia est dicata, cujus in anni MCCXVII. historia Matthæus Parisiensis meminit, et sequens hæc *ἐπιγραφὴ* Johannis Tinmuthensis sanctilogio Britanniae in MS. Cottoniano præfixa: “ Hunc librum dedit dominus Thomas de la Marc, abbas monasterii S. Albani Anglorum protomartyris, Deo et ecclesiae B. Amphibali de Redburne; ut fratres ibidem in cursu existentes per ejus lecturam poterint cœlestibus instrui, et per sanctorum exempla virtutibus insigniri.”

In tempore vero persecutionis designando observandum est, a Wintoniënsibus istis monachis initium imperii Diocletiani ab anno Christi CCLXV. repeti; quod juxta veriore chronologiam ab autumno anni CCLXXXIV. fuisset deducendum. Beda libro primo historiae ecclesiasticae, capite sexto, ad annum CCLXXXVI. refert: quo et annales Anglo-Saxonici, et Latini Asserio Menevensi attributi, Thomas Rudburnus senior in minore chronico, Johannes Tinmuthensis et Capgravius in Albani vita, Sarisburiense breviarium, annales Combenses et alii, B. Albanum martyrii palmam accepisse tradiderunt: a quo Matthæi Parisiensis et Westmonasteriensis rationes non multum recedunt: quum hic, Albani reliquias ab Offa rege inventas esse scribit, “ a passione ejus anno DVII. ab adventu Anglorum in Britanniam CCCXLIV. Indictione prima, Calend. Augusti,” anno videlicet æræ nostræ Christianæ DCCXCIII: quo prima numerata est indictio, et corpus S. Albani levatum retulit etiam in illius legenda Johannes Tinmuthensis et Capgravius; atque ante illos et utrumque etiam Matthæum, Albanenses monachi, qui tum de vita Offæ tum de translatione Albani commentarios scriptos reliquerunt: non proximo, quo Westmonasteriensis hoc factum prodidit; ille, veterem ejus tumbam repertam, in octavis S. Stephani, ineunte anno Christi MCCLVII. postquam “ fluxissent anni a passione martyris DCCCCLXX. id est, mille, exceptis duntaxat triginta annis.” Sed en integrum epilogismum, ab alio qui tum scripsit Albanensis cœnobii monacho ita propositum.

Ab incarnatione Domini usque ad passionem S. Albani, anni elapsi sunt CCLXXXVI. A passione autem S. Albani, usque ad adventum S. Germani Antissiodorensis episcopi in Britanniam, anni CLXIII. Qui simul juncti, faciunt annos CCCCXLIX.

Ab adventu S. Germani usque ad translationem S. Albani sub illustri rege Offa, anni CCCXLIV. Quos jungas superioribus, et fiunt anni DCCXCIII.

Ab hac autem translatione usque ad eam quæ facta est regnante Henrico rege primo sub abbate Gaufrido, anni sunt CCCXXXVI. Qui omnes simul collecti, annos faciunt MCXXIX.

Ab hac autem ultima translatione usque ad inventionem mausolei dicti martyris sub abbate Jobanne secundo in octavis S. Stephani factam, sunt anni CXXVII. Qui juncti superioribus, faciunt annos MCCLVI. Et cum interessent huic inventioni ultimæ Dominus episcopus Bangorensis Richardus, et memoratus Dominus abbas Johannes, et totus conventus solemniter capis choralibus redimiti, magno pulsato classico et cereis accensis quamplurimis, et fidelium multitudo copiosa; concessit idem episcopus omnibus illam inventionem venerantibus veniam triginta dierum.

Nunc autem videlicet anno Domini MCCLVII. elapsi sunt a passione B. Albani DCCCCLXX. anni, facta computatione initialiter a circumcissione Domini, tanquam a capite anni, et non ab annunciatione Dominica.

Guilielmus Caxtonus, et eum secutus Johannes Major^w, Albani martyrium ad annum Domini CCXXVI. refert; qui totis quinquaginta et octo annis initium imperii Diocletiani antevertit. In aliis Wintoniensis ecclesiæ annalibus anno CCXCVI. in aliis CCCV. in Stowæi chronico CCXCIII. in Wendoverii CCCIV. quem ille Diocletiani XIX. numerat, Albanus passus fuisse legitur.

Illud certum, in immani illa persecutione passum fuisse quam, ex Paulo Orosio^x, “per decem annos incendiis ecclesiarum, proscriptionibus innocentium, cædibus martyrum, incessabiliter actam esse,” in loco citato notavit Beda. “Persecutionem Diocletiani tyranni novennem” appellat Gildas: sed quum “bilustro necdum ad integrum expleto,” cessavisse eam addit; decimi etiam anni partem occupavisse non diffitetur. Cœpisse eam mense Martio, labente anno Diocletiani XIX. Christi CCCIII. ex Eusebio jam ostendimus: et licet in aliis provinciis ad decimum usque annum protracta fuerit, in Gallia et Britannia, ubi degebat Constantius Augustus, ipso sequente anno penitus cessavisse mox sumus ostensuri. Rectissime igitur

^w Major. de gest. Scotor. lib. I. cap. 14.

^x Oros. hist. lib. 7. cap. 25.

tur inter anni CCCIII. res gestas S. Albani martyrium in floribus historiarum et Roffensi historia est expositum: hoc quoque adjecto corollario: "Eodem tempore passi sunt in Britannia Aaron et Julius, cum aliis pluribus viris et fœminis, qui ad desiderabile cœlestis Hierusalem gaudium per martyrium convolarunt: existente tamen beato Albano Anglorum protomartyre, qui Britanniam primitivo sanguine purpuravit."

Passus est autem B. Albanus die decimo Calendarum Juliarum: ut in historiæ suæ libro primo, capite sêptimo, annotavit Beda: quo etiam die, in vetustissimo Romanæ Ecclesiæ martyrologio ab Adone edito, natalis ejus habetur consignatus. In Romano novo, sicut etiam in Bedæ, Usuardi, Adonis Rabani et Notkeri martyrologiis, eodem die *συμμάργυρ* ei adjungitur miles ille, qui ferire eum jussus recusavit: cui ne nomen deesset, Heraclium fuisse appellatum, in legenda sua prodidit Capgravius: Aracelium alii nuncupant, ut actorum Albini et Amphibali scriptor, in historiarum sanctorum collectione Lovani, anno MCCCCLXXXV. edita; sive Aracle, ut eum in Gallicano suo de S. Albano poemate Matthæus Parisiensis nominat. Hunc, postquam S. Albanum propriis manibus humavisset, discerpto prius corpusculo et capite demum cervicibus abscisso, vitam finivisse, acta Albani a Guilielmo edita significant. Quod illius martyrium Robertus Dunstapulensis suis versibus sic expressit:

Improba displosos convulsio dissipat artus;
 Horribilis lethi forma, furoris opus.
 Nec moritur sontum tot sancti mortibus ira:
 Sed metit, exitii meta, machæra caput.
 Fit de terreno cœlestis milite miles,
 Dum foveat invicta strenuitate fidem.
 Albani callem virtutis odore secutus,
 Fit bravo consors, sicut agone comes.

Quibus et panegyristæ Albanensis adjiciantur ista: "Hinc est quod signifer militiæ Christi suis proposuit sequacibus formam cœlestis exercitii: ita ut ille carnifex cruentus, qui lictoris fungebatur officio, conversus ad fidem Christianus gladio videretur abjecto. Qui pro beato mar-

tyre desideravit occumbere, vel cum ipso pariter de mundi sævitia triumphare. Hunc Deus ministrum beato martyri deputavit idoneum; qui eum cum trophæo, gaudentibus angelis, comitaretur ad cœlum. Indignum namque fuerat, ut solus graderetur et sine comite, qui æterna coronandus radiabat claritate. Ut Romanum Levita Dei Laurentius præmisit ante se strenuum militem: ita sanctus martyr Albanus hunc habere collegam meruit consortem. Cum hoste jam rabido luctatur in prælio, ut cum Albano Christi martyre gloriatur de triumpho. Infertur militis cervicibus carnificis gladius, eumque subsequitur ad superna celeriter proprio sanguine laureatus. Signum apostolatus ejus ipse miles erit in Domino, qui primitias sacri martyrii Angligenæ nationis consecravit in regno. Eia miles insignis, inhærens vestigiis invictissimi martyris; quam fœlix et quam præclara fulget victoria tuæ beatæ passionis! Feliciter renunciasti lictoris officio, feliciter ditatus es nomine Christiano. Qui in terra Ægypti salvavit Israelitas per cruorem paschalis agni, ipse te suo signavit caractere, et baptizari fecit in proprii sanguinis pretioso liquore. Confessio vocis et credulitas cordis tibi locum olei ministravit et chrismatis: dealbatus es candore sempiterni luminis, adunctus decore supernæ claritatis. Eum prosequeris comitatus ad palmam, quem sequi tua probitas non refugit ad pœnam. Illius es vestigia investigans ad præmia, qui decertator validus præcurrit ad prælia." In eodem Romano martyrologio novo, ad Calendas Julias refertur Julii et Aaronis passio: de qua Petrus Equilinus. "Aaron^y et Julius urbis Legionum (quæ est civitas in Britannia) cives, et alii plures martyres utriusque sexus in eadem civitate passi sunt sub persecutione Diocletiani et Maximiani, qui propter multa et insignia miracula, quæ in passione beati Albani martyris ostensa sunt, conversi sunt ad Christum; et pro ejusdem fidei ac confessionis gloria, et ipsi ab infidelibus martyrium passi triumphatorum cœlestium numero sociati, Calendis Julii:" et Giraldus Cambrensis^z, de urbe Legionum ad Oscam fluvium

^y Petr. de natalib. lib. 6. cap. 35.

^z Itinerar. Cambriæ lib. 1. cap. 5.

sita, verba faciens: “*Jacent hic duo nobiles, et post Albanum, et Amphibalum^a præcipui Britanniae majoris protomartyres, et ibidem martyrio coronati, Julius scilicet et Aaron: quorum uterque ecclesiam in urbe insignem habebat suo nomine decoratam. Tres enim egregiae in hac urbe antiquis temporibus fuerunt ecclesiae. Una Julii martyris; virgineo Deo dicatarum regularium choro venustata. Altera vero beati Aaron socii ejusdem nomine fundata, et canonicorum ordine præclaro nobilitata. Tertia vero, metropolitana sede Cambriae totius insignita:*” licet Galfridus Monemuthensis, ut dictum alias^b, duas tantum ecclesias hic constituat: unam^c S. Aaronis quam, respectu ad Londinensem et Eboracensem habito, tertiam metropolitanam sedem Britanniae fuisse ait, S. Julii alteram (ubi nunc Herbertinae S. Juliani aedes putantur consistere) virginum cœnobio ornatam, in quo Gueneveram Arthuri^d regis uxorem post admissum adulterium monasticam vitam suscepisse narrat. Julio et Aaroni in oppido Carleonensi, patrum adhuc nostrorum memòria, capellæ visebantur constructæ; quarum una ab orientali, altera ab occidentali parte oppidi, duobus minus milliaribus disjunctæ erant^e.

In Romano martyrologio et aliis, die “*XV. Calendarum Octobris in Britannia sanctorum martyrum Socratis et Stephani*” natalis commemorari dicitur: de quibus, ad eundem diem, Petrus Equilinus^f. “*Socrates et Stephanus martyres ipso die in Britanniiis palmas percipiunt.*” Eorum vero apud Britannos abolevit memoria: nisi Stephanus is forte fuerit, qui in Londinensium archiepiscoporum catalogo supra^g loco septimo est positus: licet hoc tempore alium, in illo catalogo minime nominatum, Londinensium præsulem fuisse, idem Petrus innuat; quum Augustinum pontificem Augustæ civitatis Britanniae martyrium

^a Quem in hujus urbis ecclesia cathedrali ac totius Walliæ metropolitana monachum ac clericum supra fecit Dolensis (pag. 195.) et magistrum quoque Julii et Aaronis. Balæus centur. 1. cap. 34.

^b Supr. pag. 102.

^c Galfrid. Britan. hist. lib. 9. cap. 12.

^d Id. lib. 11. cap. 1. Matt. Florileg. ad ann. 541.

^e Fr. Godwin. in Landavensium episcoporum catalogo; num. 21. pag. 629.

^f Petr. de natalib. lib. 11. cap. ult. sec. 250.

^g Supr. cap. 5. pag. 89.

passum esse scribit. Nam et hujus et Stephani passionem ad persecutionem hanc, quæ numeratur decima, potius quam ad præcedentium aliquam referamus necesse est: si a communi scriptorum nostrorum consensu non discedamus, qui primum omnium Albanum in Britannia pro Christo sanguinem fudisse statuit. Augustam vero non aliam quam Londinensem fuisse civitatem, ostendunt illa Ammiani Marcellini: "Tendens^b ad Lundinium vetus oppidum, quod Augustam posteritas appellavit:" et, "Ab^l Augusta repfectus, quam veteres appellavere Lundinium."

Ab aliis B. Augulus vel Augulius (Ricemarchus Augulinum nominat) sub Decio passus dicitur: quemadmodum in suis sanctorum canonicorum natalibus, ad diem VII. Februarii, Constantinus Ghinius annotat. Gilbertus Genebrardus, in calendarii Romani chronologia, ad eundem diem Augurii (sic enim appellat) "Episcopi Hiberniæ, anno CCCLXI. sub Valentiniano," (Julianum volebat dicere) excessum collocat. Thomas Dempsterus¹, de passionis tempore cum Genebrardo consentiens, de patria repugnat: et suæ, id est, recentiori Scotiæ antiquum Christi martyrem vendicat. Quod ne sine autore fecisse videretur: "Hunibertum Scotum, scriptorem antiquissimum, in sua historia ejus in Scotia labores, prædicationem, et miracula extulisse" asserit: eadem fingendi libidine, qua ipsum Augurium sive Augulium De fide plantanda librum unum, et De fuga persecutionis alterum scripsisse subjicit: quum de sancto hoc martyre nihil aliud hodie habeatur cognitum, quam quod a Petro Equilino his verbis est proditum: "Augulius^m episcopus in Britannia martyrium passus est. Hic enim pontifex Augustæ civitatis Britannicæ, ætate ac viribus proventus, cursum temporis per martyrium complens, æterna meruit suscipere præmia, VII. Idus Februarii; ut ait Ado:" Ad quem diem, non in Adonis solum et Ricemarchi, sed etiam in Bedæ, Usuardi, Rabani, Wandelberti, Romano, necnon et MSS. tum Sarisburiensis ecclesiæ, tum Eveshamensis

^b Amm. Marc. lib. 27. cap. 8.

^l Ibid. lib. 28. cap. 3.

^k Dempst. hist. ecclesiast. Scotor. lib. 1. num. 40.

¹ Petr. de natalib. lib. 3. cap. 105.

et Winteneiensis monasterii martyrologiis, ejusdem quoque episcopi commemorationem factam invenimus: ex quibus defectus in Notkeri Balbuli martyrologio ita supplendus. "VII.^m Iduum Februarii in Britannii, [civitate Augusta, natale sancti Auguli episcopi et martyris. In Ægypto,] sancti Moyses vel Moysis venerabilis episcopi:" ne quis vulgata lectione deceptus, Moysen episcopum Saracenorum in Britanniam nostram traducendum opinetur.

Atque hæc dira illa fuit a Diocletiano et Maximiano adversus Christiani nominis professores mota persecutio: de qua, recentior Scotorum historicus, Hector Boethius^m: "Evagata est rabies illa, non modo ab oriente in occidentem, sed etiam per alterum orbem Britanniam: unde Christiana pietas truculentis et inhumanis adinventis plagis concussa immani tortorum vesania, ac persecutionis diuturnitate, tota ferme est ejecta; piis viris ac religiosis persecutionum metu in eremos ac ferarum lustra concedentibus, ubi expertes injuriarum vere monasticam sanctissimamque exegerunt vitam." Et quidem in Britannia totam pene fidem Christianam hoc tempore extinctam fuisse; etiam in Antissiodorensi chronologia Roberti monachi, Scotichronico Johannis Fordoni, et fasciculo temporum Wernerii Laerii, legimus: quæ opinio ex unico Gildæ loco, non attente satis considerato, accepta primum fuisse videatur. Hic vero, "obⁿ immanitatem persecutionis, religionem ita refrixisse, ut sit pene extincta," Polydorus Vergilius Gildam testem advocat: eaque "fere^p deletam fuisse Christianitatem in tota insula," Galfridus Monemuthensis asserit; non alia et ipse autoritate quam Gildæ nixus, ex quo hujus persecutionis historia ad verbum pene ab illo est transcripta. In ea enim, ut apud Gildam habetur; "subversæ^q per totum mundum sunt ecclesiæ, et cunctæ sacræ scripturæ quæ inveniri potuerunt in plateis exustæ, et electi sacerdotes gregis Domini cum

^m Tom. 6. antiqu. lect. Hen. Canis. pag. 778.

ⁿ Boeth. Scotor. hist. lib. 6.

^o Polydor. Anglic. hist. lib. 2.

^p Galfrid. Britan. hist. lib. 5. cap. 5.

^q Gild. hist. sect. 7.

innocentibus ovibus trucidati: ita ut ne vestigium quidem, si fieri potuisset, in nonnullis provinciæ locis Christianæ religionis appareret;” vel in nonnullis provinciis, potius; ut in Cantabrigiensis academix exemplari MS. legimus; non enim speciatim, quod minus videtur animadvertisse Galfridus, de Britannix provincia Gildas ista scripserat; sed de novenni illa persecutione universim, in qua, “ad amœna cœlorum regna (ut ille loquitur) quasi ad propriam sedem tota festinavit ecclesia.”

Secundo autem persecutionis illius anno, testante Eusebio^s et Orosio^t, Diocletianus et Maximianus purpuram deposuerunt; illo, ut indicat Zosimus^u, nonum, hoc octavum jam consulatum gerente: anno videlicet æræ nostræ Dominicæ CCCIV. Unde Augustus declaratus Constantius Chlorus, in suæ ditionis provinciis, Hispania et Gallia et nostra Britannia, in qua illum *συνεχέστερον ἐνδημούντα* notavit idem Zosimus^w, Christianis pacem restituit: *Τοὺς ὑπ’ αὐτὸν θεοσεβεῖς, ἀβλαβεῖς καὶ ἀνεπηρέαστους φυλάξας*, ut inquit Eusebius^x, *Μήτε τῶν ἐκκλησιῶν τοὺς οἴκους καθελῶν, μήθ’ ἕτερόν τι καθ’ ἡμῶν καινουργήσας*: pios Christianos, qui sub ipso vitam degebant, a damno contumeliasque penitus immunes conservans, neque ecclesiarum ædificia demolitus, neque aliquod scelus in nos machinatus.” Indequè Donatistæ, in libello supplice filio ipsius porrecto: “Rogamus^y te, O Constantine optime imperator; quoniam de genere justo es, cujus pater inter cæteros imperatores persecutionem non exercuit:” et Sozomenus^z: *Διωκομένων τῶν ἀνὰ τὴν ἄλλην οἰκουμένην ἐκκλησιῶν, μόνος*

^r “In Angliâ pene tota fides extincta est hoc tempore a Maximiano.” Werner. Laerius, in Fasciculo tempor. ætat. 6. “Qua persecutione tota fere Christianitas in Britannia deleta est.” Jo. Fordon, in Scotichronico. “In Britannia fere deleta est Christianitas, quæ a tempore Eleutheri papæ et Lucii ejusdem insulæ illic floruerat.” Robert. Antissiodorens. in chronic.

^s Euseb. chronic. et hist. ecclesiast. lib. 8. cap. 25. et de vita Constantini, lib. 1. cap. 12.

^t Oros. hist. lib. 7. cap. 25.

^u Zosim. hist. lib. 2.

^w Zosim. hist. et eum secutus Suidas in *Κωνσταντῖνος*.

^x Euseb. hist. lib. 8. cap. 13. edit. Græc. 16. Ruffin. 26. Christophors. Vid. eund. de vita Constantini, lib. 1. cap. 9, 11. et Nicephor. Callist. lib. 7. hist. cap. 19.

^y Optat. de schism. Donat. lib. 1.

^z lib. 1. hist. ecclesiast. cap. 6.

Κωνσταντίος ὁ Κωνσταντίνου πατὴρ ἀδεῶς θρησκευεῖν συνεχώρησε τοῖς Χριστιανοῖς. Cum ecclesiæ in aliis orbis partibus persecutionum fluctibus jactarentur, solus Constantius Constantini pater permisit Christianis potestatem libere suam religionem excolendi: “Ἐντεῦθεν εἰκότως, ἔτι Κωνσταντίου περιόντος, οὐκ ἔδόκει παράνομον χριστιανίζειν τοῖς Ἰταλῶν ἐπέκεινα Γαλάταις τε καὶ Βρεττανοῖς, καὶ ὅσοι περὶ τὸ Πυρρηναῖον ὄρος οἰκοῦσι, μέχρι τοῦ πρὸς ἑσπέραν ὠκεανοῦ” quamobrem hinc capere conjecturam licet, neque Gallis, neque Britannis, qui ultra fines Italiæ habitant, neque aliis qui circiter montes Pyrenæos ad oceanum occidentalem usque incolunt, contra leges visum esse, Christianam religionem, dum adhuc vita suppeditabat Constantio, profiteri.”

Addit Regno Prumiensis, “Constantiia^a temporibus pace ecclesiis reddita, episcopos privatis sedibus restitutos, et alia plura Christianæ religioni profutura” fuisse concessa. Nec tamen idcirco episcopalem sedem Eboraci^b ab illo constitutam magis crediderim, quam a Constantio rege, sive hoc, sive alio, esse “conditam Warwici ecclesiam, in honorem Johannis Baptistæ:” quod a Rosso Warwicensi^c proditum invenio. Quanquam Eboraci^d extremum spiritum duxisse Constantium non ignorem: ubi “in medio filiorum pariter et filiarum,” ut refert Eusebius^e, ipsum instar chori undique cingentium se statuens, et in ipsa regia inque regio cubili decumbens, regni hæreditate filio, qui reliquos ætate anteibat, communi lege naturæ tradita, decessit e vita.” Unde ad novum imperatorem Eumenius Rhetor^f: “Sacrum istud palatium non candidatus imperii, sed designatus intrasti: confestimque te illi paterni Lares successorem videre legitimum. Neque enim erat dubium quin ei competeret hæreditas, quem

^a Regin. chronic. lib. 1.

^b Ut supr. pag. 94.

^c Hist. reg. Angl. pag. 53.

^d Entrop. hist. lib. 10. et Hieron. in chron. Vide supr. pag. 82.

^e Euseb. de vit. Constantini, lib. 1. cap. 15.

^f Ad Constantinum Aug. Panegyric. 9.

primum imperatori filium Fata tribuissent:" qua in re non naturæ tantum legi obsecutum, sed summo etiam patrem usum fuisse iudicio, in Basilico suo Libanius observavit: "Cum enim plures liberos haberet, animadvertit eum qui diligentior regni custos foret: Καὶ τὴν ἡσυχίαν ἐκείνοις ἐπιτάξας, ὃν ἐπιτηδειώτερον ἦδει, τοῦτον ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἐκάλει, et reliquis in quiete manere jussis, quem aptiorem noverat, eum ad imperium vocavit:" quod Deum quoque ipsum suo comprobavisse iudicio, in epistola ad Saporem regem ita profitetur filius: "Τοῦτου^g τοῦ θεοῦ τὴν δύναιμιν, ἔχων σύμμαχον, ἐκ τῶν περάτων τοῦ ὠκεανοῦ ἀρξάμενος, πᾶσαν ἐφεξῆς τὴν οἰκουμένην βεβαίαις σωτηρίας ἐλπῖσι διήγειρα. Hujus dei virtutem in auxilio habens, inchoans a finibus oceani, omnem terrarum orbem firmissima spe salutis obtinui." Et plenius in edicto ad Palæstinæ provinciales: "Τὴν^h ἐμὴν ὑπηρεσίαν πρὸς τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ἐπιτηδείαν ἐζήτησέ τε καὶ ἔκριεν· ὃς ἀπὸ τῆς πρὸς Βρεττανοῖς ἐκείνης θαλάσσης ἀρξάμενος, καὶ τῶν μερῶν ἔνθα δύεσθαι τὸν ἥλιον ἀνάγκη τινὶ τέτακται, κρείττονι τινὶ δυνάμει ἀπωθούμενος καὶ διασκεδαννὸς τὰ κατέχοντα πάντα δεινὰ ἐκ ποδῶν ἐποίησατο· ἴν' ἅμα μὲν ἀνακαλοῖτο τὸ ἀνθρώπινον γένος εἰς τὴν περὶ τὸν σεμνότατον νόμον θεραπείαν, τῇ παρ' ἐμοῦ παιδευόμενον ὑπουργία· ἅμα δ' ἡ μακαριστὴ πίστις αὔξειτο ὑπὸ χειραγωγῶ τῷ κρείττονι. Cum Deus meum ministerium quale esset explorasset, idemque ad ipsius voluntatem explendam idoneum censeret; eodem utens, et a mari Britannico, illisque partibus ubi sol rato cursu confecto necessario occidit, initium faciens, eximia quadam potentia et virtute omnia mala quæ homines premebant profligavit, et a medio prorsus sustulit: adeo ut mea opera ac diligentia tum humanum genus ad cultum augustissimæ legis et disciplinæ revocatum esset, tum fides sanctissima permagna ipso Deo duce faceret progressiones:" quod egregium profecto fuisse observat Stephanus

^g Apud Euseb. de vit. Constantin. lib. 4. cap. 9. Theodorit. lib. 1. cap. 25. hist. tripartit. lib. 3. cap. 3.

^h Euseb. de vit. Constant. lib. 2. cap. 28.

Forcatulus¹ de Britannia præconium; “ex ejus velut sanctitatis venerandæ rogo fax accensa fuerit, quæ toti illuxerit imperio.”

¹ Forcatul. de Gallorum imperio et philosoph. lib. 7.

CAP. VIII.

De patria Constantini Magni, et matris ejus Helenæ, varîe et discrepantes authorum sententiæ : quam alii Britanniam, alii Galliam, alii Bithyniam, nonnulli etiam Daciam fuisse volunt : Guiljelmi Camdeni et Justi Lipsii de Britannica Constantini origine amica concertatio. De pace Ecclesiæ reddita : deque basilica S. Albani quam Verolamii, et S. Amphibali quam Wintoniæ tunc constructam aiunt. De Britannicis episcopis qui concilio Arelatensi interfuerunt ; et Britannorum cum patribus Nicænis in Pâschatis observatione et Arianae hærescos condemnatione consensu. De Britannicis episcopis qui in synodo Sardicensi et Ariminensi adfuerunt. Quamdiu ab Ariana perfidia immunis manserit Britannia, et quando ea contaminari cœpta. De Maximo in Britannia tyrannidem arripiente ; Britannica colonia in Armoriam deducta, et LXXI. fœminarum millibus quibus ea occasione insula hæc exhausta fuisse fingitur. Peregrinatio Hierosolymitana et Romana, ut ab aliis ita etiam a Britannis, frequentata. Inde Origenis prava doctrina, atque ex illa enata nova Pelagiana et Cœlestiana hæresis, in orbem diffusa. Pelagius Britannus, Cœlestius Scotus, uterque monachus fuit. Quando, et quo in loco, venenum hoc ab illis spargi cœptum est.

A CONSTANTIO dilectum filium Constantinum pietatem edoctum, et in Britannicis insulis imperii relictum fuisse successorem, in Menæis^a suis tradunt Græci. Et quidem “ in Britannia creatum esse imperatorem, et in locum patris exoptatissimum moderatorem accessisse,” scribit Eutropius^b. Cujus rei, præter alios^c, locupletissimus testis est, in oratione ad ipsum Constantinum habita, Augustodunensis Rhetor Eumenius : ista demum ad Britanniam facta apostrophe. “ O^d fortunata, et nunc omnibus beatior terris Britannia ; quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti.” Eum locum ad natale solum Constantini adstru-

^a Menæ. Mai. 21.

^b Eutrop. hist. lib. 10.

^c Aurel. Victor. in Epitome. Hieronym. in chronico. Socrat. lib. 1. histor. ecclesiast. cap. 1. Oros. lib. 7. cap. 25, et 28.

^d Panegyric. 9.

endum producant Britanni nostri, nec sine probabilitate magna: utcunque illud Cæsaris additamentum adversus eos urgeat Johannes Livineius^e, quod illum ipsum premit maxime. Etsi enim de Constantino, morientis patris sententia imperatore declarato, et a Britannico exercitu imperatoria purpura mox vestito, in præcedentibus verba fecerit orator: tamen Cæsarem factum Constantinum non primam vidisse Britanniam, sed Galliam, pluribus hic confirmat, ipsius Livineii in hac causa vel dux vel saltem *σύμμαχος*, Justus Lipsius^f. Ipsius quoque Nicephori ad hoc comprobandum adducto testimonio, qui Drepanicæ Constantini originis ab utroque prolatus est assertor unicus.

Neque Nicephorus solus^g Constantinum, relicto in Asia Galerio, ad patrem in Gallias concessisse scribit: sed etiam author eo longe antiquior, ab Henrico Valesio simul cum Ammiano Marcellino editus, id ipsum hisce verbis significat: “Tunc eum Galerius patri remisit. Qui ut Severum per Italiam transiens vitaret, summa festinatione veredis post se truncatis Alpes transgressus, ad patrem Constantium venit apud Bononiam, quam Galli prius Gesoriacum vocabant.” Et ut a patre Cæsarem illum declaratum fuisse docet actorum^h Metrophanis et Alexandri scriptor vetus: ita factum id, priusquam in Britanniam ad morientem patrem ille accessisset, ipsa temporum ratio suadere videatur. Nam eodem tempore Constantinum Cæsarem effectum, quo Severus et Maximinus, prodit Aurelius Victorⁱ. Hos vero a Galerio Maxlmiano Augusto, anno qui Constantii mortem antecessit, creatos esse Cæsares, in Eusebii chronico est annotatum. Neque si a posteriore aliquo anno regni Constantini epocham deducat idem Eusebius; quod alibi, “paucis^k et mensibus et diebus demptis annos duos et triginta” implevisse illum dicit, haud scio quomodo cum historiæ veritate conciliari

^e Notasis mihi additamentum CÆSAREM. Livinci. not. in Panegyric. 5.

^f Lips. not. in Admirand. lib. 4. cap. 11.

^g Niceph. hist. ecclesiast. lib. 7. cap. 19.

^h Bibliothec. Photii cod. 256.

ⁱ De Casaribus. cap. 40.

^k Δὸν πρὸς τοῖς τριάκοντα τῆς βασιλείας ἐνιαυτοῖς, μῆσί τε καὶ ἡμέραις βραχείαις εἶουσιν, ἐπλήρον. Euseb. de vita Constantini, lib. 4. cap. 53

possit: quandoquidem a XXV. die Julii mensis quo in sexto et postremo consulatu suo mortem obiit Constantius, usque ad XXII. diem Maii in Feliciani et Titiani consulatum incurrentem, quo Constantinum filium interiisse constat, non plures quam triginta annos, menses novem, et dies viginti et octo, fasti Romani nobis hic exhibeant. Quibus addit et Lipsius alterius panegyrici scriptoris sermonem illum, in nuptiis Constantini habitum. "Cum tibi pater imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus, expectare maluisti ut idem te qui illum declararet Augustum." Cæsaris nimirum appellatione illa, quam jam ante habebas: ut haud inscite interpretatur ille: Ille, inquam, Lipsius eodem ipso in loco, quo adversus Britannicam Constantini originem ex professo disputat, et præcedentia ejusdem panegyristæ verba (quæ de ea, non nostri solum, sed etiam beatus Rhenanus et Cæsar Baronius, sunt interpretati) de imperii ortu accipienda contendit. "Liberavit^m ille (pater videlicet Constantius) Britannias servitute; tu etiam nobiles illic oriendo fecisti."

In Britannia autem natum fuisse Constantinum, ex patriis quoque traditionibus docuit Guilielmus Malmesburiensisⁿ: et ante illum, scriptor Anglo-Saxonicus vitæ Helenæ; quam fœminam primariam Britannia extitisse, in chronico quod Flavio Lucio Dextro attribuitur, filiam regis Britannia fuisse, in Martini Poloni chronico legimus: de qua etiam Henricus Huntingdoniensis^o: "Helena Britannia nobilis alumna Londoniam muro, quod adhuc superest, ciuxisse fertur; et Colcestriam mœnibus adornasse:" et de filio ejus; "Constantinus flos Britannia, regnavit triginta annis et decem mensibus. Hic igitur Britannicus genere et patria; ante quem nec post similis est egressus de Britannia:" ad quem et illa Johannis Sarisburiensis spectant in Polycratici sui prologo: "Arcus triumphales

¹ Panegyric. 5. ad Maximian. et Constantin.

^m Ibid.

ⁿ Malmesbur. lib. 4. de regib. Anglor.

^o Huntingdon. hist. lib. 15.

tunc proficiunt illustribus viris ad gloriam, cum ex quibus causis, et quorum sint, impressa docet inscriptio; liberatorem patriæ, fundatorem quietis, tunc demum inspector agnoscit; cum titulus triumphatorem, quem nostra Britannia genuit, indicat Constantinum;" et Josephi Exoniensis, in Antiocheide sua Britannia laudes ita decantantis:

——— Inclyta fulsit
 Posteritas ducibus tantis, tot dives alumnis,
 Tot sæcunda viris: premerent qui viribus orbem,
 Et fama veteres. Hinc Constantinus, adeptus
 Imperium, Romam tenuit, Byzantion auxit.

Et Johannis de Garlandia, libro quarto de triumphis Ecclesiæ:

Romanus domitor Constantius orbis Hiberi,
 Suscepit Britonum tradita regna sibi.
 Regna Coel, natamque suam concesserat illi
 Quæ claro cleri dogmate clara fuit.
 Hæc Constantinum peperit: pater hinc Eboraci
 Decessit, nato dans ea regna suo.
 Vi capiens Romam, factus fuit ille monarcha
 Mundi, quo Christi crevit in orbe fides.

Is enim "Britannica" matre genitus, in Britannia natus, in Britannia imperator creatus, haud dubie magnitudinis suæ gloriæ natale solum particeps effecit:" inquit homo Italus, inclinatione animi in nominis Britannici gloriam non admodum propendens, Polydorus Vergilius.

Natum Eboraci fuisse affirmant regis Angliæ oratores, qui in concilio Constantiensi cum Gallicani, et Basilenci cum Castellani regis legatis de *πρωτεύουσ* concertarunt: e quibus priores illi Constantienses: "Domus regalis Angliæ, inter plures sanctos palmites quos produxit, qui de facile numerari non poterunt, sanctam Helenam cum suo filio Constantino Magno imperatore, nato in urbe regia Eboracensi, educere comperta est." Basilencenses alteri, Constantinum illum magnum, "qui primus imperator Christianus," ut illi inquit, "licentiam dedit per uni-

versum orbem ecclesias constituere; immensa ad hoc conferens bona, *Perternnæ natum in Eboracensi civitate,*" adjiciunt: eo, ut videtur, nomine collegium vicariorum choro inservientium, *Bederne hodie dictum, intelligentes:* quod, uti etiam ecclesia Christi nomine insignita, quæ ecclesia *S. Trinitatis in curia regis in antiquioribus chartis nuncupatur, pars olim palatii^q imperatoris fuisse existimatur.* Hic etiam in *Helenæ memoriam ædes sacra est posita: sicut et Londini altera, ubi Constantinum quoque editum, in urbis illius descriptione, affirmat Guilielmus Stephanides: fortasse quod Londinum ille, "rogatu Helenæ matris, primum mœnibus e lapide structili et latere Britannico obseperit;" quemadmodum ex patriis historiis retulit Guilielmus Camdenus^r, et ipse Londinensis.* Ab ipsa *Helena hoc factum tradunt Henricus Huntingdoniensis et Simeon Dunelmensis: quod et Helenæ^s nummi sub mœnibus sæpe reperti videntur confirmare: Colcestrenses tamen, uti idem alibi monuit Camdenus Helenam "suam^t alumnâ fuisse asserunt, ex Coelo rege natam: et in memoriam crucis ab illa repertæ, crucem nodosam inter quatuor coronas interpositam publico in digmate gerunt:" quo facit et illud Alexandri Nechami, ab eodem productum, tetrastichon:*

Effulsit sidus vitæ, Colcestria lumen
Septem climatibus lux radiosa dedit.
Sidus erat Constantius, deus imperiale:
Serviit huic flexo poplite Roma potens.

Et Henrici Huntingdoniensis testimonium: qui Helenam, et fuisse "*filiam regis Britannici de Colecestre, cui nomen erat Coel; et Colecestriam mœnibus adornasse,*" asserit: quam urbem ab ipso quoque rege *Coelo, patre Helenæ, fuisse ædificatam, narrat Radulphus Niger^u, Johannes Nauclerus^v, et Johannes Bouchetus^w: Coel vero*

^q Vid. supr. pag. 123. et 209. ex Eumenio.

^r Camden. in Middlesex, pag. 301.

^s Id. ibid. in margine.

^t Id. in Essex, pag. 325.

^u Radulphi chronic. MS.

^v Naucler. chronograph. volum. 2. generat. 6.

^w Bouchet. annal. Aquitan. part. 1. cap. 5. ubi Cloel per ephenesin pro Coel, et Clocestre per metathesin ponitur pro Colecestre.

regem Britonum, patrem Helenæ, Glastoniæ sepultum fuisse, in Glastoniensium reliquiarum indiculo, Henrici III. Anglorum regis temporibus confecto, invenimus.

In Britannica historia, quæ, paulo post editam Guilielmi Malmesburiensis historiam, Galfridi Monemuthensis opera in publicam lucem est producta, Coelum^x Colcestriæ ducem fuisse legimus. Eum, imperante Diocletiano, Asclepiodotum prælio conserto peremisse, Britannia regnum occupavisse, illudque unicæ quam habebat filia Helenæ hæreditario jure possidendum reliquisse. Illa igitur in uxorem ducta, Constantium regni Britannici diademate sese insignivisse; et suscepto ex ea filio Constantino, “cum undecim anni præteriissent, apud Eboracum morti subjacuisse, regnumque filio donavisse.” Quæ quidem temporibus admodum perverse esse distincta, nemo non videt. Quis enim tam rudis est, ut undecim tantum annorum Constantinum fuisse existimet, quum defuncto patri in regno successit? Nam non ante Diocletiani modo sed Taciti quoque imperium fuisse illum natum, ideoque tricesimum saltem ætatis annum, quum pater moreretur, numeravisse; integer annorum vitæ numerus evincit, a temporum illorum scriptoribus consignatus: quorum convenienter rationibus congruenterque, Camdenus^y, una cum Baronio^z, Britannicam historiam eatenus emendat; ut Constantium Chlorum Aureliano imperante Helenam in uxorem duxisse dicat, et ex ea Constantinum illum Maximum in Britannia genuisse. Ut nullo modo Jacobus Philippus Bergomensis^a audiendus sit, qui Constantium repudiata Theodora Helenam, Anglorum regis filiam captivam, uxorem duxisse fabulatur: cum ex Romanorum annalibus certo constet, Helenam illum coactum repudiasse, ut The-

^x Galfrid. lib. 5. cap. 6. et 11. Roger. Wendover. ad annum gratiæ 303. et Math. Florileg. ad annum 302. Jo. Capgrav. in legenda Helenæ. Pontic. Virunn. histor. Britannic. lib. 5. &c.

^y Camden. Britann. pag. 51.

^z Baron. annal. tom. 3. ad ann. 306. sec. 16.

^a Bergom. supplement. chronic. lib. 8. Et Hertmann. schedel. in sexta ætate mundi.

odoram Maximiani Augusti privignam conjugem acciperet.

Ex Theodora Constantium sex liberos Constantini fratres habuisse, author est Eutropius^b, cumque secuti, Hieronymus^c, Orosius^d, et Jornandes^e: quot etiam, et eosdem quoque, ni fallor, ex Helena illum genuisse vult Capgravius^f. Bouchetus^g, ex hymno de Lucionensis ecclesiæ foundatione composito (cujus initium; Gaude Lucionum) duos, præter Constantinum, filios Helenam Constantio peperisse narrat; eorum alterum Lucium, seniore fratre interfecto, patria expulsum et ad monasticam vitam damnatum esse: indeque a patre navigio cum multis presbyteris et viris religiosis impositum, ducentibus ventis, ad locum inter Pictavienses Aquitanico oceano vicinum appulisse, atque ibi abbatiam et ecclesiam B. Mariæ dicatam extruxisse, et a nomine suo Lucionum appellasse. Ea vero ecclesia a Johanne papa XXII. ex abbatiali postea facta est episcopalis: cui nuper præfuit Armandus Johannes Plessæus, cardinalis de Richelieu; qui hodie universi regni Gallicani habenas moderatur.

Constantinus Porphyrogenitus, in libro de administrandó imperio, capite decimo tertio, interdictum Constantini Magni in sacra mensa ecclesiæ S. Sophiæ perscriptum fuisse simulat, ne unquam imperator Romanus affinitatem contraheret cum gente quæ peregrinis et a Romano statu diversis moribus uteretur: exceptis duntaxat Francis: “*Τούτους γὰρ μόνους (inquit) ὑπεξείλετο ὁ μέγας ἐκείνος ἀνὴρ Κωνσταντῖνος ἄγιος, ὅτι καὶ αὐτὸς τὴν γένεσιν ἀπὸ τῶν τοιούτων ἔσχε μερῶν.*” Hos enim solos exceptit magnus ille vir sanctus Constantinus: quod ex illis partibus ipse esset oriundus.” Notum vero est, Francorum nomine a posterioribus Græcis, uti etiam ab hodiernis Turcis^h, occidentales omnes Europæos nostros generatim atque universe comprehendí. Ut nihil sit necesse, voluisse Porphyrogenitum, quod eru-

^b Eutrop. hist. Rom. lib. 9.

^c Hieronym. in chronic.

^d P. Oros. lib. 7. cap. 25.

^e Jornand. de regnor. succession.

^f Capgrav. in legenda Helenæ.

^g Jo. Bouch. annal. Aquitan. part. 1. cap. 5.

^h Vid. Isaac. Pontan. Origin. Francic. lib. 5. cap. 7. pag. 386.

ditus illius interpres Johannes Meursius existimavit, “ In Gallis natum esse Constantinum Magnum;” et ab iis qui in Britannia ortum censuerunt dissensisse. Magni tamen Constantini matrem “ Helenam, quidam ex patria Treverorum oriundam asserunt; alius de regno Persarum, ubi Constantius ad tributa colligenda transmissus, eam legitur contigisse,” inquit in chronico suo Gottefridus Viterbiensis^l presbyter: qui etiam de Constantio postea subjicit: “ Filiam^k regis Britanniae nomine Helenam, defuncto prius patre ejus nomine Joliel^l, accepit uxorem, de qua genuit Constantinum. Quamvis alii asserant ipsum Constantinum fuisse spurium filium Helenae puellae tabernariae, in finibus Persarum genitum, dum pater ejus Constantius pro colligendis tributis publicis legatione in Perside fungeretur.”

De Treverica vero Helenae origine ne quis scrupulus deinceps animo cujusquam insideret, Treverenses caverunt monachi; præclaro hoc Sylvestri I. Romani pontificis nomine in vulgus edito diplomate: “ Sicut^m in gentilitate propria virtute sortire et nunc Trebir primas super Gallos et Germanos prioratum: quem tibi præ omnibus harum gentium episcopis in primitivis Christianae religionis doctoribus, scilicet per Eucharium, Valerium, et Maternum, ac per baculum caput ecclesiae Petrus signavit habendum; suam quodammodo minuens dignitatem, ut te participem faceret. Quem ego Sylvester, ejus servus successioneque indignus, per patriarcham Antiochenum Agricium renovans confirmo, ad honorem patriae dominæ Helenae Augustae, metropolis ejusdem indigenae: quam ipsa felix per apostolum Matthiam Judæa translatum, cum tunica et clavo Domini, et dente sancti Petri et capite Cornelii papæ, cæterisque reliquiis ditavit specialiterque provexit. Hujus privilegii conscii nocivi æmuli communione dirimantur, quoniam anathemate maculantur.” Et ne carmina hic deessent, hisce quoque versiculis eun-

^l Gotfrid, chronic. part. 15. sec. ult.

^k Ibid. part. 20.

^l leg. Coel.

^m Guilielmi Kyriandri commentar. de August. Treveror. part. 3. pag. 15, 16.

dem primatus dignitatem Trevericæ ecclesiæ conferentem induxerunt^a :

Accipe primatum post Alpes, Trevir, ubique :
Quem tibi Roma nova lege dat et veteri.

Ita, Otto Frisingensis^o : “ Hanc Helenam ex pago Treverorum oriundam dicunt : unde eandem ecclesiam plurimum eam decorasse tradunt.” Et Ranulphus Cestrensis^p : “ Hanc Helenam dicit Ambrosius fuisse stabulariam apud urbem Treverensem in Gallia ; et ob insignem pulchritudinem a Constantio Cæsare ductam.” Et fuisse quidem illam stabulariam, non ipse dicit Ambrosius, sed ab aliis dici affirmat, et de dicti illius sensu varii sentiunt varie. Richardus Vitus Basingstochius “ Helenæ^q patrem Cæsari fuisse comitem stabuli ait, idque officium in imperatoris aula præstantissimum” fuisse : cujusmodi est “ Angliæ aut Franciæ conestabularii, qui vulgo dicitur : quod ignorantem quidam, ausi sint ex contemptu dicere, illam esse filiam stabularii.” Petrus Equilinus^r, in scio patre Cloele rege Britanniae, Romæ peregrinatam esse, et post conceptum ibi ex Constantio Constantinum ; “ habitu indutam vilissimo in villam secessisse, atque in domo quadam quæ olim stabulum fuerat equorum” habitavisse, indeque stabulariam dictam fuisse fingit. Guilielmus Camdenus^s, a Judæis et Gentilibus stabulariam ignominiose appellatam fuisse ait ; quia “ præsepe in quo Christus natus quæsit, et ubi stabulum fuit, ecclesiam fundavit :” quod etiam ante eum, in legenda Helenæ, tradidit Johannes Capgravius : “ Judæos ipsam inter se ex invidia stabulariam vocavisse ; eo quod supra stabulum et tam vilem locum, eis admodum exosum, tam nobilem ecclesiam ædificavisset.” Cæsar Baronius^t, contemptus gratia, stabulariam noninatanam putat, “ quod hospitis, apud quem divertit Constantius in Britannia,

^a Christ. Brower. not. ad Venant. Fortunat. lib. 3. epigram. 11.

^o Ott. Frising. chronic. lib. 3. cap. 45.

^p Ranulph, polychronic. lib. 4. cap. 26.

^q Vit. ad lib. 5. antiquitat. Britannic. not. 26.

^r Petr. de Natal. lib. 7. cap. 73.

^s Camden. Britan. pag. 52.

^t Baron. ann. 306. sec. 20, 21.

filia fuisset;” licet talis hospitis, “ qui ducem totius exercitus domi exciperet.” Et notæ sunt quæ, ex odio ac livore in Constantinum, adversus matrem ab ethnicis confictæ sunt calumniæ: ut quod impius illius nepos, apostata Julianus, Ἐξ Ἑλένης φαύλης τίνος γυναικὸς καὶ ἀσήμεου, natum illum dicat; et Zosimus^w Ἐξ ἀσέμνου μητρὸς, atque ἐξ ὀμιλιᾶς γυναικὸς οὐ σεμνῆς οὐδὲ κατὰ νόμον συνελθοῦσης Κωνσταντίῳ τῷ βασιλεῖ γεγεννημένον.

Ex hujusmodi hominum rumusculis disseminatum dispersumque de Helena stabularia sermonem, ad summam illius laudem pio hoc sensu convertit S. Ambrosius: “Stabulariam^x hanc primo fuisse asserunt, sic cognitam Constantio seniori, qui postea regnum adeptus est. Bona stabularia, quæ tam diligenter præsepe Domini requisivit. Bona stabularia, quæ stabularium non ignoravit illum qui vulnera curavit a latronibus vulnerati. Bona stabularia, quæ maluit existimari stercora^y, ut Christum lucrificeret.” De urbe vero Treverensi nullum hic extat verbum. Primusque, quantum ego investigando comperire potui, abbas Berengosius “B. Helenam^z Trevirorum quondam indigenam civitatis” fuisse affirmavit: ibidemque^a Constantium Cæsarem eam sibi sociavisse in connubium, et ex ea Constantinum Magnum generavisse: de ejusdem Helenæ antiqua nobilitate ista etiam adjiciens: “Licet^b in historiis parentum illius generosa sileatur nobilitas; nobilitatem tamen ejus apud Treviros ædificiorum suorum adhuc antiqua testatur gentilitas: ubi pavementum domus illius variis marmoribus et Pario quondam lapide stratum, bene declarat, quantum ibi præ aliis videretur habere primatum. Præterea vero ipsæ planities parietum fulvo auro velut hyacinthino textu depictæ bene testabantur insignia nobilitatis ejus invictæ: insuper etiam prædiorum ejus copiæ ecclesiis Dei olim undique collatæ bene decla-

^w Act. Artemii, apud metaphrastam, Octob. 20.

^x Zosim. hist. lib. 2.

^x Ambros. orat. de obitu Theodosii.

^y Philip. cap. 3. ver. 8.

^z Berengos. de inventione Crucis, lib. 2. cap. 1.

^a Id. lib. 3. cap. 1.

^b Id. ibid. cap. 2.

rant, quam nobilissima generis polleret antiquitate." Sed neque palatium Trevericum ibi fuisse procreatum, neque illius munificentia et tot ecclesiis collata donaria veteri dignitate fortunaque natam eam fuisse arguit. Neque enim privatam habuisse illam ista apparet, et a majoribus accepta : sed quando " Augusta^c cum filio conregnabat ;" et " prompto^d filii imperatoris adsensu (ut loquitur Paulinus) mater Augusta, patefactis ad opera sancta thesauris, toto abusa^e fisco est." Cum enim Treveris Cisalpinarum^f urbium maxima, imperatorem^g in illis partibus clarum esse, domicilium : nihil mirandum est, eo in loco matrem imperatricem aedes incoluisse splendidissimas ; undecumque demum ortus illa traxerit originem.

Quod de Persarum^h regno Gottefridus attexuit, a Nicephoro Callisti lucem aliquam accipit: qui Constantiumⁱ, legatum ad Persas a Diocletiano missum, Drepanum divertisse, et ex Helena hospitis sui filia Constantinum genuisse narrat : ubi Bithynicam tamen Helenæ, potius quam Persicam, tribuit ille originem. Verum hanc Nicephori fabellam, ex temporis ratione, satis refutavit Baronius^k : vulgataque illa de Bithynica Helenæ patria opinio, partim ex apocryphis Sylvestri actis, partim ex Helenopoleos nomine Drepano postea imposito, primam duxisse videtur originem. Cum enim a Silvestro baptizaretur Constantinus (quod nunquam factum) matrem in Bithynia versa-

^c Sulpit. Sever. sacr. hist. lib. 2.

^d Paulin. epist. 11. ad Sever. Vid. Euseb. de vita Constantini, lib. 3. cap. 46.

^e Id est, usa, quomodo accipiendus est et Hieronymus in quæstionib. in Genesim ; ubi apostolos ait " iis plurimumque testimoniis abuti, quæ jam fuerant in gentibus divulgata : " et ipse Tullius, lib. 2. de Natur. Decor. ubi nos scribit " sagacitate eanum ad utilitatem nostram abuti."

^f " Ἔστι δὲ αὕτη πόλις μεγίστη τῶν ὑπὲρ τὰς Ἀλλεῖς ἰθυῶν. Zosim. hist. lib. 3.

^g Ammian. Marcellin. hist. lib. 15. Gelas. P. epist. 13. ad episcopos Dardaniæ. Vid. Aub. Miræi fastos Belgic. et Burgundic. Septembr. 14. pag. 535, 536.

^h Næsson, episcopalis urbs, in finibus Persarum habetur apud Sim. Metaphras-tam in vita S. Acepstinæ. Et Næssus in Dardania ab aliis statuitur patria Constantini. Videndum, an non ex homonymia hac natus fuerit error ille.

ⁱ Nicephor. histor. ecclesiast. lib. 7. cap. 18. et lib. 8. cap. 2.

^k Baron. annal. tom. 3. ad ann. 306. sec. 14.

tam, unde orta erat, in Actis Sylvestri apud Simeonem^l metaphrastam legimus. Ex alia tamen Sylvestri legenda, apud Britannias eam tunc constitisse, refert Ranulphus Cestrensis^m: Mariano Scoto quoque astipulante; ejus in chronico hæc sunt verba: “Constantino a papa Sylvestro baptizato, scripsit de Britannia sibi sua mater Helena, ut negantes Christum Judæos sequeretur,” quæ, in favorem Helenæ, editum Florentii Wigorniensis chronicon ita immutavit: “Constantino a papa Silvestro baptizato, scripsit ei sua mater Helena de Britannia, ut negantes Christum Judæos persequeretur.”

De Helenopoli sic scribit, in libro quinto de ædificiis Justiniani, Procopius Cæsariensis: “Ἔστι τις ἐν Βιθυνοῖς πόλις, Ἐλένης ἐπώνυμος οὕσα τῆς Κωνσταντίνου βασιλέως μητέρα. Ἐκ ταύτης γὰρ τὴν Ἐλένην ὠρμηῆσθαι φασὶ, κώμης οὐκ ἀξιολόγου τὰ πρότερα οὕσης ἤπερ τὰ τροφεῖα Κωνσταντίνος ἐκτείνων, ὀνόματι μὲν καὶ ἀξιώματι πόλεως τὸ χωρίον δεδωρηται τοῦτο· οὐ μὲν τοι οὐδὲν οὐδὲ βασιλικὸν οὐδὲ μεγαλοπρεπὲς τῆδε πεποιήται. Est apud Bithynos urbs quædam, Helenæ Constantini regis matri cognominis: nam ex hac Helenam oriundam aiunt, vico olim ignobili, cui Constantinus nutritionis officium exolvens, hunc locum nomine quidem et dignitate urbis decoravit; nihil tamen regium, nihil magnificum in ea extruxit.” Ex hoc Constantini facto falsam illam plerorumque, quos voce φασὶ innuit Procopius, de ipsius et matris Helenæ patria conceptam esse sententiam, non mala suspicatus est conjectura Stephanus Forcatulusⁿ.

Atqui non hanc solum Bithyniæ, sed aliam quoque in Palæstina Helenopolim, ubi nemo natam Helenam somniavit, in matris honorem a Constantino denominatam testatur Sozomenus^o; et præter ortus rationem, alia redditur causa, ob quam matris in Drepano decorando meminisse potuerit Constantinus: si quidem illud verum sit,

^l Januar. 2. tom. 5. Lipomani, fol. 357.

^m Ranulph. Polychronic. lib. 4. cap. 26.

ⁿ Forcatul. de Gallorum imper. et philosoph. lib. 7.

^o Sozomen. lib. 2. histor. eccl. cap. 1.

quod in actis Luciani martyris legitur : “ Veneranda^q Helena, quando revertebatur Hierosolymis, locum honorans; et in eo condidit civitatem, convocatis habitatoribus ex iis quæ circumcirca erant regionibus, et effectis operis participibus, et validis eam cinxit mœnibus, et martyri templum ædificavit maximum; quod nunc quoque insigne et pulchre exstructum cernitur ab iis qui et terra et mari ingrediuntur ac navigant.” Unde et ipse Nicephorus^r, Helenam hac urbe delectatam fuisse narrat; non tam “ quod ibi orta esset” (quod hic in Latino legimus interprete, non in textu Græco) quam “ quod Lucianum post martyrimum obitum eo a delphine deportari contigerit,” Luciani certe martyris, magis quam suæ vel maternæ patriæ, memoriam spectavisse Constantinum, matris nomine urbem hanc insignientem, fidem mihi quidem facit B. Hieronymus; qui in chronico suo, omni patriæ mentione penitus omissa, rem simpliciter ita enarravit: “ Drepanam Bithyniæ civitatem in honorem martyris Luciani ibi conditi Constantinus instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupavit.” Ut et Constantinopolitanus chronographus, Alexandrini nomine a Radero editus: “ Δρέπανον ἐπικτίσας ὁ βασιλεὺς Κωνσταντῖνος ἐν Βιθυνίᾳ εἰς τιμὴν τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λουκιανοῦ, ὁμώνυμον τῇ μητρὶ αὐτοῦ Ἐλενούπολιν κέκληκε, δωρησάμενος ἄχρι τοῦ νῦν ἕως φανεῶς περιοχῆς πρὸ τῆς πόλεως, εἰς τιμὴν τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λουκιανοῦ, ἀτέλειαν. Constantinus in honorem sancti Luciani martyris instaurata Drepani urbe in Bithynia, illam a matre sua Helenopolim nuncupavit; donata civitati, in martyris honorem, quousque patet ante urbem prospectus, immunitate vectigalium ad hodiernum usque diem:” et, ex Theophane, Cedrenus: “ Δρεπανᾶν τὸν ἐν Νικομηδείᾳ ἐπικτίσας, εἰς τὴν μητέρα ἐκάλεσεν μαρτυρήσαντος, Ἐλενόπολιν διὰ τὴν μητέρα ἐκάλεσεν Drepanam apud Nicomediam in honorem Luciani, qui ibi martyrimum subierat, condidit; et a matre Helenopolim appellavit.”

^q Metaphrast. Octob. 15. Sur. Januar. 7.

^r Nicephor. hist. eccles. lib. 8. cap. 31.

Sed de Bithynica Constantini patria novam hic litem movet Lipsius³, ex depravato Julii Firmici testimonio: apud quem "Constantinus Maximus⁴, Divi Constantini filius, apud Tharsum genitus, a primo ætatis gradu imperii gubernacula retinuisse," vulgo legitur. Hic enim Constantinum Magnum Divi, non Constantini, sed Constantii filium ille intelligit, genitum ad sinum et curvaturam maris (cujusmodi loca communi nomine Drepana Græci, quasi Falces, a similitudine, vocaverint) juxta Nicomediam Bithyniæ, ubi Tarsum hanc a Stephano⁵ de urbibus, Niceta⁶, et Porphyrogenneta⁷, poni notat. Verum codices manuscripti pro Tharso habent hic Naisum⁸; ut si locus hic de Constantino Magno fuerit accipiendus; non Lipsio, sed (cui ille aurem hic non præbet) Georgio Cedreno sit auscultandum potius, qui in urbe Daciæ genitum illum fuisse asserit: de quo et Cuspinianus, in Cæsariibus: "Constantinus natus est in Britannii: licet alii apud Dacos natum scribant; quod verisimilius est:" eo videlicet, quod et patri Constantio Illyricum patriam fuisse Aurelius Victor, et avum Eutropium nobilissimum gentis Dardaniæ virum extitisse, testetur Trebellius Pollio in Claudio. Ut enim Naisus, sive Nesus, urbs⁹ est Dardaniæ¹⁰; ita Da-

³ Lips. Admirand. de Magnitud. Rom. lib. 4. cap. 11. edit. Antwerp. ann. 1598.

⁴ Jul. Firmic. Matheseos, lib. 1. cap. 4.

⁵ Δρεπάνη Βιθυνίας, πρὸς τῷ Ἀστακηνῶ κόλπῳ. Τάρσος τῆς Βιθυνίας.

⁶ In imperio Alexii Comneni, Manuelis filii sec. 9. Ἐπεὶ δὲ τῷ Ταρσίᾳ ὁ Ἀνδρόνικος ἤγγιζε, καὶ τῶν περὶ τὴν Νικομήδους πόλιν οἱ πλείονες αὐτῷ προσεχώρουν.

⁷ Lib. 1. Them. 5. in eas gentes: Βιθυνοὶ, Θυνοὶ, Ταρσιάται. Urbes 1. Nicomedia metropolis. 2. Helenopolis. 3. Prænetus. 4. Astacus. 5. Parthenopolis. In libro notitiarum Orientalis imperii (F. 1.) mari Isauriæ adscriptum habetur: Tharsus mare. Vid. Ortelii. Thesaur. in Tarsia.

⁸ Ita in veteri codice haberi notavit etiam Nicolaus Rigaltius, apud Petavium in not. ad Orat. 13. Themistii pag. 661. Ptolemæus, lib. 2. cap. 16. in Pannonia inferiore Tarsium collocat. ibid. pag. 727.

⁹ Ptol. Geograph. lib. 3. cap. 9. Ibid. cap. 4. urbs Naissatensis, in Illyrico, Ptolemæo dicitur Νέσος, vel potius Ναῖσος, ut apud eum legit Joh. Tzetztes in varia sua historia; Curopalatæ Nisus; Ammiano Marcellino, lib. 21. et 26. Nesus; Antonino in itinerario, pag. 30. edit. Colon. ann. 1600. et auctori itinerarii Hierosolymitani, ibid. pag. 145. Naissum.

¹⁰ Quæ et Mysia Mediterranea; in codice lib. 11. tit. 6. de Metallariis. lib. 4.

ciæ^b pars est Dardania, et Illyrici Dacia. Mutilum vero Cedreni locum ita supplendum esse, ut *περὶ τὴν [Ναισὸν] τῆς Δακίας πόλιν* in eo legi debeat, ex Constantino Porphyrogenito demum deprehendi: apud quem^c, in præfectura Daciæ mediterraneæ “*Ναισὸς, ἡ πατρις τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου*, Naisus vel Næsus, patria magni Constantini,” expresse collocatur. Quod enim idem, in^d libro de administrando imperio, ex Francorum partibus oriundum illum retulit, fecte et simulate ab eo factum quæ præcesserunt satis indicant; in quibus Romanum filium edocet, quo prætextu uti illum oporteret, si Turcæ aut Russi, aut aliæ quæpiam gentes Boreales ac Seythiæ cum imperatore affinitatem contrahere desiderarent. Naisi vero natum fuisse Constantinum, tradidit etiam author illo longe antiquior, Stephanus vel saltem, qui illius quam habemus epitomen ad Justinianum imperatorem edidit, Hermolaus Constantinopolitanus grammaticus; licet is Thraciæ urbem illam faciat; *Ναισὸς*, inquit, “*πόλις Θράκης, κτίσμα καὶ πατρις Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως*. Naissus, urbs Thraciæ, structura et patria Constantini imperatoris.” Similiter et Hermolao æqualis historicus, cum Ammiano Marcellino ab Henrico Valesio viro eruditissimo nuper editus, “Constantinum natum in oppido Naiso, illudque eum oppidum postea magnifice ornasse” scribit. Ubi et illud obiter notandum, Stephani ætate Thraciæ membrum habitam fuisse Dardaniam; quæ Ptolemæo^e Mysiæ superioris pars fuit. Nam et Naissum et vicinam Scoporum^f sive Scuporum urbem in Thracia Stephanus constituit, quas in Dardania^g Ptolemæus, in Bulgaria Ce-

cum procuratores. Ptol. lib. 3. cap. 9. Dardaniam Mysiæ superioris partem facit.

^b Notitia Orientalis imperii. Sext. Rufus in breviario. Jornandes de regnor. successionib. unde Nicolao Damasceno, apud Slobæum. *Δαρδανεῖς Ἰλλυρικὸν ἔθνος*, et Æliano, lib. 4. var. hist. cap. 1. *Δαρδανεῖς οἱ ὑπὸ* vel *ἐπὶ τῆς Ἰλλυριδος*.

^c Constantin. Themat. 9. lib. 2. (pag. 98.)

^d Supra. pag. 225.

^e Ptolem. Geograph. lib. 3. cap. 9. Vid. et Cod. Justinian. lib. 11. tit. 6. de Metallariis. leg. 4. cum procuratores.

^f *Σκόποι, πόλις Θράκης*, Stephan.

^g Dardaniæ Scupum Metropolim facit Marcellinus Comes in chronico, ad ann. Dom. 518.

drenus^b collocat. Et Mysiamⁱ vero et Bulgariam^k Thraciæ aliquando partem fuisse, etiam Constantinus Porphyrogenitus annotavit.

At eadem libertate critica, qua Constantinum Divi Constantii filium in Julio Firmico legit Lipsius, Constantium Divi Constantini filium legendum contendit Camdenus noster; eumque Naisi natum fuisse confirmat. Licet enim in Zosimi^l historia, tres eodem tempore Cæsares a Constantino creatos fuisse legamus; Crispum e Minervina concubina natum, “ ἤδη νεανίαν ὄντα, qui jam adoleverat, καὶ Κωνσταντίου, οὐ πρὸ πολλῶν ἡμερῶν ἐν Ἀρελάτῳ τῇ πόλει τεχθέντα, et Constantium, in Arelatensi oppido ante non multos dies in lucem editum” et Licinianum Licinii filium, qui jam ætatis mensem vicesimum ingressus erat: tamen Constantinum, qui post Crispum Constantini Magni filiorum natu erat maximus, reponendum hic esse pro Constantio (uti in notis recte monuit Fridericus Sylburgius) ex chronicis Eusebii, Aurelii Victoris, Idatii, et Orosii, manifestum est: e quibus Victor, eodem quo Zosimus modo; “ Filium suum,” inquit, “ Crispum nomine, ex Minervina concubina susceptum, item Constantinum iisdem diebus natum oppido Arelatensi, Licinianumque Licinii filium, mensium fere viginti, Cæsares effecit.” Et Eusebius^m: “ Primus, qui patris erat cognominis, decimo paterni imperii anno honorem hunc adeptus est. Secundus, avi nomine appellatus Constantius, anno fere vicesimo:” quem quidem non in Gallia sed Illyrico natum fuisse, extra controversiam ponit ejusdem in imperio successor Julianus, his ipsis ad eum ipsum usus verbis: “ Ἰλλύριοι”, ὅτι παρ’ αὐτοῖς γέγονας, οὐκ ἀνέξονται τοῦ καλλίστου τῶν εὐτυχημάτων στερούμενοι, εἰ τις ἄλλην σοι πατρίδα προσνέμοι. Illyrici, quod in eorum

^b Georg. Cedren. histor. compend. pag. 615.

ⁱ Constantin. Themat. 3. lib. 1. pag. 19.

^k Id. Themat. 1. lib. 2. pag. 80.

^l Zosim. hist. lib. 2. pag. 679. edit. Græcolat.

^m De vita Constantini, lib. 4. cap. 40.

ⁿ Julian. orat. 1. in laudem Constantii. Constantinopolim tamen patriam illum urbem appellat Jo. Zonaras, annal. tom. 3. de reliquiarum Andreæ et Lucæ translatione sub eo facto verba faciens. Verum eo nomine intelligit ille τοῦ πατρὸς αὐτοῦ πόλιν, ut de eadem re scribens habet Metaphrastes, sub finem vitæ S. Lucæ. pag. 88.

solo natus sis, tam felici forte ac conditione privatos se esse non patientur, si quis aliam tibi patriam attribuerit." Esse autem Illyrici civitatem Naisum (præter orientalis imperii notitiam, quæ urbem Naissatensem statuit in Illyrico) testem datus Marcellinum comitem Illyricianum; qui in chronico^o, Gaianum Naisatanum inter Catholicos Illyrici numerat sacerdotes; atque Hunnorum^p reges, Bledam et Attilam fratres, "cum numerosis suorum millibus in Illyricum irruentes, Naisum, Singidunum, aliasque civitates, oppidaque Illyrici plurima excidisse" narrat. Prisco^q quoque rhetore, qui eodem quo hæc clades accidit, tempore ipse vixit, in Gothica historia similiter attestante, ab Attila dirutam esse Naissum, urbem quinque dierum itinere ab Istro flumine distantem.

Sed quid vetat integram doctissimi Camdeni hac de re epistolam, hactenus ineditam, huc apponere?

CL. V. JUSTO LIPSIO, GUILIELMUS CAMDENUS S.

"Ex quo ADMIRANDA illa tua, te dignissima, in lucem prodierunt, V. CL. gestiit mihi animus tecum paucis de loco natali Constantini Maximi agere; non altercandi vel calumniandi studio (quod a nobis, qui Musis et Modestiam litamus, susceptamque inter nos benevolentiam conservamus, procul absit) sed cupiditate quadam cognoscendi, et veritatem, si fieri possit, ab injuria vindicandi. Cumque jam mihi vacet scribere quæ subinde mecum hac de re animo agitavi; utinam et tibi per operosa negotia liceat huic disquisitioni tantisper immorari: licet illa sane levicula, et omnino supervacanea. *Non enim, inquit Vopiscus, summa sciendi est, ubi quisque magnorum principum sit genitus, sed qualis in republica fuerit.*"

"Historici omnes qui de loco natali Constantini Maximi scripserunt una voce, præter duos Græculos Cedrenum et Nicephorum, in Britannia natum asserunt: et historiæ

^o Anno 516.

^p Anno 441.

^q Έκλογ. πριεσβείων a D. Hæschelio ann. 1603. edit.

fides ut certa favenda, cum in idem plures ut testes consentiunt. Cedrenum, qui natum circa urbem Daciæ tradit, ut vanitatis manifestum ipse rejceis: Nos itidem Nicephorum, qui Drepani Bithyniæ natum, cum ut vanum, tum ut ætate minorem ad testimonium perhibendum rejceimus. Præ scriptoribus enim qui contra eunt, nuperus ille et novitius; ab anno scilicet MCCCXL. sub Andronico Juniore. Cui, præter vitam Helenæ Anglo-Saxonice circa annum DCCCCXL. scriptam, Henricum Huntingdonensem, Guilielmum Malnesburiensem, Johannem Sarisburiensem, ejusdem ævi, cum denso scriptorum agmine opponamus; qui Nicephoro, judicio non inferiores, tempore antiquiores. Quo autem quisque tempore antiquior et rei gestæ loco propior, majorem et potiore fidem mereatur."

"Nec de loco audiendus, qui in modo genituræ aniliter ineptit, et temporis ratione omnino aberrat. Ait patrem ejus Constantium Claudii ex filio nepotem (quod minime verum docet Pollio) legatum ad Persas a Dioclesiano missum, Drepani in Bithynia hospitem ei filiam suam prostituisse, cui pallium regium purpura intextum (quid privato cum pallio regio?) donarit; eademque nocte solem ex occidente in somniis illuxisse. Deinde anno Diocletiani quarto Cæsarem fuisse designatum Constantinum ex hac natum; ostenso regio isto pallio patri innotuisse, qui eum in Gallia (ino in Britannia) Cæsarem creavit."

"At quando ille genitus? cum Diocletianus bellum Persis minaretur: ad annum scilicet Domini CCLXXXVI. ut, hac inita ratione, tantum XX. fuerit annorum cum imperium cœperit. Tricesimum tamen tunc attigisse annum Eusebius et Victor Schotti, qui tunc vixerunt, docent. Ad quod tempus ipse etiam proxime accedis, qui Nicephori fidem in hoc concidentem libenter statumines."

"Ad Nicephori tamen fidem firmandam adhibetur testis vetus ab ipsius Constantini ævo, fide plenus et omni exceptione major, Julius Firmicus. Sed examinetur primum tempus quo Firmicus scripsit, deinde testimonium quod profert."

"Quod Firmicus non sub Constantino Maximo scripsit,

sed sub Constantio ejus filio, circa XVIII. scilicet ab excessu Constantini Maximi annum, ipse testis fide dignus in præfatione qua Mavortio Lolliano jam consuli ordinario designato librum inscripsit. Cujus consulatum in annum XIX. Constantii incidisse, ex fastis manifesto constat. Nec quenquam ante tot annos consulem ordinarium designatum me legere memini. At hæc de postremis annis Constantini Maximi ut tunc transactis loquitur, ubi meminit solaris deliquii Optato et Paulino consulibus vix uno et altero anno ante mortem ipsius Constantini.”

“Quod ad testimonium: si adesset et audiret ipse Firmicus, ut corruptum et interpolatum, et non ut suum agnosceret; et non de loco natali Constantini Maximi, sed Constantii ejus filii, sub quo Lolliano ordinario consuli designato librum obtulit, se loqui clamitaret. At verba ipsa pensiculatus examinemus, ex duobus manuscriptis, altero ex bibliotheca collegii Lincolnensis Oxonii, altero Thomæ Alani mathematici Oxoniensis; non ex illo impresso et mendoso, qui tibi imposuit, et in Tharso indaganda negotium facessit. Ecce autem verba ipsa fide antiqua; parenthesi tantum a me interjecta, et Constantius pro Constantinus, critica licentia substituto:

Dominus et Augustus noster ac totius orbis imperator pius, felix et providus princeps, CONSTANTIUS scilicet Maximus, Divi Constantini filius augustæ et venerandæ memoriæ principis (qui ad liberandum orbem a tyrannicis immoderationibus, et ad comprimenda domestica mala favore propitiæ majestatis electus, ut per ipsum servitutis squalore deterso, scenæ nobis libertatis munera redderentur; ut captivitatis juga fatigatis jam et oppressis cervicibus poneremus: quem pro nostra semet libertate pugnantem incertissima inter casus humanos nunquam belli fortuna decepit) apud Naisum genitus, a primo ætatis gradu, imperii gubernacula retinens quæ prosperis nactus fuit auspiciis, Romanum orbem salubri gubernatoris moderatione sustentat.

“Quæ parenthesi hic interclusa, ad Constantinum

Maximum referenda videntur. Ille enim ad liberandum orbem a tyrannidis, ad comprimenda domestica mala, &c. divinitus electus, *Illico*, inquit panegyristes, *atque pater terris fuerat exemptus, univèrsus in te consedit exercitus, te omnium mentes oculique signarunt: et quanquam tu ad seniores de summo reipublicæ, quidnam fieri placeret, retulisses; prævenerunt tamen studio, quod illi mox iudicio probaverunt. Purpuram statim tibi, cum primum copiam tui fecit egressus, milites utilitati reipublicæ magis quam tuis affectibus servientes injecere lacrimanti, &c.*

“Cætera autem quæ præcedunt et subsequuntur, parenthesi exclusa, perpendas quæso an non apposite Constantio Constantini filio conveniant. Ille post fratres Constantinum et Constantem totius orbis imperator, ille solus imperator: Ille MAXIMI agnomen habuit, ut nos in ejus nummis vidimus, et tu apud Oeconem videas. Ille Divi Constantini fuit filius: ille a primo ætatis gradu, id est, a pueritia (ut ego capio ex Firmici præfatione) gubernacula retinuit: novennis enim vel octennis vicennialibus patris Cæsar fuit designatus, et orientis imperio præpositus: cum pater gubernacula illa non susceperit ante annum tricesimum. Quod autem Constantius noster Naiso, ut libri nostri præ se ferunt, genitus fuerit; ipsius ætas probare videatur. Si enim ille obiit, ut habet Victor, anno ætatis quadragesimo quarto; natus fuit anno salutis CCCXVII. Gallicano et Basso consulibus. Quo quidem anno et subsequentibus in illis partibus egit Constantinus Maximus; ut rescripta Sirmio, Sardica, et etiam Naisso data demonstrant.”

“Hactenus secundo æstu provehi videor: sed hic tu subridens *ἀνὰ ῥοῦν* irruas, quod Firmicus Constantinum Maximum, et ejus invictissimos liberos Cæsares et dominos appellat; cum Constantius liberos habuerit nullos. Vela obliquo; nec confugio ad Gallum vel Julianum, quos cum Cæsares dixerit in liberos adoptavit. Sed facio limatissimi tui iudicii, an illa Firmici verba satis commodo sensu intelligi non possint illum precari erraticæ nomina, ut Constantinus sit Maximus princeps, liberosque habeat qui sint invictissimi Cæsares et domini, qui posterorum posteris inperent, &c.”

“ Hæc qualiacunque me inhihent quo minus Constantinum Maximum Tarsi Bithyniæ natum credam : et ignoscas si illum Firmici locum non facero ad patrium solum Maximi illius Constantini, donec solidiora proferantur, existimem. Interim fraudi nobis non sit, si scriptoribus antiquis patriis, vicinis, iisque pluribus, potius quam uni eidemque novello, et cruditi commentationi ex mendoso libro hac in parte credamus ; et pro nostra Helena et Constantino depugnemus, ut conjecturis cripi non patiamur. Nosti illud : aberranti conjecturæ qui non resistit, approbare videatur. Vale vir clarissime et salve ab eo qui te unice colit et admiratur. Londini, XVIII. Augusti stilo veteri. MDCIV.”

Huic dissertationi publice postea^r, tacito tamen illius adversus quem scripsit nomine, et prius in privata hac ad ipsum Camdenum epistola, respondit Lipsius.

JUSTUS LIPSIUS GUILIELMO CAMDENO, V. C. S. D.

“ Legi quæ pro Constantini patria, et veteri de ea sensu, scripsisti. Inquisite et erudite, non nego : sed in quibus parum etiam comperti esse, mihi videbatur. Vestri ita Britanni, scio : quis aliorum adsentit ? Non Bedas : quod jure observes. Ille antiquus et fidus, an gloriæ gentis suæ non favit ? Atqui ubi locus dicendi erat^s duntaxat ex Eutropio, *creatum in Britannia imperatorem*, scripsit. Cæteri vestri quam fabulosa misceant, non nescis. Scribis Firmicum sub Constantio scripsisse eos libros. Edidisse, hoc fateor : scripsisse diu ante, et per partes, ipse in præfatione satis dicit. Neque nescis alloquia illa in ultimis solere adscribi. De Nesso etiam natali Constantii, pariter incertum : et illud de liberis, urgere et premere mihi videtur, quidquid ingeniose, mi Cambdene, excusas. Sed altercari non libet (absit litigare) et hæc talia pro judicio suo quisque arbitrator.”

^r Lips. in posteriorib. notis ad Admiranda sua, edit. Antwerp. ann. 1605. pag. 220.

^s Hist. lib. 1. cap. 8.

“ Considerare te velim, quod iterum *dominum atque imperatorem Constantinum* appellet, initio libri: cur non Divum, si jam obierat? Nam ita tu legis in loco, quem ad Constantinum ducis. Et de Lolliano consule, non etiam palam scribit: sed ordinarium consulem designatum fuisse. Potuit sub Constantino designatus esse, et causa aliqua dilatus. Sed et fasti ejus ævi, quod te non fugit, obscuri aut defecti. Sed tui judicii res esto; non pertendo: nec meum est ingenium. Ego te jam olim amo, et præclare meritum cum de alia antiquitate, tum de patriæ tuæ, animo sentio et voce prædico. Redde mihi affectum, neque enim factio, plebeiorem ingeniorum venenum, imminuet aut tollet. Languor me habuit, atque is jam trimestris, cum hæc scripsi: is brevior me facit. Vale vir doctissime. Lovanii, X. Calendas Octobris MDCIV.”

Hæc Justus Lipsius: cujus e Beda illud neminem mag-nopere movebit, qui consideraverit ex Anglo-Saxonum gente fuisse illum; qui et Britannicarum antiquitatum inscii, et a rebus Britonum ornandis animo fuerunt alien-issimo. Neque vero soli vel Angli vel Britones in insula sua natum fuisse Constantinum tradiderunt: idem sense-runt inter exteros etiam, in antiquitatis investigatione haud indiligenter versati; Pomponius Lætus, Polydorus Ver-gilius, Rennerus Snoiis Goudanus, Beatus Rhenanus, Jo-hannes Huttichius, Franciscus Balduinus, Stephanus For-catulus, Onuphrius Panvinius, Cæsar Baronius, Antonius Possevinus, Adolphus Occo, et Octavius de Strada: et matrem Helenam Britannicam Britannici regis filiam fu-isse, Cornelius Aurelius, Johannes Carion et Joachimus Camerarius^t, Martinus Polonus, Johannes Veronensis^u, Gobelinus Persona^v, Johannes Nauclerus, Philippus Berg-omensis, Ponticus Virunnus, Johannes Trithemius, Va-lerius Anselmus Ryd, Christianus Massæus, Johannes Bouchetus, Gilbertus Genebrardus, retulerunt: quibus adde, si libet, et Jacobi Januensis illud: “ In^w quadam

^t In Nicephorianæ chronologiæ explicatione.

^u In chronico a Petro Equilino lib. 7. cap. 73. citato.

^v In Cosmodromio.

^w Jacob. de Vorag. legend. cap. 61.

chronica satis authentica legitur, quod Helena fuit filia Choeli regis Britonum, quam Constantinus^x in Britanniam veniens, cum esset unica patri suo, duxit uxorem: unde insula post mortem Choelis sibi devenit. Hoc et ipsi Britones attestantur: licet alibi legatur, quod fuerit Treverensis." Mitto quod Abingdoniensis chronici collector retulit, Abingdoniæ educatum fuisse Constantinum: eadem vanitate, qua alia de cœnobii sui Abingdoniensis celebritate ante Anglorum adventum est commentus: quod^y monachi supra quingentos illi fuerant adscripti, qui per sylvas et loca deserta, quæ in vicinia fuere, manuum labore victitabant, ad cœnobium singulis Sabbatis et Dominicis convenientes: præter sexaginta, qui assidue in ipso cœnobio versabantur.

Sed a patria Constantini, de qua satis superque dictum, ad pacem Ecclesiæ ab eo redditam reducendus est sermo: de cujus læto successu ita noster Gildas: "Bilustro supradicti turbinis necdum ad integrum expleto, emarcescentibusque nece sui authorum nefariis edictis: lætis luminibus omnes Christi tyrones, quasi post hyemalem ac prolixam noctem, temperiem lucemque serenam auræ cœlestis excipiunt: renovant ecclesias ad solum usque destructas; basilicas sanctorum martyrum fundant, construunt, perficiunt, ac velut victricia signa passim propalant; dies festos celebrant, sacra mundo corde oreque conficiunt; omnes exultant filii gremio ac si matris Ecclesiæ confoti." Eo tempore "Basilicam^z in honorem B. Albani Anglorum protomartyris constructam" asserit Matthæus Florilegus, "decem annis post passionem ejus elapsis:" Bedæ eam in rem producto testimonio, qui^a Verolamii, "redeunte temporum Christianorum serenitate, ecclesiam mirandi operis atque ejus martyrio condignam extructam" fuisse ait.

Tunc etiam Wintonienses ecclesiam suam secundo fundatam, et in eam monachos denuo introductos fuisse

^x Constantius.

^y Nic. Harpsfeld. hist. ecclesiast. Anglican. Secul. 10. cap. 9.

^z Flor. hlst. ad ann. Chr. 313.

^a Bed. lib. I. hist. cap. 7.

fabulantur. Sic enim in magna illorum tabula legimus: "Mortuo Dioclesiano cessanteque crudelissima persecutione in Christianos, fideles ad statum pristinum respirant; ecclesiam Wintoniensem iterum a fundamentis construnt, et ipsam monachis replent: et dedicata est in honorem sancti Amphibali:" et in antiquitatibus Wintoniensis ecclesiæ: "De novo fundatum est vetus in Wintana monasterium a Christi fidelibus, et monachi illud iterum ingrediebantur ad inhabitandum. Idus Martii dedicatum est illud cœnobium in honore sancti Amphibali, qui nuper pro Christo martyrio rubricatur XVI. Calendas Octobris, a Constante ejusdem ecclesiæ pontifice; hoc petente Deodato ejusdem monasterii abbate: ut scribit Vigilantius in libro de basilica Petri, capitulo tertio. In tantum enim tunc Christianorum fervebat erga matricem suam ecclesiam Wintoniensem reædificandam; quod infra annum et triginta dies tota ecclesia cum officinis monachorum opere gaudebat perfectissimo. A secunda ædificatione ecclesiæ Wintoniensis et secundo ingressu monachorum resultant anni mille centum sexaginta et octo" usque ad tempus videlicet, quo libellus iste est conscriptus.

In Thomæ Rudburni majore chronico^b, et Wintoniensis ecclesiæ historiola^c, paulo adhuc plenior hujus rei perterritur narratio: "Orationes ac deprecationes justorum assiduæ cum multum valeant apud justum judicem Deum; ascenderunt lachrymæ suorum fidelium in conspectu Conditoris altissimi: et sedatum est gravissimæ persecutionis ac percussiois jaculum fulminosum; completo videlicet spatio viginti duorum annorum; unde Christiani, qui prius in sylvis opacissimisque locis se posuerant in absconso, in publicum se ostendentes, renovant ecclesias quæ usque ad solum undique erant destructæ. Quo in tempore reædificata est ecclesia Wintoniensis secundo ab Christi fidelium oblationibus: non tamen tantum spatium continebat ecclesia, neque situs monasterii nec ejusdem loca, sicut prius monasterium a Lucio rege fundatum continebat. Constructa sic denuo ecclesia Wentana, monachi secundo

^b Lib. 1. cap. 6.

^c Cap. 7, et 8.

ipsam reintrant: scilicet anno Dominicæ incarnationis CCXCIII.^d Et tunc ad requisitionem Deodati abbatis, de novo vetus cœnobium in honore sancti Amphibali socio- rumque ejus consecratum est: ministerium dedicationis solemniter perficiente Constante tunc in eadem ecclesia pontificante (Nonas Junii, addit hic Rudburnus) ut scribunt Girardus Cornubiensis de gestis Britonum libro tertio, capitulo octavo, et Vigilantius in libro de basilica Petri, capitulo quinto. Dedicata sic ac renovata ecclesia Wintoniensi in honore S. Amphibali martyris (quæ extunc hoc nomen sumpsit, scilicet vetus cœnobium:) requieverunt in ea monachi, in hymnis et spiritualibus canticis Domino devotissime vacantes, ferme ducentis decem annis, usque ad adventum Cerdicii Saxonici, qui primus extitit occidentalium Saxonum rex.”

Sub Constantino duo majora collecta sunt episcoporum concilia: Arelatense in Gallia anno CCCXIV. et Nicænum in Bithynia anno CCCXXV. habitum. In Arelatensi, ad causam Donatistarum cognoscendam, “ plurimos^e episcopos ex locis diversis et prope infinitis convenire mandavit” pius imperator: ut ipse in epistola ad Chrestum Syracusiorum episcopum significat. Interfuerunt illi ex Britannia nostra:

Eborius^f episcopus, de civitate Eboracensi, provincia Britannia.

Restitutus episcopus, de civitate Londinensi, provincia suprascripta.

Adelfius episcopus, de civitate Colonia^g Londinensium; exinde sacerdos presbyter, Arminius diaconus.

In Isidori Mercatoris collectione,

Ex provincia Britania Eburius episcopus; ex civitate Culnia Adelfus.

In editione Petri Crabbe,

Ex provincia Britanniae, civitate Londinensi Restitutus episcopus.

^d Da Wintoniensium monachorum anachronismis dictum aliquid in capite præcedente.

^e Πλείστοις ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθῆτων τόπων ἐπισκόπους εἰς τὴν Ἀρελατησίῳν πόλιν εἰσω καλανδῶν ἀγούστων συνελθεῖν ἐκελεύσαμεν. Constantin. apud Euseb. lib. 10. hist. ecclesiast. cap. 5.

^f Tom. 1. Concilior. Galliae, edit. Paris. ann. 1629. pag. 9.

^g Colcestria. Vid. supr. cap. 5. pag. 82.

Ex provincia Byzacena, civitate Tubernicensi, Eburius episcopus.
Ex eadem provincia civitate Culucitana, Adelphius.

In Nicæna synodo et paschalis observantiæ constitutum est tempus, et impia Arianorum hæresis condemnata: cum reliqua ecclesia Catholica consentientibus hic etiam Britannis. De priore enim testis est ipse imperator Constantinus, in epistola ad Alexandrinos, et orthodoxos omnes episcopos qui concilio non interfuerunt, transmissa; pascha eodem modo observatum, “*μὴ καὶ συμφώνῳ γνώμῃ*, una et consentiente sententia,” cum in aliis omnibus nationibus quas ibi commemorat, tum in nostris quoque Britannis^b. De posteriore, et magnum Athanasium auctorem habemus, et Hilarium Pictavorum episcopum; apud quem Kebium Britanniam (de quo supra¹ diximus) postquam viginti annis apud Cornubienses suos liberalibus disciplinis incubisset, per quinquaginta annos mansisse, graduque episcopali ab eo accepto in patriam suam postea remeasse, referunt in ejus vita Johannes Timmuthensis et Capgravius.

Sardicensi enim concilio, anno CCCXLVII. a Constantino et Constante^k, Constantini Magni filiis, in Thraciæ et Mysiæ confiniis coacto, Britanniarum^l episcopos cum aliis interfuisse, et damnatis Arianis Athanasium absolvisse; sub initium secundæ suæ contra Arianos apologiæ, ostendit ipse Athanasius. Ab Hilario vero anno CCCLVIII. in Phrygia, ubi is exul tum degebat, editus est liber de synodis adversus eosdem Arianos: cujus initium: “*Domini et beatissimis fratribus et coepiscopis provinciæ Germaniæ primæ et Germaniæ secundæ, &c. et provinciarum Britanniarum episcopis; Hilarius servus Christi, in Deo*

^b *Κατὰ τὰς Βρετανίας*. Constantin. epist. apud Euseb. lib. 3. de vita Constantin. cap. 18. Socrat. lib. 1. cap. 6. et lib. 5. cap. 21. Theodoret. lib. 1. cap. 10. Gelas. Cyzicen. Act. concil. Nicæn. lib. 3. et Nicephor. lib. 8. hist. cap. 25.

¹ Supr. cap. 5. pag. 116.

^k De ejus navigatione in Britanniam videndus Libanius in Basilico, et Julius Firmicus Maternus de errorib. profan. relig. cap. 29. quam ann. 343. contigisse notat Henr. Valesius initio notarum ad librum 20. Ammiani Marcellini.

^l *Βρετανίων* Athanas. Græcolat. tom. 1. pag. 560. edit. Commelin. Vid. etiam ejusd. epist. ad solitariam vitam agentes, pag. 640.

et Domino nostro æternam salutem:" et paulo post, "Beatæ fidei vestræ literis sumptis (quarum lenitudinem ac raritatem de exilii mei et longitudine et secreto intelligo constitisse:) gratulatus sum in Domino incontaminatos vos et illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstittisse." Hæc Hilarius.

De quo Venantius Fortunatus:

Eloqui^m currente rota penetravit ad Indos,
 Ingeniumque potens ultima Thule colit;
 Perfundens cunctas, vice solis, lumine terras:
 Cujus dona Sacæ, Persa, Britannus habet.

Et iterum:

Thraxⁿ, Italus, Scythæ, Persa, Indus, Geta, Dacia, Britannus,
 Hujus in eloquio spem bibit, arma capit.

"Multi nugas esse putabant, in ejusmodi (περὶ ὁμοουσιῶν) verborum concertationibus versari; et mentem saltem Nicænæ synodi tenere se profitebantur," inquit Sozomenus^o. Atque huic parti erant addicti episcopi plurimi Germaniæ, Galliæ, Britannæ, ad quos peculiarem librum scripsit Hilarius in eum finem; inter alios ut ipsos impelleret non solum ad rem, sed etiam ad vocem Homousii accipiendam^p.

Anno sequente, CCCLIX. a Constantio Ariminensis in Italia convocata est synodus; quo, ut libro secundo historiæ sacræ rem narrat Sulpicius Severus, "acciti aut inacti^q quadringenti et aliquanto amplius occidentales episcopi: quibus omnibus annonas et cellaria dare imperator præceperat. Sed id Aquitanis, Gallis, ac Britannis indecens visum: repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus vivere maluerunt. Tres tantum ex Britannia, inopia proprii, publico usi sunt; cum oblatam a cæteris collationem respuissent: sanctius putantes fiscum gravare, quam singulos." Etsi vero hic episcopi "in Arianum dogma fue-

^m Fortunat. lib. 8. epigram. 1.

ⁿ Id. lib. 6. epigram. 1.

^o Lib. 3. hist. ecclesiast. cap. 12.

^p Nic. Vedelius, de prudent. vet. eccles. lib. 3. cap. 2.

^q *coacti*.

rant subacti (ut Facundus^r loquitur) opprimente Constantio:” Britanniam tamen, et reliquas unde illi acciti sunt provincias, sub toto et Constantii hujus Ariani et apostatae Juliani imperio ab Ariana labe immunes sese conservasse; evincunt quæ de Nicæno symbolo, in literis anno CCCLXIII. ad Jovianum imperatorem datis, scripserunt Athanasius et reliqui episcopi, qui nomine omnium Ægypti, Thebaidis et Libyæ episcoporum in unum convenerunt: “ Ταύτην^s πίστιν ὁμολόγησαν οἱ ἐν Νικαίᾳ συνελθόντες πατέρες· καὶ ταύτη σύμφηφοι τυγχάνουσι πᾶσαι αἱ κατὰ τόπον ἐκκλησίαι· αἱ τε κατὰ τὴν Σπανίαν, καὶ Βρεττανίαν, καὶ Γαλλίαν, &c. καὶ αἱ κατ’ ἀνατολὰς ἐκκλησίαι, πάρεξ ὀλίγων τῶν τὰ Ἀρείου φρονοῦντων. Πάντων γὰρ τῶν προειρημένων τῇ πείρᾳ ἐγνώκαμεν τὴν γνώμην, καὶ γράμματα ἔχομεν. Hanc fidem professi sunt qui Nicææ convenere patres: et suffragiis suis eam comprobant omnes omnibus locis ecclesiæ; ut Hispaniæ, Britannia, Gallia, &c. Orientis denique ecclesiæ, exceptis paucis quæ sectæ favent Arianae. Nam istarum omnium reipsa explorete cognitam habemus sententiam; literasque ab illis accepimus.”

Post hæc tamen, Ariana hæresis “ non solum orientis et occidentis partem maculavit; sed et meridianam et septentrionis plagam, et ipsas insulas sua perfidia irretivit:” quemadmodum sub finem chronici sui notavit Johannes Biclariensis abbas: et de insula Britannica nominatim Beda: “ Mansit^t hæc in ecclesiis Christi, quæ erant in Britannia, pax usque ad tempora Arianae vesaniæ; quæ, corrupto orbe toto, hanc etiam insulam extra orbem tam longe remotam veneno sui infecit erroris:” quæ ex Gilda ille hausit: cujus hac de re verba sunt ista; “ Mansit hæc Christi capitibus membrorumque consonantia suavis; donec Ariana perfidia, atrox ceu anguis transmarina nobis evomens venena, fratres in unum habitantes exitiabiliter faceret sejungi: ac sic quasi via facta trans oceanum, omnes omnino bestia feræ, mortiferum cujuslibet hære-

^r Facund. Hermianens. lib. 5. cap. 3.

^s Athanas. Græcolat. tom. 1. pag. 309. edit. Commelin. Theodorit. lib. 4. hist. eccles. cap. 3. et Nicephor. Callist. lib. 10. cap. 42.

^t Bed. hist. lib. 1. cap. 8.

seos virus horrido ore vibrantes, letalia dentium vulnera patriæ novi semper aliquid audire volenti, et nihil certi stabiliter obtinenti, infigebant." Quod factum videtur, quum Gratianus imperator, qui Britanniam, una cum Gallia et Hispania, obtinebat, anno CCCLXXVIII. legem tulisset, ut^u quisque libere quamcunque religionem vellet sectaretur; et quæque secta, nullo habito discrimine, in ecclesiis conventus ageret: solis Manichæis, Photinianis et Eunomianis exceptis. Contigisse id certe ante annum CCCLXXXIII. quo Maximus, arrepta in Britannia tyrannide, per Andragathium ducem eundem Gratianum interfecit; satis clare Gildas indicat, illis jam dictis statim subjiciens.

"Itemque tandem tyrannorum virgultis crescentibus, et in immanem sylvam jam jamque crumpentibus, insula nomen Romanum, nec tamen morem legemque tenens, quin potius abjiciens, germen suæ plantationis amarissimæ, ad Gallias magna comitante satellitum caterva, insuper etiam imperatoris insignibus (quæ nec decenter usquam gessit) non legitime, sed ritu tyrannico et tumultuante initiatum milite, Maximum mittit. Qui callida primum arte potius quam virtute finitimos quosque pagos vel provincias contra Romanum statum, per retia perjurii mendacique sui, facinoroso regno adnectens, et unam alarum ad Hispaniam, alteram ad Italiam extendens, et thronum iniquissimi imperii apud Treveros statuens; tanta insania in Dominos debacchatus est, ut duos imperatores legitimos, unum^w Roma, alium religiosissima vita pelleret. Nec mora, tam feralibus vallatus audaciis, apud Aquileiam urbem capite nefando cæditur, qui decorata totius orbis capita regni quodammodo cervicibus dejecerat." Hæc Gildas de Maximo: de quo multo moderatius, qui propius illum noverat, Sulpitius Severus: "Maximus^x im-

^u Socrat. hist. lib. 5. cap. 2. Sozomen. lib. 7. cap. 1. et Johan. Antiochenus, in chronico.

^w "Duos imperatores, unum regno, alterum vita expulit." S. Martin. vit. per Sulpit. Sever. cap. 23. "Occidit namque Gratianum; Valentinianum vero urbe Roma expulit." Gloss. Gild. MM. in Cantabrig. academ. bibliothec.

^x Sulpit. Sever. dialogo, 2. cap. 7.

perator rempublicam gubernabat, vir omni vitæ merito prædicandus, si ei vel diadema non legitime tumultuante milite impositum repudiare, vel armis civilibus abstinere licuisset. Sed magnum imperium nec sine periculo renui, nec sine armis, potuit retineri." Et Paulus Orosius; "Maximus^y vir quidem strenuus et probus, atque Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emerisset, in Britannia invitus propemodum ab exercitu imperator creatus in Galliam transiit: ubi Gratianum Augustum subita incursione perterritum, atque in Italiam transire meditantem, dolis circumventum interfecit; fratremque ejus Valentinianum Augustum Italia expulit."

Maximus autem, cum natione Hispanus^z esset, a Gildatamen germen plantationis Britannicæ, uti ab Ausonio Rutupinus^a latro, nominatur; quod "apud^b Britanniam tyrannidem arripuisset, indeque in Galliam transmisisset." Nec alia mens Socrati, quum scripsit: "Μάξιμος^c ἐκ τῶν περὶ τὰς Βοητανίας μερῶν ἐπαπέστη τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ, Maximus ex partibus Britannicæ arma contra imperium Romanum tulit:" Licet alii^d, Latinum interpretem secuti, patria illum Britannum fuisse hinc collegerint. Historia^e Britannica, fuisse illi "patrem Britannum, Leolinum Constantini Magni avunculum; matre vero et natione Romanum" fuisse ait. Henricus Huntingdoniensis^f, "a Britannia oriundum," Fabius Ethelwerdus^g et annales Anglo-Saxonici, "natum in Britannia" asserunt. Verum qui tum vixit, Latinus Pacatus Drepanius, "homines^h insulanos totius incendium continentis adolevisse, et regali habitu exulem suum illos exules orbis induisse" affirmans,

^y Oros. hist. lib. cap. 34. et eum secutus Beda, lib. 1. hist. cap. 9.

^z Zosim. hist. lib. 4.

^a Auson. de claris urbib. Vid. Camden. in Cantio. pag. 240, 241.

^b Aurel. Victor. in epitome. ^c Socrat. lib. 5. hist. ecclési. cap. 11.

^d Onuphr. Rom. princip. lib. 1. Baron. ann. 333. sec. 1. eum Joanne Hemelario et Octavio de Strada, in imp. vitis et nummis.

^e Galfrid. Monemuthens. lib. 5. cap. 9. Matthæus Florileg. ad ann. grat. 379. Jo. Trithemius, in annalibus, et de origine Francorum.

^f H. Hunting. hist. lib. 1.

^g Ethelwerd. chronic. lib. 1.

^h Panegyric. dict. Theodosio Aug. cap. 24.

ipsumque Maximum "orbis extorrem patriæque fugitivum" appellans; inter nostros "toto divisos orbe Britannos," et ea ratione orbis exules atque extorres ab isto oratore habitos, relicta propria patria, advenam illum vixisse non obscure significat. Hispanum quoque istum, licet quondam mensularum servilium statarium lixam¹, et patris incertum, Flavii Theodosii Hispani, in oriente tum imperantis, se et affinitate et favore jactavisse, affirmat idem; quod aliter non potuisset allicere militum societatem, nisi illum auctoramenti sui finxisset auctorem. Quæ de causa et Flavii nomen filio suo Victori, Augusto a se creato, (neque enim patrem ipsum aliis quam Magni et Clementis titulis usum invenio) tribuisse illum potius existimaverim, quam quod de Constantini Magni stemmate sibi aliquid arrogaret; e cujus tamen stirpe illum descendisse, non Scotorum solum historici Johannes Fordonus et Hector Boethius, sed etiam nostri temporis viri eruditissimi Guilielmus Camdenus, et Adolpus Occo (sine ullo antiquitatis testimonio) literis memoriæque mandaverunt.

Ninius, cui in plerisque MSS. Gildæ nomen est impositum, ex uno hoc Maximo effecit duos: "Sextus," inquit, "Maximus imperator regnavit in Britannia. A^k tempore illius consules esse cœperunt, et Cæsares nunquam postea appellati sunt; et sanctus Martinus in tempore illo claruit in virtutibus et signis, locutusque est cum eo. Septimus imperator regnavit in Britannia dictus Maximianus. Ipse perrexit cum omnibus militibus Britonum a Britannia, et occidit Gratianum regem Romanorum, et imperium tenuit totius Europæ: noluitque dimittere milites, qui cum eo perrexerunt a Britannia, neque ad uxores suas neque ad filios neque ad possessiones suas: sed dedit illis multas regiones, a stagno quod est super verticem montis Jovis usque ad civitatem quæ vocatur Cantguic, et usque ad cumulum occidentalem, id est, Cruc-ochidieint. Hi sunt Britones Armorici: et nunquam reversi sunt ad

¹ Inde illud Ausonii in Aquileia; "Maximus armigeri quondam sub nomine lixæ."

^k Ridiculum: ut hujus authoris multa alia.

proprium solum usque in hodiernum diem. Propter hoc Britannia occupata est ab extraneis gentibus; et cives ejus expulsi sunt, usque dum Deus auxilium dederit illis. In veteri traditione seniorum nostrorum septem imperatores fuerunt a Romanis in Britannia: Romani autem dicunt novem fuisse."

Addit Galfridus Monemuthensis¹ Maximianum (sic enim Gratiani imperatoris interfectorem et ipse appellat) edicto suo "centum millia e plebe" ex Britannia insula evocavisse, et "triginta millia militum, qui ipsos (episcopos jam ordinatos pro ipsis Matthæus Florilegus^m hic substituit) intra patriam qua mansuri erant ab hostili irruptione tuerentur:" sicque Armoricam, Britannico populo oppletam, Conano Meriadoco donavisse: qui a Dionoto rege Cornubiæ, cui Britannia insula principatum Maximianum commendavisse refert, non solum filiam ipsius Ursulam sibi matrimonio copulandam, sed etiam "nobilium filias, numero undecim millia, et ex infima gente creatis sexaginta millia," quæ novis colonis jungerentur, per nuncios impetraverit. Harum majorem partem, orta tempestate, in mari periisse; reliquas ab exercitu Hunnorum, et Melgæ Pictorum regis, partim trucidatas, partim mancipatas fuisse narrat: Christianas fuisse omnes mulieres istas Britannicas, numero unum et septuaginta millia præter infantes et parvulos, ait Johannes Trithemius; reliquam vero totam fabulam, dempto immani illo foeminarum numero, qui fidem etiam poeticam superare videbatur, hoc carmine alius, Gildæⁿ quoque nomine ab aliquibus nobilitatus, sic expressit:

Interea Galli nimia feritate feruntur
 Contra Conanum: Conanus mente feroci
 Armoricum regnum defendit, et effugat hostes.
 Cumque carere suos uxoribus ipse videret;
 Regi Cornubiæ, cui tota Britannia major
 Commissa est, scribens Diodoco, mandat ut ipse
 Armoricis nymphas generosas et mediocres
 Destinet uxores per classem, præparat illam,
 Implet virginibus: dat navita carbasa ventis,

¹ Hist. Britan. lib. 5. cap. 14, 15, 16.

^m Flor. hist. ad ann. 391.

ⁿ Poem. lib. 5.

Littus ad Armoricum tendit ; contrarius Euro
 Missus ab Æoliis æquor movet utribus auster.
 Obruit unda rates : pereunt cum classe puellæ.
 Pars tamen illarum, rabie rapiente procellæ,
 Fertur in hostiles agmen miserabile terras.
 Vanius has et Malga neci, vel forte pudendo
 Tradunt servitio : qui toto corde faventes
 Principibus Latili, fautores Maximiani
 Acriter infestant. His tota Britannia major
 Succumbit : quoniam vires subtraxerat illi
 .Armoricos adiens jampridem Maximianus.

Cum quibus comparare liceat quos nostris temporibus
 Nicolaus Oudartus hac de re composuit elegos :

Qua potis imperium sibi firmet ut arte tyrannus
 Maximus, Armoricos milite complet agros.
 Neu soboles desit, fera quæ succrescat ad arma ;
 Præbeat uxores terra Britanna jubet.
 Ursula virgo igitur Dionethi filia regis,
 Quatuor et septem millia virginum agens ;
 Connano ac sociis tanquam connubia portet,
 Innumeris stratum puppibus æquor adit,
 Velaque dat ventis : sed, divertente procella,
 Devia Germano classis adacta solo est.
 Castum ubi ne violent Pictusque Hunnusque pudorem,
 Victima dux Christo tota cohorsque cadit.

Hanc narrationem, ut vulgatam illam de undecim milibus virginum, earumque cynosura Ursula, Sorbonicorum Parisiensium patrona, traditionem aliquo modo tueretur, avidè arripuit Baronius : et, quasi rarum aliquid et nemini adhuc perspectum in lucem protulisset, pro thesauro carbones istos ita nobis venditavit : “ Ego^o quidem cum in hujus rei veritate investiganda plurimum laboris insumpsissem ; exoptato evenit, ut invenerim tandem codicem Vaticanum pervetustum, in quo tractatus erat inscriptus de rebus Britannicis, auctore Gaufrido episcopo Asaphensi, sub nota numeri nongentesimi quadragesimi quarti : in quo agens auctor de rebus Maximî tyranni, qui temporibus Gratiani imperatoris invasit imperium, de Ursula quoque perbrevev contextit historiam :” quam tamen non

° Baron. in notis ad Roman. Martyrolog. Octobr. 21.

ex ipso Gaufrido, ut videri voluit, et doctissimo Velsero^p persuasit, sed ex nupero illo, ni fallor, auctore ex quo idem Lucii^q acta alio in loco expressit, descriptam nobis hic exhibuit: Sigeberti quoque ad Galfridi fidem suffulciendam, adjuncto testimonio; qui “de eadem incursione Gauni Hunnorum et Melgæ Pictorum ducum” ad annum Domini CCCLXXXIX. meminerit. Verum Sigeberti nequaquam esse ista, sed ex ipso Galfrido^r (ut alia multa) in illius chronicon esse intrusa, scimus: et hujus de Armorici a Maximo sedibus suis expulsis, et deductis illuc e Britannia virorum ac fœminarum coloniis, quod Galfridianæ narrationis est fundamentum, figmenti vanitas a Christophoro Browero^s ita est detecta; ut amplius quid addere nihil sit necesse; nisi quis multo adhuc vanioris figmenti accessionem audire aveat, quam in Anglicano suo martyrologio^t Johanni Wilsono libuit adjungere; de Coloniensi solo, in quo virginum harum lipsana condita dicuntur, alia omnia cadavera, etiamsi infantium recenter baptizatorum ea fuerint, suscipere defugiente: in quod sæpius probatum esse, serio nobis narrat ille nugivendus. Nam ut omittam Galfridi, quam ille quoque sequitur, narrationem cum Coloniensium, de cæsis apud se virginum Ursulanarum turmis, traditione consistere omnino non posse: etiam qui in ipsa Agrippinensium urbe rei tam mirabilis veritatem curiosius indagarunt, ejusmodi experimentum ullum sibi compertum fuisse negant. Imo “stare non posse,” inquit eorum unus^u, “inde colligi potest; quod in ecclesia Machabæorum, in qua magno numero ex societate SS. virginum corpora reperta inde ab initio passionis coluntur, quotidie adhuc Christi fideles, quos

^p M. Velsler. in notis ad tabulam Itiner. Peutengerianam.

^q Supr. cap. 4. pag. 66.

^r “In tuo exemplari sunt quædam inserta ex historia Britannica Galfridi Monemuthensis (ex antiquissimis Britannici sermonis monumentis in Latinum sermonem traducta :) quæ quia sic reperi intexta dimisi:” ait Antonius Rufus in epistola ad Guillelmum Parvum præfixa primæ editioni Sigeberti, quæ prodidit Parisiis anno 1513.

^s Brower. in notis ad Venantii Fortunati lib. 3. epigramm. 8.

^t Anglic. Martyrolog. J. W. Octob. 21.

^u Erhard. Winheim, in sacrario Agrippinæ, num. 9. pag. 106.

tamen certaminis arena non evomit, sepulturæ mandantur: ita ut fidem meam pro obside interponere ausim, virgines illas non tam lividas, ut in Domino obdormientes regni Dei cohæredes, confratres et consortes, multo minus modo genitos, a suis cubilibus excludant." Unde liquet quantum fidei Guilielmo Lindano^w, quem Wilsonus ducem hic videtur fuisse secutus, debeatur, qui hoc ipsum fidenter nobis venditat: "Templi aream nullum suscipere sepe- liendum, inmo pueros recens baptizatos de nocte quasi evomentem in superficiem rejicere visendos: atque hujus rei miracula narrare incolas non rara, quæ non alibi temere inveniantur." Aliorum de virginibus hisce com- menta in decimo quinto capite plenius enarrabimus: id tantum ad extremum hic monentes, a Matthæo Florilego et Radulpho de Baldoc Londinensi episcopo ad annum CCCXCII. (quadriennio post Maximi cædem integro) ab aliis quibusdam (in earum legenda, sanctilogio Johannis Tinmuthensis inserta, commemoratis) ad CCCLXXXV. a Baronio in quarto annalium tomo ad CCCLXXXIII. virginum cladem referri: quanquam anno demum CCCLXXXVI. Armoricum regnum Conano Meriadoco traditum, et expulsis indigenis a Britannici generis colonis occupatum fuisse scribat Johannes Fordonus in Scoti- chronico. Passæ autem sunt secundum quosdam, XII. Calendas Novembris anno Domini CCCLXXXV.^x Et epigramma illud adjicientes, quod Romæ, in ecclesia S. Stephani in Cœlio, inter martyrum triumphos, Ursulæ di- catum spectatur:

Tu tandem innumeræ ductrix regina phalangis,
 Virginibus claudes carmina nostra tuis.
 Te teneræ patrio comitantur ab axe catervæ,
 Candida queis rosens contegit ora pudor.
 Fit sonitus spumante salo, dant vela carinæ,
 Anchora Agrippinum sistitur ante solum.
 Dissipat hic Hunnus turmas furialibus armis,
 Magnanimumque gregem ceu lupus ense vorat.
 Fœlix quæ terris ducbas agmina inermis,
 Laurigeros ducis sidera ad alta choros.

^w Apud. Baron. notat. in Martyrolog. Roman. Octob. 21.

^x Legenda XI. millium virginum, sanctilogio Johannis Tinmuthensis in- sarta.

Frequens erat his temporibus Hierosolymitana peregrinatio: de qua et in proprio tractatu sententiam suam aperuit Gregorius Nyssenus, et suam quoque, in epistola tertia decima ad Paulinum, ita breviter subindicavit Hieronymus: “ Et de Hierosolymis et de Britannia æqualiter patet aula cœlestis. Regnum enim Dei intra vos est. Antonius, et cuncta Ægypti, et Mesopotamiæ, Ponti, Cappadociæ, et Armeniæ examina monachorum, non videre Hierosolymam: et patet illis absque hac urbe paradisi janua. Beatus Hilarion, cum Palæstinus esset, et in Palæstina viveret, uno tantum die vidit Hierosolymam; ut nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursus Deum loco claudere videretur.”

Britannicas tamen etiam nostras, inter alias gentes, huc confluisse, tum ex iis quæ de Melania in Lausiaca historia retulit Palladius, tum ex epistola, quam Paulæ et Eustochii nomine ad Marcellam scripsit Hieronymus, intelligimus. De Melania seniore, ita in chronico Hieronymus: “ Melania nobilissima mulierum Romanarum et Marcellini quondam consulis filia, unico prætori tunc urbano filio derelicto, Hierosolymam navigavit: ubi tanto virtutum præcipueque humilitatis miraculo fuit, ut Teclæ nomen acceperit:” licet ista Hieronymum de exemplaribus suis erasisse calumniatur Rufinus¹, “ cum actus suos vidisset districtioris disciplinæ fœminæ displicere.” De eadem, una cum eodem hoc Rufino, comite² ipsius individuo, peregrinos hospitio Hierosolymis excipiente; qui utrique familiaris et Origenis³ quoque errorum simul particeps fuit, Palladius Galata: “ Τοῦτο^b δὲ οὐκ ἐμὸν ἐστὶ διηγῆσασθαι, ἀλλὰ καὶ τῶν τὴν Περσίδα, καὶ Βρεττανίας, καὶ τὰς πάσας νήσους οἰκούντων. Τῶν γὰρ εὐποιῶν καὶ ἐπιδόσεων τῆς ἀθανάτου ταύτης, οὐ δύσις, οὐκ ἀνατολή, οὐκ ἄρκτος, οὔτε μεσημβρία ἡστόχησε. Hoc autem non est meum solum

¹ Rufin. *Invectiv.* in Hieronym. lib. 2.

² Hieronym. *epist.* 2. ad Florent. *op. tom.* 4. *par.* 2. *pag.* 4. *Paulin. epist.* 9. ad Sever. *Pallad. hist. Lausiaca. cap.* 118.

³ Epiphani. in fine *epist.* ad Johannem Hierosolymitan. inter Hieronymianas, *ordine* 110. *op. tom.* 4. *par.* 2. *pag.* 322.

^b *Pallad. hist. Lausiaca. cap.* 118.

narrare, sed etiam eorum qui Persidem et Britanniam, et omnes habitant insulas. Beneficiorum enim et largitionum hujus immortalis fœminæ non occidens, non oriens, non septentrio fuit expers, non meridies."

Paulæ vero et Eustochii nomine ita scripsit Hieronymus. "Divisus^c ab orbe nostro Britannus, si in religione processerit, occiduo sole dimisso, quærit locum fama sibi tantum et scripturarum relatione cognitum." Et paulo post: de aliis convenis: "Concurrunt ad hæc loca, et diversarum nobis virtutum specimen ostendunt. Vox quidem dissona, sed una religio: tot pene psallentium chori, quot gentium diversitates," quam religionis unitatem, et Britannorum in ea non tam cum particulari Romana Ecclesia quam cum Catholica et universali (cujus potior autoritas) consensum, in epistola ad Evagrium ita declarat idem: "Nec^d altera Romanæ urbis ecclesia, altera totius orbis existimanda est: et Galliæ, et Britanniæ, et Africa, et Persis, et Oriens, et India, et omnes barbaræ nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si autoritas quæritur, orbis major est urbe. Ubicunque fuerit episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis; ejusdem est meriti, ejusdem et sacerdotii." Urbem tamen, cum aliis provincialibus, identidem invisebant Britanni: et a portu Romano solventes, non in Palæstinam solum trajiciebant, sed etiam in vicinam Syriam; ubi Simeonis Stylitæ celebris tum fama apud exteras nationes omnium sermone pererebuit. Ad Simeonem hunc spectat illud Theodoret, qui acta ipsius adhuc viventis conscripsit: "Ἀφίκοντο^e δὲ πολλοὶ, τὰς τῆς ἐσπέρας οἰκοῦντες ἑσχατίας, Σπάνοι τε καὶ Βρεττανοὶ, καὶ Γαλάται, οἱ τὸ μέσον τούτων κατέχοντες." Venerunt multi quoque qui habitant extrema occidentis, Hispani inquam et Britanni, et Galli, qui quod horum est intermedium occupant:" ad portum

^c Hieronym. epist. 44. op. tom. 4. par. 2. pag. 551. Hieronym. in orthodoxi et Luciferiani dialogo, Christianis, annumerat "Britannos, Gallos, Orientem, Indorum populos, Iberos, Celtiberos, Æthiops."

^d Id. epist. 102. op. tom. 4. par. 2. pag. 803.

^e Theodoret. in Philotheo, sive SS. Patrum hist. cap. 26.

Romanum illud Hieronymi, in epitaphio Fabiolæ : “ Xenodochium^f in portu Romano situm totus pariter mundus audivit. Sub una ætate didicit Britannia, quod Ægyptus et Parthus noverant vere.”

Ille vero, cujus jam meminimus, Rufinus, triginta^g fere annis in oriente transactis, sub fine pontificatus Siricii domum rediens, “navem plenam blasphemiarum,” ut loquitur Hieronymus^h, “Romano intulit portui, et venenata spurcaque doctrina Romæ invenit, quos induceret.” “Nequeⁱ uni urbi, sed orbi blasphemias Origenis et *περὶ ἀρχῶν* libros, quantum in se fuit, intulit Rufinus :” harum opinionum pravitate prius imbutus a magistro Evagrio: de quo, in epistola ad Ctesiphontem, Hieronymus: “Evagrius ponticus Hyperborita, qui scribit ad virgines, scribit ad monachos, scribit ad eam, cujus nomen nigredinis testatur perfidiæ tenebras (ea nominis notatione Melaniam designat; quæ ex^k Hierusalem post quinque lustra remeans, cum^l Rufino suo Origenicorum errorum adversus Hieronymum suscepit patrocinium) edidit librum et sententias *περὶ ἀπαθείας* quam nos impassibilitatem vel imperurbationem possumus dicere; quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commovetur, et, ut simpliciter dicam, vel saxum vel Deus est. Hujus libros per orientem Græcos et, interpretante discipulo ejus Rufino, Latinos plerique in occidente lectitant.” Eundem Rufinum ob sparsos Origenis errores Romæ damnavit Siricii successor Anastasius: eundemque “in aliquibus de arbitrii libertate notatum” ab Hieronymo fuisse, in Romano LXX. episcoporum concilio ostendit Gelasius; atque ab eodem originalis peccati inficiationem Romæ se edoctum, in Carthaginensi Africanorum episcoporum conventu ita professus est Celestius: “Sanctus^m presbyter Rufinus Romæ,

^f Hieronym. ad Oceanum, epist. 82. op. tom. 4. par. 2. pag. 645.

^g Rufin. apolog. ad Anastas. P. Hieronym. apolog. advers. Rufin. lib. 2. cap. 1. lib. 5. cap. 3. et 7.

^h Hieronym. in epitaphio Marcellæ, epist. 96. op. tom. 4. par. 2. pag. 782.

ⁱ Id. Procem. in dialogos advers. Pelag.

^k Paulin. ad Severum, ep. 10.

^l Hieron. sub fin. ep. 33. ad Panmachium.

^m Apud Augustin. de Peccat. Original. cap. 3.

qui mansit cum S. Pammachio, id dixit. Ego enim audivi illum dicentem, quod tradux peccati non sit."

Anno autem CCCXCVIII. mortua uxore Paulina, nuncium seculo remisit Pammachius: et Rufinus, relicta Roma, in patriam Aquileiam habitationem transtulit anno proxime sequente; quo ab Hieronymo ad eum scripta legitur epistola hoc initio: "Diu" te Romæ moratum, sermo proprius indicavit." Celestii quoque magistrum Pelagium "in^o urbe Roma diutissime vixisse," atque in hæreticis his fuisse "sermonibus contentionibusque versatum," docet Augustinus: qui et se "Romæ^p constituti Pelagii nomen cum magna ejus laude cognovisse" confitetur. Extantque adhuc rei testes sequentes literæ^q.

DOMINO DILECTISSIMO, ET DESIDERATISSIMO FRATRI PELAGIO, AUGUSTINUS IN DOMINO SALUTEM.

"Gratias ago plurimum, quod me literis tuis exhilarare dignatus es, et certum facere de salute vestra. Retribuat tibi Dominus bona, quibus semper sis bonus, et cum illo æterno vivas in æternum; Domine dilectissime, et desideratissime frater. Ego autem, etsi in me non agnosco præconia de me tua, quæ tuæ benignitatis epistola continet; benevolo tamen animo erga exiguitatem meam ingratus esse non possum: simul admonens, ut potius ores pro me quo talis a Domino fiam, qualem me jam esse arbitraris. Memor nostri, incolumis Domino placeas, Domine dilectissime et desideratissime frater."

Hoc enim artificio in primis suis scriptis usum fuisse Pelagium notat Augustinus, ut prava illa dogmata "non^r ex persona sua posuerit, sed quid ab aliis diceretur exposuerit; quæ tamen postea jam hæreticus pertinacissima animositate defendit:" quod in brevioribus inprimis in Pauli epistolas commentariis ab illo factitatum observat

^q Hieron. epist. 42. ad Rufin. op. tom 4. par. 2. pag. 348.

^o Augustin. de peccat. origin. contra Pelag. cap. 21.

^p Id. de gestis Palæstinis, in causa Pelagii, cap. 22.

^r Ib. cap. 27, 28.

^s Id. Retract. lib. 2. cap. 33.

idem: juxta receptas "leges" commentariorum, in quibus multæ diversorum ponebantur opiniones, vel tacitis vel expressis auctorum nominibus; ut lectoris arbitrium esset, quid potissimum eligere deberet decernere." Hæretica enim illa "in" ipsis quasi expositionibus," inquit Augustinus, "non ex sua persona est ausus objicere: sed ibi hoc dicebat, ubi multis notissimus erat, et quid sentiret ac diceret, latere non poterat."

De eodem autem, quum jam patefactæ essent illius hæreses, in epistola ad Paulinum Nolanum, ita scribit idem; "Pelagium, quem credimus, ut ab illo distingueretur qui Pelagius Tarenti dicitur, Britonem fuisse cognominatum, quod ut servum Dei dilexeris, novimus: nunc autem quemadmodum diligas, ignoramus. Nam et nos non solum dileximus, verumetiam diligimus eum: sed aliter nunc diligimus, aliter aliquando dileximus. Tunc enim, quia nobis rectæ fidei videbatur: nunc autem, ut ab iis quæ inimica et adversa gratiæ Dei sentire dicitur, illius misericordia liberetur:" et Prosper, in chronico: "Pelagius Brito dogma nominis sui contra gratiam Christi, Celestio et Juliano adjutoribus, exerit." Nec cognomento solo, sed etiam gente fuisse illum Britonem, ostendit idem in libro de ingratis; quo nomine Semipelagianos ille designat, ex hæresiarchæ hujus cineribus exortos: ubi a parente primum exorsus, enarrat.

Dogma^u quod antiqui satiatum felle Draconis
Pestifero vomuit coluber sermone Britannus.

Et in operis progressu, ad novam sobolem sermone converso,

Vos^w soli ingrati, quos urit gratia: ejus
Omne opus arbitrio vultis subsistere vestro.
Et quod non cuncti mortales atria vitæ,
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendere putatis,
Ut tam ex judicio constet ejusque quod intrat,

* Hieronym. Proœm. in lib. 1. commentar. Hieremiæ.

^u Augustin. de peccat. origin. cap. 21.

^w Prosp. de Ingrat. cap. 1.

^w Id. ib. cap. 34.

Quam quod non intrat : ceu par in utrumque facultas
 Suppetat ; ut tam sit proprium bona quam mala velle.
 I procul insana impietas, artesque malignas
 Aufer ; et authorem comitare exclusa Britannum.

Similiter in elegis, quibus B. Augustini obtrectatorem perstrinxit, e schola vel Pelagii Britanni vel Juliani Campani prodeuntem :

Aut hunc fruge sua æquorei pavere Britanni
 Aut huic Campano gramine corda tument :

Sive ut in duobus antiquissimis Bedæ^x codicibus, et Henrico Huntingdoniensi^y, versum illum citatum invenio ;

Aut hic Campano gramine corda tument.

Accedat et illud Pauli Orosii, “ Dominus^z Christus summo præmio fidei dignum judicat ; si quis hæc filium Dei posse crediderit : et Britannicus noster mox ut voluerit se posse confidit :” Ita ille in apologetico de arbitrii libertate contra Pelagium : quem ut “ latos^a humeros gestantem robustamque cervicem, præferentem etiam in fronte pinguedinem,” sed et mutilum^b quoque et *μονόφθαλμον* ibi depingit.

Patrio nomine Morgan dictum fuisse aiunt. Morgan autem Britannis Marigenam^c, sive pelago ortum denotat : unde et Latinum Pelagii^d deductum est vocabulum : ad quod vocis etymon alludens Julianus libro primo posterioris adversus Augustinum operis pro Cælestianis et Pelagianis suis ita in orthodoxos ecclesiæ filios invehitur : “ Vos imperitis authoribus de nominibus Catholicorum virorum, qui propter fidem apostolicam quam tuemur nobiscum laborant, cietis inanem fragorem : ut qui timuissent Cælestiani a vobis dici, amitterent cælestis fidei dignitatem ; et qui expavissent, ne a vobis Pelagiani dicerentur, in Manichæorum pelagus præcipitarentur.” Hac enim *παρονομασία* Pelagii nomen a pelago derivatum innuit ;

^x Bed. lib. 1. hist. cap. 10. MS.

^y Huntingd. hist. lib. 1.

^z Oros. apol. pag. 633. edit. Mogunt. ann. 1615.

^a Ibid. pag. 666.

^b Ibid. pag. 639.

^c Vid. Camden. pag. 496.

^d פֶּלַגְיָא תַּרְסִין Pelagii hæretici meminit etiam R. Abraham. Zachutus in libro Jochasin, fol. 144.

sicut et Cœlestii a cœlo: quanquam sine dipthongo Κελεστίον et Κελεστιανός a Græcis semper scribi observaverim.

“Natum in Britannia citeriore” Polydorus Vergilius^e, in ea illius parte quæ Cambria vocatur, Johannes Balæus^f indicat: “eodemque die quo ille in Anglia (quod nomen citerior Britannia nondum tum obtinuerat) natus tenebras errorum toti mundo effudit, summum Ecclesiæ lumen Augustinum in Africa emicuisse;” ex Wasfila nescio quo, vetustissimo tamen, si illi credimus, historiæ ecclesiasticæ scriptore, refert Dempsterus^g: Cantabrigiensem doctorem illum faciunt Nicolaus Cantelupus^h et Johannes Caiusⁱ; Bangorensis abbatem, alii. Sic enim de Cantabrigia sua Cantelupus: “Cum Pelagius ejusdem civitatis doctor præcipuus in hæresim cecidisset, contra eum surrexerunt alii fideles: propter quod denuo vastata est civitas a Pelagii fautoribus, qui asserunt hominem sine gratia posse salvari.” De aliorum illorum sententia Ranulphus Cestrensis in Polychronico: “Tradunt^k nonnulli Pelagium fuisse abbatem apud famosum illud monasterium de Bangor; quod per decem miliaria a Legecestria^l distat:” alterum enim illud ejusdem nominis in Hibernia nostra, post Pelagii tempora, a Congello sive Comgallo institutum fuisse constat. Atque in horum numero Johannes Tinmuthensis est reponendus, in vita Albani, ita de illo scribens: “Circa annum Domini quadringentesimum quartum Pelagius Brito abbas illius famosi monasterii de Bangor extitit; ubi duo millia monachorum et centum, laboribus manuum vitam suam ducentium, sub uno abbate militarunt.”

Ut autem e Britannia Pelagium, ita e vicina nostra Hibernia, quæ vetus Scotia fuit, prodiisse illius Phineam (uti appellat Orosius^m) Celestium, ex Hieronymi in prophetam Hieremiam commentariis colligimus: “Nuper,”

^e Polydor. Anglic. hist. lib. 3.

^f Bal. centur. 1. scriptor. Britan. cap. 28.

^g Dempst. hist. Scotor. lib. 15. num. 1012.

^h Cantelup. in Cantabrig. historiola.

ⁱ Cai. hist. Cantabrig. lib. 1. pag. 27.

^k Polychronic. lib. 4. cap. 31.

^l West-chester. Vid. supr. cap. 5. pag. 84. cap. 6. pag. 161. csp. 7. pag. 194.

^m P. Oros. apologetic. contra Pelagium, pag. 663.

inquit ille in primi libri proœmio, “ in doctus calumniator erupit, qui commentarios meos in epistolam Pauli ad Ephesios reprehendendos putat. Nec intelligit, nimia stertens vecordia, leges commentariorum, &c. nec recordatur stolidissimus et Scotorum pultibus prægravatus, nos in ipso dixisse opere : Non damno digamos, imo nec trigamos, et si fieri potest octogamos : plus aliquid inferam, etiam scortatorem recipio pœnitentem.” Atque hujus Scoti præcursorem ibi dicit fuisse Grunnum : quo usitato sibi nomine designat is Rufinum, jam vita functum ; a quo, dum Romæ viveret, damnatum illud de negata peccati traductione dogma se accepisse, ipsum Celestium supra confitentem audivimus. Sed clarius in tertii libri proœmio exprimit ista Hieronymus ; de Pelagio, domestico et intimo Celestii magistro, verba faciens : “ Hic tacet, alibi criminatur ; mittit in universum orbem epistolas biblicas, prius auríferas, nunc maledicas : et patientiam nostram, de Christi humilitate venientem, malæ conscientiæ signum interpretatur. Ipseque mutus latrat per Alpinum canem grandem et corpulentum, et qui calcibus magis possit sævire, quam dentibus. Habet enim progeniem Scoticæ gentis, de Britannorum vicinia : qui, juxta fabulas poetarum, instar Cerberi spirituali persecutiendus est clava, ut æterno cum suo magistro Plutone silentio conticescat.”

His enim “ ænigmaticis” formulis describit Pelagium atque Celestium,” rectissime animadverit Baronius : quos^o in epistola etiam ad Ctesiphontem, producto illo, quod in ipso operis^p hujus vestibulo a nobis est positum, Porphyrii testimonio, “ patriæ nomine expressisse” Hieronymum affirmat ; “ dum Britanniæ tyrannorum fertilis, et Scoticæ gentis meminit.” Ut enim Pelagium et Britonem et Britannum, (ne quis inter hæc vocabula discrimen hic aliquod cum Christophero Browero^q aucupetur) a Prospero esse habitum ostendimus^r : ita Scotum fuisse

^o Baron. ann. 410. sec. 61.

^o Id. ann. 411. sec. 44.

^p Supr. cap. 1. pag. 11.

^q Brower. not. ad Venant. Fortunat. lib. 3. epigram. 8.

^r Supr. pag. 251.

Celestium, ex Hieronymo non male deducit Robertus Personius⁹. Nam qui Pelagium natione Scotum fuisse hinc eliciunt, non satis animadvertisse videntur, manifeste ab Hieronymo distingui hoc in loco Plutonem (ut illi vocare libuit) a Cerbero, mutum magistrum, cujus progeniem omnino non commemorat, a latrante discipulo, quem Scoticæ gentis fuisse asserit: neque etiam considerasse, quum ista scriberet Hieronymus, Pelagium adhuc post carecta latuisse; et callide dissimulata sua hæresi, eam per discipulos in publicum proposuisse. Unde ad eum, in tertio dialogorum libro, idem Hieronymus: “O te felicem! cujus præter discipulos nemo conscribit libros: ut quidquid videris displicere, non tuum, sed alienum esse contendas.”

“Novam^t hanc ex vetere quæstionem, et novam^u ex vetere hæresim,” atque illius magistros “novos^w ex veteribus hæreticos” appellat Hieronymus; quod veteres illi errores non renovaverint modo, sed aliis etiam de suo appositis laciniis egregie interpolaverint. “Quis enim unquam” inquit Vincentius Lirinensis^x, “ante profanum illum Pelagium, tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii; ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum, necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum discipulum ejus Celestium, reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit adstrictum?” Istos namque vel authores vel certe acerrimos notissimosque suasores novæ hujus hæreseos extitisse, in epistola ad Optatum affirmat Augustinus, qui de iisdem etiam alibi^y: “Hujus, inquit, perversitatis authores vel perhibentur vel etiam probantur; vel certe si authores non sunt, sed hoc ab aliis didicerunt, assertores tamen atque doctores, per quos id latius reptaret et cresceret, et verbis

⁹ Person. de convers. Angl. part. I. cap. 3. sec. 10.

^t Hieronym. initio epistolæ ad Ctesiphont. contra Pelag. op. tom. 4. par. 2. pag. 474.

^u Id. lib. 1. in Hierem. cap. 2. et 3. item lib. 6. in Hierem. cap. 30.

^w Id. lib. 5. in Hierem. cap. 25.

^x Vincent. Lirinens. advers. hæres. commonitor. cap. 34.

^y Augustin. de peccat. original. cap. 23.

et literis suis, et competentibus indiciis, et fama ex his omnibus surgente et crebrescente jactantur."

Postrema est hæc earum hæreseon, quas in libro ejus argumenti ad Quodvultdeum scripto Augustinus commemorat: "Pelagianorum^z, inquit, est hæresis hoc tempore omnium recentissima, a Pelagio monacho exorta: quem magistrum Celestius sic secutus est, ut sectatores eorum Celestiani etiam nuncupentur." Eam exortam etiam notat idem in^a libro de gestis synodi Palæstinæ contra Pelagium, "non ab episcopis, seu presbyteris, vel quibuscunque clericis, sed a quibusdam veluti monachis." Et cum inter clericos non numerarentur monachi, quorum longe diversas fuisse rationes, ab Hieronymo^b quoque est notatum, in laicorum censu Pelagium a Zosimo^c papa et Orosio^d collocari neutiquam est mirandum. "Ministrum mensarum" quidem Orosius^e illum vocat: non quod diaconus esset tamen, sed quod "balneis epulisque nutritus," ut alibi^f objectat idem, aliorum mensas^g, quod illi Isidorus Pelusiota quoque vertit vitio, studiosius consecraretur. Affirmat Balæus^h, illum in oriente "ex earum partium monacho præsulem ordinatum, sui nominis hæresim fabricasse:" Prateolusⁱ etiam, "a quibusdam Catholicis ad episcopalia munera obeunda esse perductum;" ejusque rei authorem laudat ille divum Hieronymum. Sed neque apud Hieronymum, neque apud antiquiorem illorum aliquem, de episcopali vel etiam clericali Pelagii munere verbum occurrit ullum: ut nec de episcopatu, quem pari liberalitate ibidem tribuit Balæus satelliti ipsius Cœlestio, sive, ut is Gen-

^z August. de hæres. cap. 88.

^a Id. de gest. Palæst. cap. 35.

^b Hieronym. ad Heliodor. epist. 5. op. tom. 4. par. 2. pag. 10. et ad Paulin. epist. 49. Ibid. pag. 565.

^c Zosim. ad African. epist. 4. tomo 1. Concil. pag. 607. edit. Colon. ann. 1606.

^d Oros. apologetic. pag. 622, et 623.

^e Id. Ibid. pag. 633. fin.

^f Ibid. pag. 666.

^g *Ἐπεινῶν τὰς τραπέζας*. Isidor. Pelus. lib. 1. ep. 314. Hieronym. dicit quod Pelagius Brito post Arrium successit, et in oriente in Syria Palæstinæ Pelagius a quibusdam catholicis ad temporalia vel episcopalia est perductus. Bernardus Lutzenburgius, in catalogo Hæreticor. lib. 3. in Pelagio.

^h Balæ. cent. 1. cap. 38.

ⁱ Prat. Elench. hæres. lib. 14. cap. 14.

nadii corruptam lectionem secutus, eum vocat, Cœlestino. Presbyterii quidem hic honorem, in^k Africa ob hæresis infamiam denegatum, in^l Asia tandem est consecutus: sed quum primum in lucem producta est ista hæresis, simplex omnino monachus erat tam Celestius quam Pelagius.

Et monachum quidem fuisse Pelagium, præter Augustinum, synodi quoque Palæstinæ acta^m, et Johannes Chrysostomusⁿ, et discipulus ipsius Isidorus Pelusiota^o, et Isidorus Hispalensis^p, et Photius Patriarcha^q, et recentiorum plurimi consentiunt. E monasterio quoque prodiiisse Celestium, in ecclesiasticorum scriptorum catalogo testis est Gennadius. "Celestius," inquit, "antequam Pelagianum dogma incurreret, imo adhuc adolescens, scripsit ad parentes suos de monasterio epistolas in modum libellorum tres, omnibus Deum desiderantibus necessarias. Moralis siquidem in eis dictio: nihil ibi vitii postmodum proditi, sed totum ad virtutis incitamentum tenuit." De libris etiam a Pelagio ante publicatam hæresim exaratis ita scribit idem: "Pelagius^s hæresiarcha, antequam proderetur hæreticus, scripsit studiosis tres necessarios de fide Trinitatis libros: et pro actuali conversatione eulogiarum ex divinis scripturis librum unum, capitulorum indicium in modum S. Cypriani martyris præsignatum." Hic enim se^t, in scripturarum testimoniis sub titulis certorum capitulorum digerendis, imitatorem imo expletorem operis B. Cypriani ad Quirinum, fuisse gloriatus est: hoc se dicens facere ad Romanum, (ei enim librum dedicaverat) quod ille fecerat ad Quirinum. In quo tamen

^k August. epist. 147. ad Hilarium op. tom. 2. pag. 552. Oros. apologetic. pag. 621.

^l Concil. Milevitan. epist. ad Innocent. P. inter Augustinian. num. 176. op. tom. 2. pag. 621. Zosim. P. epist. 3, et 4. ad Africanos, tom. 1. Concil.

^m Augustin. de gestis Palæstin. cap. 14, 19, 20, 33, et 35.

ⁿ Chrysost. ad Olympiad. epist. 4. op. tom. 3. pag. 577.

^o Isidor. Pelusiot. lib. 1. epist. 314. Πελαγίῳ μοναχῶ

^p Isidor. Hispal. Origin. lib. 8. cap. 5.

^q Phot. bibliothec. num. 53.

^r Gennad. catalog. vir. illust. cap. 44.

^s Ibid. cap. 42.

^t Hieronym. contra Pelag. lib. 1. op. tom. 4. par. 2. pag. 503. et lib. 3. ibid. pag. 545. Augustin. ad Bonifac. lib. 4. cap. 8, 9. op. tom. 10. pag. 480, et 484.

sive testimoniorum^u sive capitulorum^v opere (ex quo Balæus^w trium librorum titulos videtur efformasse; de moribus clericorum, librum unum; pro vita actuali, librum unum; eulogiarum ex scripturis, librum unum) expressa hæreseos illius deprehendi vestigia, loca tum in gestis^x Palæstinis, tum in Hieronymi^y contra Pelagium dialogo inde producta satis ostendunt: quod idem de expositionibus^z in Paulum, et libro de liberi arbitrii vigore sentiendum: quæ Balæus ante conditas hasce hæreses composuisse illum ait. Nam quod de libris duobus ad Bonifacium comitem, et altero ad Albinam et Melaniam scripto subjungit idem; ut omni autoritate penitus destitutum merito negligimus; utcunque ex eo in Gesnerianæ bibliothecæ epitomen, indeque in Possevini apparatus, et istos et ejusdem generis alios quam multos commentitios titulos translatos esse videamus.

Quando vero primum eruperit ista hæresis, inter scriptores non satis convenit. Annales Anglo-Saxonici, "Maximi tyranni tempore, Pelagianam hæresim ortam et divulgatam esse" tradunt. Sexennio post excessum hujus emersisse Johannes Major^a indicat. "Anno enim CCCXCIV. post partum virgineum," secundum illum, "virus pestiferum Pelagius Brito in Ecclesia seminavit, gratiam Dei negans." Sed serius apparuisse illam hæresim, maximo nobis argumento est; quod illi nondum adhuc exortæ occurrisset se dicit Augustinus, in libris a se jam episcopo^b conscriptis atque editis: ut "in^c primi libri posterioribus partibus, eorum duorum quos sui episcopatus initio, antequam Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem episcopum scripsit:" et in libris confessionum postea exaratis. Quid enim, inquit, "meorum^d opusculorum frequentius et delectabilius inno-

^u Augustin. ad Bonifac. lib. 4. cap. 8. Oros. apologetic. pag. 631.

^v Augustin. de gest. Palæstin. cap. 3. et 30.

^w Balæus centur. 1. cap. 38.

^x Augustin. gest. Palæstin. cap. 1, 3, 4, 5, 6.

^y Hieronym. contra Pelag. lib. 1.

^z Supr. pag. 251.

^a Major de gest. Scotor. lib. 1. cap. 15.

^b Augustin. retract. lib. 2. cap. 1. et 6.

^c Id. de dono perseverantiæ, cap. 21.

^d Id. ib. cap. 20.

tescere potuit, quam libri confessionum mearum? cum et ipsos ediderim antequam Pelagiana hæresis extitisset. In eis certe dixi Deo nostro, et sæpe dixi: Da quod jubes, et jube quod vis. Quæ mea verba Pelagius Romæ, cum a quodam fratre coepiscopo meo fuissent eo præsentate commemorata, ferre non potuit; et contradicens aliquanto commotus, pene cum eo qui illa commemoraverat litigavit." Prosper autem Aquitanicus Augustinum, "et^e ab exordio episcopatus sui, multo prius quam impugnatores gratiæ exurgerent, pro gratia disputavisse," et in Olybrii et Prohini consulatu, id est, æræ nostræ Christianæ anno CCCXCV, episcopum ordinatum fuisse testatur^f, quando et mortuo Theodosio filii ejus, Arcadius et Honorius, in imperii administratione successerunt.

Horum igitur "temporibus^g Pelagium Britonem Dei gratiam impugnasse," et "contra^h auxilium gratiæ supernæ venena suæ perfidiæ longe lateque dispersisse," a Beda recte est traditum: sed quoto potissimum imperii ipsorum anno, nondum liquet. Ad sextum, qui æræ nostræ quadringentesimo respondet, in breviori chronico, quod Tironi Prospero tribuitur, habetur annotatum. "Pelagius vesanus doctrina execrabili ecclesiam commaculare conatur." In Isidori Mercatoris conciliorum farragine, synodus Milevitana Arcadio et Honorio V. consulibus, id est, anno Christi CCCCII. habita, octo habet hujus hæresi oppositos canones: quorum quinque primi postrema quinque capitula constituunt distinctionis quartæ de consecratione; a Gratiano producta "ex concilio Milevitano cui interfuit Augustinus et Anselmus Romanæ Ecclesiæ legatus contra Pelagianos." Sed neque Anselmi hujus apud alium aliquem ulla occurrit mentio: et ex viginti et septem Isidori canonibus, tertius decimus tantum, cum duobus sequentibus, ad Milevitaneum hoc concilium pertinet. Reliqui enim omnes ex aliis Africanis synodis huc sunt translati: et nominatim octo isti contra Pelagianos, ex magno concilio Carthaginiensiⁱ anno

^e Prosper contra collator. cap. 43.

^f Id. in chronico.

^g Bed. libell. de sex ætatibus.

^h Id. in histor. lib. I. cap. 10.

ⁱ Cod. Canon. Eccles. African. a Justello edit. pag. 289. 290.

CCCCXVIII. congregato: cui et “Romanæ^k Ecclesiæ legationem interfuisse” legimus: a Zosimo^l papa eo missis Faustino, Philippo et Asello; quem Gratiani Anselmum esse censet Antonius Augustinus^m. Itaque ad Pelagianæ hæreseos primordia investiganda ex Milevitana hac pseudo-synodo parum ad nos provenit subsidii.

Inter posterioris ævi scriptores Matthæus Florilegus, “anno gratiæ CCCIV. exortam esse hæresim Pelagianam ait, a Pelagio quodam natione Britannico inventam.” Eundem annum assignat et Sigebertus: licet VII. Arcadiani et Honoriani imperii simul appositus, ad eum nos ducat annum, qui Milevitanum Concilium proxime antecessit. In vulgato Hermanni contracti Chronico, a Sangallensi monacho interpolato, anno ejusdem imperii XII. qui illi CCCCVII. nobis CCCCVI. Christi annus est, “Pelagius Brito Dei gratiam impugnasse” legitur. Pro quo facit et Chrysostomi epistola ad Olympiadem, in qua Pelagii lapsus, re adhuc recenti, ita ille commemorat: “Σφόδραⁿ ἤλγησα ὑπὲρ Πελαγίου τοῦ μονάζοντος. Ἐννόησον τοίνυν ὄσων στεφάνων ἄξιοι εἰσιν οἱ γενναίως σπάντες, ὅταν ἄνδρες ἐν ἀσκήσει τοσαύτη διάγοντες καὶ καρτερίῳ, οὕτω φανῶσιν ὑποσυρόμενοι: De Pelagio monacho magno dolore affectus sum. Cogita igitur, quot quantisque coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt; cum viros qui tam pie ac sancte tantaque cum tolerantia vixerunt, abripi atque in fraudem impelli videamus.” Data fuit hæc epistola ex Armeniæ oppido Arabisso; quo exul anno Domini CCCCV. perductus est Chrysostomus: eodem videlicet anno quo ad Paulinum Nolanæ urbis episcopum a Pelagio alia missa est epistola; cujus in literis ad Innocentium I. anno CCCCVII. scriptis, ita ipse meminit. “Legant illam epistolam, quam ad sanctum virum Paulinum episcopum ante duodecim fere annos scripsimus; quæ trecentis forte versibus nihil aliud quam Dei gratiam et auxilium confitetur, nosque nihil omnino boni facere posse sine

^k Cod. Canon. Eccles. African. a Justello edit. pag. 322.

^l Ibid. pag. 38.

^m Ant. Augustin. de emendat. Gratian. lib. I. dialog. 2.

ⁿ Chrysost. ad Olympiad. ep. 4. op. tom. 3. pag. 577.

Deo:" et de qua subdit Augustinus, " Hanc^o epistolam legi, et inveni eum pene per totam non immorari nisi in facultate et possibilitate naturæ, et pene ibi tantum Dei gratiam constituere: Christianam vero gratiam tanta brevitate, sola nominis commemoratione, perstringit, ut nihil aliud videatur, quam eam tacere timuisse."

Neque vero magis ex illa ad Olympiadem epistola, colligere possumus, cum Baronio^p, in oriente tum fuisse Pelagium, quam ex altera illa ad Paulinum, vixisse in Italia. Urbe quidem post quinquennium ab Alarico capta, transmarina illum loca petiisse, et Hierosolymis sedem tandem fixisse, in sequente capite ostendemus: sed ante id tempus, et discipulum ipsius Cœlestium^q Romæ a Rufino in hæresi fuisse confirmatum; et ipsum Pelagium diu^r, imo diutissime^s in urbe vixisse, et pravorum ibi dogmatum sementem fecisse, ex Augustino jam ostendimus. Unde cum Pelagium postea in Syria Palæstinæ, ubi primum monachum vixisse, et perfidiam suam animo concepisse; recentiorum^t quidam crediderunt, Johannes episcopus Hierosolymitanus suo iudicio vel absolvendum vel condemnandum postularet; ab Orosio^u et aliis qui aderant Latinis contra clamatum est, " Latinum esse hæreticum, et hæresim Latinis magis partibus notam Latinis iudicibus disserendam." Neque audiendi etiam Sigebertus Gemblacensis, Martinus Polonus, et alii^v, qui in Britannia execrabilem hanc doctrinam in lucem ab illo productam traderunt: licet eo spectare videantur Thomæ Waldensis verba illa, in doctrinalis sui ad Martinum-V. proœmio, patriam suam ab istius infamiæ labe vindicare laborantis.

^o Augustin. lib. de gratia Christi cap. 35. op. tom. 10. pag. 246.

^p Baron. ann. 405. sec. 7.

^q Augustin. de peccat. original. cap. 3. op. tom. 10. pag. 254.

^r Id. ibid. cap. 8. pag. 256. et epist. 177. ad Innocentium. op. tom. 2. pag. 622.

^s Id. de peccat. original. cap. 21. op. tom. 10. pag. 263.

^t Gabr. Prateolus, in hæreticorum catalog. Claud. Menard. in notis ad opus Augustini imperfectum contra Julianum: et Dionys. Petavius, in rationar. tempor. part. 1. lib. 6. cap. 15.

^u Oros. apologetic. pag. 624. 625.

^v Conradus a Liechtenaw abbas Urspergens. in chron. anno 403. " Eodem tempore in Britannia Pelagius doctrina execrabili Ecclesiam maculare nititur."

“ Si ibi nata est Pelagiana perfidia, ibi damnata est, et exilio relegata in Asiam, ipsa eadem gente providente remedium.” Verum de Pelagiana hæresi e Britannia Germani et Lupi opera expulsa illum loqui, sequentia plane indicant: ut ipsum Pelagium “ a suis Britannis in exilium pulsum” fuisse, Balæus^x non recte hinc intulerit. Cui neque illud assentior; Pelagium, peregrinatione confecta, “ cum impositricis doctrinæ fæcibus in patriam suam reversum, omnem illam regionem conspurcavisse.” In quo authorem secutus ille fuisse videtur catalogi hæreticorum concinnatorem Bernardum Lutzenburgium^y: ut et Gabriel Prateolus, de eodem ita scribens: “ Tandem^z in patriam reversus, suis erroribus undique respersis, Britannicam insulam eisdem quoque infecit; idque Arcadii imperatoris ac Innocentii hujus nominis primi summi Romanorum pontificis temporibus, circa annum Domini CCCCV.” Sed ut eo tempore, et multis post annis, longe illum a patriæ finibus abfuisse, ex authorum qui tum vixerunt certissimo constat testimonio: ita post diuturnam illam peregrinationem, domum aliquando rediisse, absque omni veterum autoritate affirmatur.

^x Balæ. centur. 1. cap. 38.

^y Lib. 3. in Pelagio: “ Monachus existens e Roma in Angliam proficiscens, insulam illam omnem execrabili infecit errore.” Similiter Jacobus Philippus Bergomas, supplem. chronic. lib. 9. ad annum Christi, 410. Et Hertmannus Schedel. 6. ætat. mundi: “ Pelagius quidam monachus et hæresiarcha pessimus, e Roma in Angliam proficiscens, insulam illam omnem execrabili infecit errore.”

^z Prateol. Elench. hæres. lib. 14. cap. 14.

CAP. IX.

Rerum adversus Pelagium Britannum et Celestium Scotum, Innocentii Romani episcopi temporibus, gestarum historia. Quantum creverit pernicioza istorum hæresis; quibus potissimum in locis propagata, quibus scriptis et artibus ab eis propugnata fuerit. Conventus Carthaginiensis in Celestii, Hierosolymitanus et Diospolitani in Pelagii examine quid egerit. Scripta ab Augustino, Hieronymo et Orosio illis opposita: et damnationis ab utraque synodo Africana, Carthaginiensi et Milevitana, atque Innocentio pontifice lata in eos sententia.

Post exortam in partibus Romanis Pelagii Britanni hæresim, et a Romanis amissa^a est Britannia, e qua Belgicis et Germanicis præsiidiis annonam^b advehere prius solebant, et ipsa Roma ab Alarico Gotho capta est. Cujus cladis imaginem Demetriadi virgini ita graphice repræsentavit ille ipse Pelagius: "Recens^c factum est, et quod ipsa audisti; cum ad stridulæ buccinæ sonum Gothorumque clamorem, lugubri oppressa metu domina orbis Roma contremuit. Ubi tunc nobilitatis ordo? ubi certi et distincti illius dignitatis gradus? Permista omnia et timore confusa: omni domni planctus, et æqualis fuit per cunctos pavor. Unum erat servus et nobilis; eadem omnibus imago mortis; nisi quia eam magis timebant illi, quibus fuerat vita jucundior. Si ita mortales timemus hostes et humanam manum; quid faciemus cum clangore terribili tuba intonare de cælo cœperit; et ad illam archangeli vocem omni buccina clariorem, totus simul remugiet mundus? cum viderimus super nos non manufacta arma con-

^a Zosim. hist. lib. 6. Bed. lib. 1. hist. cap. 11. Ethelwerd. chronic. lib. 1.

^b Ammian. Marcellin. hist. lib. 18. Eunap. Sardin. in eclogis legationum ab Hæschelio edit. Zosim. hist. lib. 3.

^c Inter Augustinianas, epist. 17. op. tom. 2. app. pag. 17.

cuti, sed et virtutes cœlorum commoveri?" et ad eandem Demetriadem quoque beatus Hieronymus: "Dudum^d inter barbaras tremuisti manus, aviæ matrisque sinu et palliis tegebaris. Vidisti te captivam, et pudicitiam tuam non tuæ potestatis: horruisti truces hostium vultus; raptas virgines Dei gemitu tacito conspexisti. Urbs tua, quondam orbis caput, Romani populi sepulchrum est."

Mense^e post urbem a Gothis captam decimo, apud Carthaginem celeberrima illa inter Catholicos et Donatistas habita est collatio: quo tempore adfuisse ibi Pelagium, indeque festinanter transmarina loca petiisse, ex Augustino didicimus, ita de eo scribente: "Posteaquam^f in Africam venit, me absente, nostro (id est, Hipponensi) littore exceptus est, ubi omnino nihil ab illo hujusmodi auditum est; quia et citius quam putabatur inde profectus est. Postmodum ejus faciem Carthagine, quantum recolo, semel vel iterum vidi; quando cura collationis, quam cum hæreticis Donatistis habituri eramus, occupatissimus fui, ille vero etiam ad transmarina properavit." Quænam loca illa fuerint, nominatim non explicat. "In Ægyptum et Syriam, aliasque orientis regiones pervenisse" illum ait Balæus^g. Et per Ægypti certe monasteria aliquo tempore discurrens, ex sequente hac Isidori Pelusiotæ, ad ipsum Pelagium scripta, apparet epistola: "Τῶ^h Ἐφραῖμ ἐξήνθησαν πολιαί, ἀλλ' οὐκ ἔγνω, νεάζων τοῖς πάθεσι. Καὶ σε πολὺς ὄχλος ἐτῶν περιέστη, ἀλλ' ἔτι ἀκαμπὲς ἔχεις τὸ φρόνημα, ἀλλήν μονὴν ἐξ ἄλλης ἀμείβων, καὶ πασῶν ἐρευνῶν τὰς τραπέζας. Εἰ οὖν κνίσσης μέλει σοὶ καὶ ὄψων καρκείας, τοὺς ἐν τέλει μᾶλλον κολάκευε, καὶ τὰς πόλεις τοῖς καπνοδόχοις ἐρεῦνα· ἐρημῖται γὰρ ἄνθρωποι σε δεξιούσθαι προσφιλῶς οὐκ ἀρκοῦσι. Caniⁱ effusi sunt in Ephraim, et ipse ignoravit; vitiosis nimirum affectionibus juvenescens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba caniciem invexit:

^d Hieronym. ad Demetriad. epist. 97. op. tom. 4. par. 2. pag. 786.

^e Ann. CCCCXI.

^f Augustin. de gest. Palæstin. contra Pelag. cap. 22.

^g Bal. centur. 1. cap. 38.

^h Isidor. Pelusiot. lib. 1. epist. 314.

ⁱ Ose. cap. 7. ver. 9.

et tamen rigidum atque inflexum animum habes; ex alio monasterio ad aliud subinde migrans, atque omnium mensas perscrutans et explorans. Quamobrem si tibi carniū nidor, atque obsoniorum condimentum curæ est; iis qui magistratus gerunt potius blandire, atque urbium caminos vestiga. Neque enim homines eremitæ facultates eas habent, ut te, quemadmodum tibi gratum est, excipere valeant."

Hæsit^k autem in Africa primarius Pelagii discipulus Celestius: ubi "in^l Carthaginiensis civitatis ecclesia jam ad presbyterii honorem surrepere cœperat; sed fidelissima libertate fratrum propter has contra Christi gratiam disputationes usque ad iudicium episcopale perductus est." Cum enim "per^m ora eorum, qui Pelagii discipuli ferebantur, dogmata ista ferrent," atque "istaⁿ hæresis plurimos decepisset, et fratres quos non deceperat conturbaret; Celestius ad iudicium Carthaginiensis ecclesiæ perductus, episcoporum sententia condemnatus est." Tempus quo habita est ista synodus, Aurelii Carthaginiensis episcopi, qui ei præfuit, et coepiscoporum epistola^o, sub exitum anni CCCCXVI. ex alia Carthaginiensi synodo ad Innocentium papam scripta, patefacit: ubi ecclesiasticum hoc iudicium "ante ferme quinquennium apud ecclesiam Carthaginiensem agitatam" fuisse dicitur. Accusationis libellus concilio a Paulino Carthaginiensi diacono porrectus est: ex quo Celestius convictus est doctus,

I. Adam^p mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.

II. Quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, et non genus humanum.

III. Quod lex sic mittat ad regnum, quemadmodum et evangelium.

IV. Quod ante adventum Christi fuerint homines sine peccato.

V. Quod infantes nuper nati in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.

VI. Quod neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat.

^k Ann. CCCCXII.

^l Augustin. epist. 157. ad Hilarium.

^m Id. de gest. Palæstin. cap. 22.

ⁿ Id. ibid. cap. 35.

^o Inter Augustinianas epist. 175. op. tom. 2. pag. 617.

^p Augustin. de gest. Palæstin. cap. 11. et de peccato originali, cap. 11.

VII. Hominem esse sine peccato, et mandata Dei facile custodire, si velit.

Nam et hoc quoque in Celestio damnatum hic fuisse confirmat Orosius: qui non aliam quam hanc ipsam per Africanam synodum⁴ intelligere potuit; quandoquidem nulla alia contra Celestianos in Africa fuerit habita, quum ille in oriente apologeticum suum literis consignaret. Nam ut ista præsens synodus triennio scriptionem illam antecessit; ita plenaria illa Carthaginensis altera (quam clarissimus Vossius⁵ intellectam hic putavit) triennio eam subsecuta est.

De⁶ primo accusationis capite, Celestii et Paulini hæc habita est in synodo altercatio: "CELESTIUS. Dixi de traduce peccati me dubium esse, ita tamen ut cui donavit Deus gratiam peritiæ consentiam: quia diversa ab iis audivi, qui utique in Ecclesia Catholica constituti sunt presbyteri. PAULINUS. Dic nobis nomina ipsorum. CELESTIUS. Sanctus presbyter Rufinus, Romæ qui mansit cum sancto Pamachio. Ego enim audivi illum dicentem, quia tradux peccati non sit. PAULINUS. Est aliquis alius? CELESTIUS. Audivi et plures dicere. PAULINUS. Dic nomina ipsorum. CELESTIUS. Non tibi sufficit unus sacerdos?" De quinto, interponente se præside Aurelio, conflictio facta est ejusmodi: "AURELIUS. Docuisti, Celesti, aliquando, ut dixit diaconus Paulinus, quod infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo fuit Adam ante transgressionem? CELESTIUS. Exponat quid dixit, ante transgressionem. PAULINUS. Tu nega hoc te docuisse. Unum est ex duobus: aut neget se docuisse, aut jam damnet istud. CELESTIUS. Jam dixi: exponat quomodo dixit, ante transgressionem. PAULINUS. Nega te illa docuisse. AURELIUS. Rogo: quid collegerim ego ex hujus objectione? Dico; Adam constitutus in Paradiso, quod ante dicatur inexterminabilis factus, postea per transgressionem præcepti factus sit corruptibilis. Hoc dicis, frater Pauline? PAULINUS. Hoc Domine. AURELIUS. Status certe

⁴ Oros. apologetic. pag. 623, et 645.

⁵ Voss. histor. Pelag. lib. I. cap. 45. pag. 98. et lib. 5. part. 4. pag. 496.

⁶ Augustin. de peccat. Original. cap. 3, et 4.

infantium hodie baptizandorum utrum talis sit, qualis fuit ante transgressionem Adæ; an certe de eadem origine peccati, de qua nascitur, transgressionis culpam trahat? Hoc vult diaconus Paulinus audire. PAULINUS. Utrum docuit hoc, an non, neget. CELESTIUS. Jam de traduce peccati dixi, quia intra Catholicam constitutos plures adivi destruere, necnon et alios astruere; licet quæstionis res sit ista, non hæresis. Infantes semper dixi egere baptismo, ac debere baptizari. Quid quærit aliud?"

In libello[†] quoque suo, quem synodo tunc exhibuit, per baptismum Christi parvulorum redemptionem fieri confessus est Celestius; licet et Adam in eos transisse peccatum confiteri noluerit: "Ubi" quanquam noluerit de originali peccato aliquid expressius dicere; tamen ipso redemptionis nomine non parum sibi præscripsit. Unde enim redimendi sunt, nisi a Diaboli potestate; in qua esse non possent, nisi originalis obligatione peccati? aut quo precio redimuntur, nisi Christi sanguine; de quo apertissime scriptum est, quod in remissionem effusus sit peccatorum?" Breviter, quid actum hic fuerit, expedit Orosius^w; quum "Celestium, jam ad honorem presbyteri subrepentem, apud Carthaginem plurimis episcopis judicantibus proditum, auditum, convictum, confessum, detestatumque ab ecclesia, ex Africa profugisse" retulit. Quo speciosius tamen episcopale iudicium declinaret, simulatam ad Romanam sedem appellationem^x interposuisse videtur: quam vivente Innocentio nunquam prosecutum illum fuisse constat. Ab eo enim prius Romæ repressam fuisse hanc hæresim, non solum ex illo Prosperi^y colligimus,

— pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri —

[†] Augustin. de peccat. Original. cap. 19. et contra Julian. lib. 3. cap. 3. Concil. Carthagin. ad Innocentium P. inter Augustinianas, epist. 175.

^u Augustin. epist. 157. ad Hilarium.

^w Oros. apologetic. pag. 221.

^x Facund. Hermianens. lib. 7. cap. 3. Zosim. P. epist. 10. tom. 1. concil. pag. 611. edit. Colon. ann. 1606, et Paulin. in libello ad Zosimum. apud Baron. ann. 418. sec. 15.

^y Prosp. de ingrat. cap. 2.

sed etiam ex Facundo Hermianensi^z episcopo, qui primum Pelagianam hæresim condemnasse Innocentium expresse asserit. Male igitur de Celestio Bernardus Lutzenburgius : “ Damnavit^a ad instantiam concilii Africani hæresim Pelagianam.”

Augustinum a Carthaginiensi hac synodo abfuisse, is ipse, cum^b alibi, tum in retractationum libro secundo, capite tricesimo tertio, ita significat : “ Celestius discipulus Pelagii jam propter tales assertiones apud Carthaginem in episcopali iudicio, ubi ego non interfui, excommunicationem meruerat :” docetque tum demum scriptis adversus hanc hæresim agere se cœpisse ; editis tribus quos habemus, ad Marcellinum, qui Carthaginiensi collationi præfuerat, de peccatorum meritis et remissione, ac puerorum baptismo commentariis. “ Venit,” inquit ille ibidem, “ necessitas, quæ me cogeret adversus novam Pelagianam hæresim scribere : contra quam prius, cum opus erat, non scriptis sed sermonibus et collocutionibus agebamus, ut quisque nostrum poterat aut debebat. Missis ergo mihi a Carthagine quæstionibus eorum quas rescribendo dissolverem ; scripsi primum libros tres, quorum titulus est, De peccatorum meritis et remissione : ubi maxime de baptisate disputatur parvulorum propter originale peccatum, et de gratia Dei qua justificamur, hoc est, justi efficimur ; quamvis in hac vita nemo ita servet mandata justitiæ, ut non sitei necessarium pro peccatis dicere, Dimitte nobis debita nostra. Contra quæ omnia sentientes illi, novam hæresim condiderunt. In his autem libris tacenda adhuc arbitratus sum nomina eorum, sic eos facilius posse corrigi sperans : imo etiam in tertio^c libro (quæ est epistola, sed in libris habita propter duos quibus eam connectendam putavi) Pelagii ipsius nomen non sine laude aliqua posui, quia vita ejus a multis prædicabatur :” et in libro de gestis Palæstinis capite vicesimo secundo, post commemoratum

^z Facund. lib. 7. cap. 3.

^a Catalog. hæreticor. lib. 2. in Celestianis.

^b Augustin. de gest. Palæstin. cap. 11. et contra Julian. lib. 3. cap. 1.

^c Cap. 1, 3, et 10.

item ecclesiasticum iudicium adversus Celestium : “Salubrius sane,” ait, “adversus eos agi putabamus, si hominum nominibus tacitis, ipsi refutarentur et redarguerentur errores; atque ita metu potius ecclesiastici iudicii corrigerentur homines, quam ipso iudicio punirentur. Nec libris igitur adversus mala illa disserere, nec popularibus tractatibus cessabamus:” et capite undecimo: “Coacti sumus solitudine charitatis, quam erga Ecclesiam Christi per gratiam Christi nos habere convenit, etiam ad beatæ memoriæ Marcellinum, qui eos quotidie disputatores molestissimos patiebatur, et me per literas consulebat, de quibusdam istarum quæstionibus scribere, et maxime de baptismo parvulorum:” et in imperfecti operis contra Julianum libro primo, capite sexagesimo sexto: “Scis, in libris quos ad Marcellinum edidi, vehementer egisse contra incipientem tunc surgere hæresim vestram; ne crederetur Adam, etiamsi non peccasset, fuisse moriturum.” Ad eundem quoque Marcellinum scripsit Augustinus librum, qui in decimo operum tomo legitur, *De spiritu et litera*: in quo “acriter^d disputavit contra inimicos gratiæ.”

Alii deinde quæstionibus Carthagine ab Honorato missis, contra^e hæresim illam novam inimicam gratiæ Dei, de gratia novi Testamenti scripsit. “Habet^f enim” inquit, “adversarios; qui ejus profunditate turbati, non Deo tribuere, sed potius sibi volunt arrogare quod boni sunt. Nec tales sunt quos facile contemnas, sed continenter viventes, atque in bonis operibus laudabiles: nec falsum Christum, sicut Manichæi aliique plurimi hæretici, sed eundem verum æqualemque Patri et coæternum veraciterque hominem factum, et venisse credentes et venturum expectantes; sed tamen ignorantes^g Dei justitiam, et suam constituere volentes.” Hunc librum in manibus habuisse se indicat Augustinus, quum epistolam scriberet ad Marcellinum: quem sequente anno ab hæreticis occisum ostendimus. Hoc vero anno, ut ex eodem Augustino in gestis Palæstinis capite sexto colligimus, “Pelagii nomine pro-

^d Augustin. *Retractat.* lib. 2. cap. 37.

^f *Id.* epist. 140. op. tom. 2. pag. 455.

^e *Id.* *ibid.* cap. 36.

^g *Rom.* cap. 10. ver. 3.

dierunt libri exhortatorii vel consolatorii, ad quandam viduam conscripti, cujus nomen non est expressum": in quorum uno, post orationem Dominicam, aliam Pharisaeam orandi formulam sanctis praescribit; quam infra in Palaestinae synodi actis objectam illi invenies: in altero, "eidem^h adulans viduae, non erubuit dicere, pietatem quaenusquam reperitur in terra, et veritatem quaenusquam peregri-
grina sit, in illa potissimum commorari:" exclamans, esse illam "felicem nimium et beatam si justitia, quaenusquam esse jam non nisi in caelo creditur, apud illam solam inveniatur in terris:" in quem insurgens Hieronymus: "Docere est hoc," inquit, "an occidere? levare de terra, an praecipitare de caelo? id mulierulae tribuere, quod angeli non audeant usurpare? Si autem pietas, veritas, atque justitia non inveniuntur in terris, nisi in una muliere; ubi erunt justii tui, quos absque peccato in terris esse jactabas? Quae duo capita, orationis et laudis, soles cum tuis jurare discipulis non esse tua: cum perspicue in eis styli tui splendor eluceat, et tanta sit venustas eloquii Tulliani, ut testudineo incedens gradu, quaenusquam secreto doces mittisque venalia, publice non audeas profiteri." Addit Augustinusⁱ quorundam sanctorum fratrum testimonium, qui "se istos tanquam Pelagii libros habuisse, nec unquam utrum ejus essent ab aliquo se audisse dubitari," confirmarunt: licet ipse Pelagius in synodo Palaestina suos fuisse libros aperte negaverit.

Ea tempestate^k qua Heraclianus, Lucii in consulatu collega, "novarum in Africa rerum reus et honorem amisit et vitam, etiam Pelagium Britonem dogma nominis sui contra gratiam Christi exeruisse, multosque in errorem suum traxisse," affirmat Prosper in chronico. Et certe sub Lucii consulatu interfectum esse Heraclianum, ex Idatii et Marcellini quoque fastis cognoscimus; licet in hujus chronico ad sequentem annum ejus interitum referri perperam Baronius^l annotaverit. Marcellinum illum, ad quem contra Pelagianos scripserat Augustinus, "sub invidia ty-

^h Hieronym. contra Pelag. lib. 3. op. tom. 4. par. 2. pag. 544.

ⁱ Aug. de gest. Palaestin. cap. 6.

^k Anno 413.

^l Baron. ann. 413. sec. 2.

rannidis Heraclianæ ab hæreticis innocentem cæsum esse," sub finem dialogi tertii contra Pelagium ostendit Hieronymus: qui ad eundem epistolam secundam et octogesimam^m scribens, ex quatuordecim quos habemus in Ezechielem commentariorum libris, eo ipso quo Roma a Gothis capta est anno inchoatis, tres tantum tum perfectas fuisse agnoscit; interpositæ moræ hanc causam reddens: "Ezechielis volumen olim aggredi volui, et sponsonem creberrimam studiosis lectoribus reddere: sed in ipso dictandi exordio, ita animus occidentalium provinciarum, et maxime urbis Romanæ, vastatione confusus est, ut, juxta vulgare proverbium, proprium quoque ignorarem vocabulum; diuque tacui, sciens tempus esse lachrymarum."

In primi vero commentariorum illorum procæmio, in quo de capta urbe nuncium sibi allatum ait, æmulum suum Rufinum defunctum fuisse in Sicilia, ænigmatico loquendi genere, ut illius consuetudinis est, hunc in modum significat: "Scorpius inter Enceladum et Porphyrium Trinacriæ humo premitur, et Hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessavit: datumque tempus, quo non hæreticorum respondere insidiis, sed scripturarum expositioni incumbere debeamus:" Nec defuisse tamen Rufino successores, et inimicitiarum cum Hieronymo gestarum similes sui hæredes; in libri sexti deinde procæmio sic ipse conqueritur: "Putabam quod medio serpente confosso, non reviviscerent Hydræ novella plantaria; et juxta fabulas poetarum, Scylla mortua, nequaquam in me Scyllæi sævirent canes, qui latrare non cessant. Etⁿ hæreticis Dei percussis manu, ne tentarentur, si fieri potest, etiam electi Dei; hæresis ipsa non moritur, hæreditariis contra nos odiorum suorum catulis derelictis: qui nostra simulantes, genitricis antiquæ et pellacis Ulyssis venena non deserunt." De quibus etiam Demetriadem, virginitatem nuper professam, in octava epistola^o, hoc tempore (annis circiter triginta post editum a se librum de^p virgi-

^m Epist. 78. ed. Bened.

ⁿ *At.*

^o Epist. 97. ed. Bened.

^p Epist. 18. Hieron. ad Eustochium. op. tom. 4. par. 4. pag. 27. Vid. Baron. ann. 382. sec. 28.

nitare servanda) exarata, ita commonet: “ Dum esses parvula, et sanctæ ac beatæ memoriæ Anastasius episcopus Romanam regeret ecclesiam; de orientis partibus hæreticorum sæva tempestas simplicitatem fidei, quæ apostoli voce laudata est, polluere et labefactare conata est: sed vir ditissimæ paupertatis et apostolicæ solitudinis, statim noxium perculit caput, et sibilantia Hydræ ora compescuit. Et quia vereor, immo rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere et pullulare venenata plantaria: illud te pio charitatis affectu præmonendam puto, ut sancti Innocentii, qui apostolicæ cathedræ et supradicti viri successor et filius est, teneas fidem; nec peregrinam, quamvis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias.”

Etsi autem “ primum Pelagianam hæresim condemnavisse” Innocentium hunc, ex Facundo^q dictum sit; et ex Origenis sæcibus a Rufino in urbem illatis haustam illam fuisse non ignoremus: tamen non novam illam a Pelagio; sed veterem a Rufino invectam hæresim ab Hieronymo hic perstrictam esse facile animadvertet, qui quæ in hac ad Demetriadem epistola subsequuntur cum iis quæ in libro tertio apologiæ adversus Rufinum, capite octavo, leguntur, conferre voluerit. Neque satis adhuc perspecta illi fuit nova ista hæresis, quum commentarios in Ezechielem et epistolam ad Demetriadem scriberet. Ut enim in hac, tacito nomine, Heracliani tyrannidis; ita in illis^r, defectionis ejusdem aperte meminit. Quum vero in Hieremiam commentarios componeret, quos statim^s post illos in Ezechielem aggressum illum fuisse constat, Pelagianam hæresim caput primum extulisse et late longèque sese diffudisse (quæ Prospero quoque mens, quum ea tempestate Pelagium dogma suum “ exeruisse, multosque in suum errorem traxisse” dixit) affirmat Hieronymus: “ Commentarios in Hieremiam”, inquit, “ per intervalla dictabam, ut quod deerat otio supereset industriæ: cum subito hæresis Pythagoræ et Zenonis ἀπαθείας καὶ ἀναμαρτησίας, id

^q Supra pag. 267.

^r Hieron. lib. 9. in Ezechiel. cap. 28.

^s Hieron. fin. præm. lib. 1. et 14. comment. in Ezechiel. et initio præm. lib. 1. in Hierem.

est, impassibilitatis et impeccantiæ, quæ olim in Origene, et dudum in discipulis ejus Grunnio (ita Rufinum appellat) Euagrioque Pontico et Joviniano jugulata est, cœpit reviviscere; et non solum in occidentis sed et in orientis partibus sibilare, et in quibusdam insulis, præcipueque Siciliæ et Rhodi, maculare plerosque et crescere per dies singulos, dum secreto docent, et publice negant." Hæc, in præmio libri quarti commentariorum in Hieremiam, Hieronymus: in ipso deinde opere eorundem quoque mentionem faciens, qui^r ἀπάθειαν et impeccantiam prædicant: quibus duabus vocibus unum et eundem errorem expressum esse recte observavit doctissimus Vossius^u. Unde Paulus Orosius in apologetico contra Pelagium (ubi et^v ἀναμάρτητος meus, et ἀπαθής noster, ab illo nuncupatur:) "Si vis^w," inquit, "de immaculato qualem David orans quærit audire, vanam impassibilitatis (ita enim legendum, non, ut habetur editum, impassibilitatis) tuæ depone fiduciam; et prostratus in precibus cum propheta oratione conjungere, flens pariter ac dieens, *Delictis^x quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Si enim mihi non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Infelix ego homo, delicta, quæ nondum intelligo, quando vitabo?" Et Photius Patriarcha^y, in bibliotheca sua: "Ἐγραψε δὲ καὶ Ἱερώνυμος πρεσβύτερος πρὸς Κτησιφῶντα, κατὰ τῶν λεγόντων ἀπάθειαν, ἦτοι κατὰ Πελαγίου. Scripsit Hieronymus presbyter ad Ctesiphontem, contra impassibilitatis assertores, sive contra Pelagium."

Primum hoc fuit adversus Pelagianos ab Hieronymo editum opusculum: quod sub initia commentationum in Hieremiam susceptarum elaboratum a se esse, in earum secundi præmio ita ipse indicat. "Secundum in Hieremiam librum celeri sermone dictamus; avertentes parumper aures, ne audiamus iudicium sanguinis, et interfectorum animas deploremus, qui opinione virtutum quotidie corruunt in suæ erubiam, et Deo se similes arbitrantur: ut æqualitatem, quam impia Arianorum hæresis in filio negat,

^r Hieron. lib. 4. in Hierem. cap. 22.

^u Vossius histor. Pelagian. lib. 1. cap. 3. et lib. 5. part. 1. antithes. 7.

^v Oros. apologetic. pag. 638, 639.

^w Id. ibid. pag. 652.

^x Psalm. 19. ver. 12, 13.

^y Phot. bibliothec. num. 53.

cunctis hominibus tribuant; et ponant in cœlum os suum, et nihil futuræ sanctorum beatitudini amplius derelinquant. Quorum furori respondimus, ut potuimus: et, si Dominus vitam dederit, plenius responsuri sumus." In hac enim ad Ctesiphontem epistola justum adversus Pelagianos promittit volumen: id quod tribus contra eos scriptis dialogis postea præstitit; quorum hoc exordium, "Scripta jam ad Ctesiphontem epistola, in qua ad interrogata respondi, crebra fratrum expostulatio fuit, cur promissum opus ultra differerem; in quo pollicitus sum, me ad cunctas eorum qui ἀπάθειαν prædicant quæstiunculas responsurum:" sicut hoc, epistolæ ad Ctesiphontem: "Non audacter, ut falso putas, sed amanter studioseque fecisti, ut novam mihi ex veteri mitteres quæstionem; quæ ante literas tuas ple-rosque in oriente decepit, ut per simulatam humilitatem superbiam discerent:" ubi, paulo ante acceptas Ctesiphontis literas, novam illam ex veteri hæresim ab occidente in orientis partes, in quibus degebat Hieronymus, transiisse; atque ita utramque orbis plagam pervasisse, nota; de qua, in bibliotheca, Photius^z: "Ἡ Πελαγίανη ἦτοι Κελεστιανὴ αἵρεσις ἤκμασεν ἐν τῇ ἀνατολῇ, διεδόθη δὲ καὶ ἐν τῇ δύσει. Pelagiana seu Celestiana hæresis in oriente vigit, propagata vero etiam est in occidente."

In occidente Sicilia, in oriente Rhodus, ex Hieronymo, præcipua discipulorum Pelagii schola fuisse videatur: magistro ipsi Hierosolymis habitationis sedem collocare libuit; quod eo ex toto orbe peregrinantium turbis quotidie confluentibus, locum illum ad errores suos latissime diffundendos, maxime opportunum futurum animadverteret. Atque hinc cum Hieronymo, Bethlehemi tum comorante, instituto sibi certamine, adversus eum misit in universum orbem epistolas illas maledicas, de quibus in præfatione tertii libri commentariorum in Hieremiam conquestum illum audivimus^a: quo et illud referendum, in quarto eorundem commentariorum^b. "Utamur hoc testimonio adversus eos, qui epistolas plenas mendaciorum

^z Phot. bibliothec. num. 54.

^a Supra cap. 8. pag. 254.

^b Comm. ad Hierem. cap. 23. 15.

et fraudulentiae atque perjurii in orbem dirigunt, ut et aures polluant audientium, et existimationem simplicium laedant; quod impleatur in eis hoc, quod scriptum est: *A prophetis HIERUSALEM est egressa pollutio in omnem terram.* Non enim eis sufficit iniquitatem propriam devorare, et proximos laedere: sed quos semel oderunt, per universum orbem infamare conantur, et ubique seminare blasphemias: et in ejusdem libri prooemio, “Cui respondere, diu tacens et dolorem silentio devorans, crebra fratrum expostulatione compulsus sum: nec tamen hucusque prorupi, ut auctorum nomina ponerem; malens eos corrigi quam infamari. Nec enim hominum, sed erroris inimicus sum: qui mihi ut vicem talionis et genuinum sui doloris illiderent, veteres magistrorum suorum (Joviniani scilicet et Rufini) calumnias concinnantes, in tantum elingues et miseri demonstrati sunt, ut ne maledicere quidem suis verbis potuerint.”

Respondit autem primum, ut diximus, scripta illa ad Ctesiphontem epistola; in qua ita institutum suum ipse aperit: “Nullius in hoc opusculo nomen proprie tangitur; adversus magistrum perversi dogmatis locuti sumus: qui si iratus fuerit atque rescripserit, suo quasi mus prodetur indicio, ampliora in vero certamine vulnera suscepturus,” non alium hic magistrum intelligens, quam Pelagium: quem ad theologiam suam crypticam palam^c faciendam sic ibidem urget ac premit: “Loquere, quod credis; publice praedica, quod secreto discipulis loqueris. Qui dicis te habere arbitrii libertatem, quare non libere quod sentis loqueris? aliud audiunt cubiculorum tuorum secreta, aliud rostrorum populi. Etenim vulgus indoctum non potest arcanorum tuorum onera sustentare, nec capere solidum cibum, quod infantiae lacte contentum est. Necdum scripsi, et comminaris mihi rescriptorum tuorum fulmina; ut scilicet hoc timore perterritus, non audeam ora reserare: et non animadvertis, idcirco nos scribere, ut vos respondere cogamini, et aperte aliquando dicere, quod pro tempore, personis et locis, vel loquimini, vel tacetis.” Nam,

^c Vid. Hieronym. in proem. lib. 4. commentar. in Hieremiam.

ut paulo post ab eodem est additum, “ Sola hæc hæresis est, quæ publice erubescit loqui, quod secreto docere non metuit. Magistrorum silentia profert rabies discipulorum. Quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant: ut, si placuerit auditoribus quod dixerint, referatur ad gloriam magistrorum; si displicuerit, culpa sit discipuli, non magistri. Ideo crevit vestra hæresis, et decepistis plurimos; maximeque eos qui adhærent mulieribus.”

Neque ab istius labis suspicione prorsus immunem fuisse Ctesiphontis familiam, extremis illis epistolæ hujus verbis declarat Hieronymus: “ Illud, per te, sanctæ et illustris domus conciliabulum precor, atque commoneo; ne per unum, aut, ut multum, tres homunculos suscipiant tantarum fæces hæreseon aut, ut parum dicam, infamiam: ut, ubi primum virtus et sanetitas laudabatur, ibi præsumptionis diabolicæ et sordidissimæ societatis turpitudine versetur. Sciantque qui hujusemodi hominibus opes suggerunt, hæreticorum multitudinem congregare, et Christi hostes facere, et enutrire adversarios ejus; frustra que aliud lingua prætere, cum manu sentire aliud comprobentur.” Ubi per unum illum homunculum, ipsum intelligit hæresiarcham: quem prius ita compellaverat. “ Fratrum inter se cernis jurgia: et rides atque lætaris, quod alii tuo nomine, alii Christi appellentur.” Duo reliqui, illi videntur fuisse a Prospero commemorati, Celestius et Julianus: unus certe eorum est Celestius; de quo in hac eadem epistola Hieronymus: “ Unus discipulorum ejus, imo jam magister, et totius ductor exercitus, et contra apostolum vas perditionis, per solæcismorum, et non, ut sui jactant, syllogismorum spineta decurrens, sic philosophatur et disputat: *Si nihil ago absque Dei auxilio, et per singula opera ejus est omne quod gesserō: ergo non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium: frustra que dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit: destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus: quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero.* Ac per hoc ait. Aut utor semel potestate quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium: aut si

alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruetur. Qui hæc dicit, quam non excedit blasphemiam? quæ hæreticorum venena non superat?" Ita Hieronymus.

Ex Africa autem fugatus Celestius, recepisse se putatus est in Siciliam: unde quinque ista Pelagianæ doctrinæ capitula, inter Syracusanos hoc tempore agitata, Augustino explicanda misit Hilarius^d.

I. Posse esse hominem sine peccato; et mandata Dei facile custodire, si velit.

II. Infantem non baptizatum, morte præventum, non posse perire merito; quoniam sine peccato nascitur.

III. Divitem manentem in divitiis suis, regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit; nec prodesse eidem posse, si forte ex ipsis divitiis fecerit mandata.

IV. Non debere jurare omnino.

V. Ecclesiam^e hic esse sine macula et ruga.

Ad ista Augustini, in epistola centesima et quinquagesima septima (quam in Hierosolymitano episcoporum conventu, anno CCCCXV. habito, lectam a se fuisse testatur Orosius^f) habemus responsum; ubi laborum, quibus in hoc negotio antea perfunctus fuerat, ita meminit: "Multa de iis quæstionibus in aliis nostris opusculis et ecclesiasticis sermonibus diximus: quoniam fuerunt etiam apud nos quidam, qui ubicunque poterant hæc sui erroris nova semina spargerent; quorum nonnullos per ministerium nostrum fratrumque nostrorum misericordia Domini ab illa peste sanavit. Nec tamen hic deesse aliquos arbitror, maxime apud Carthaginem: sed jam occulte mussitant, timentes Ecclesiæ fundatissimam fidem." Tum Celestium iudicio episcopali, anno CCCCXII. Carthagine damnatum commemorat: "Sed quia magis convictus et ab Ecclesia detestatus, quam correctus et pacatus abscessit; veritus sum, inquit, ne forte ibi sit ipse qui vestram fidem perturbare conatur. Ideo nominis ipsius commemorationem putavi esse faciendam. Sed sive ipse sit, sive alii consortes ejus erroris (plures enim sunt quam sperare possumus, et ubi non redarguuntur, etiam alios ad suam sectam seducunt; et sic crebrescunt, ut nesciam quo sint erupturi) nos tamen malumus eos in Ecclesiæ compage

^d Epist. 156. inter Augustinianas. op. tom. 2. pag. 542.

^e Vid. Augustin. de gest. Palæstin. cap. 12. et 35.

^f Oros. apologet. pag. 621, 622.

sanari, quam ex illius corpore velut insanabilia membra resecari; si tamen hoc permittat ipsa necessitas.”

Ex^s Sicilia quoque ad Augustinum perlatae sunt definitiones vel ratiocinationes quaedam, Celestii nomen praeferentes (Pelagii et Celestii quaestiones appellat Prosper^h) quibus ille respondit, de perfectione justitiae ad Eutropium et Paulum episcopos scripta epistola: cujus eam ob causam in retractationum libris mentionem author videtur praetermisisse, quod eos, ut in fine ipsorum monuit, edidisset, “antequam epistolas retractare coepisset.” Est autem hujus epistolae hoc exordium.

SANCTIS FRATRIBUS ET COEPISCOPIS, EUTROPIO ET PAULO,
AUGUSTINUS.

“Charitas vestra quae in vobis tanta est et tam sancta, ut etiam jubenti servire delectet, petivit ut definitionibus quae dicuntur Celestii esse respondeam. Sic enim praenotata est eadem chartula quam dedistis: [definitiones, ut dicitur, Celestii] quae praenotatio credo, quod non illius, sed eorum sit qui hoc attulerunt de Sicilia, ubi Celestius non esse perhibetur. Sunt enim multi talia garrientes et, sicut ait apostolus, ipsi errantes, et alios in errorem mittentes. Ex illius tamen haec esse doctrina, vel etiam quorundam sectatorum ejus, et nos possumus arbitrari. Nam neque istae breves definitiones, vel potius ratiocinationes, ab illius abhorrent ingenio, quod in opere^l alio ejus inspexi, cujus eum esse constat authorem: et non frustra istos fratres, qui haec attulerunt, in Sicilia existimo audisse, quod ipse docnerit istam vel scripserit.”

Quaestionum vero, ratiocinationum, et definitionum, more Socratio ab haeretico propositarum, forma erat ejusmodi.

I. Ante omnia interrogandus est, qui negat hominem sine peccato esse posse; quid sit quodcumque peccatum? quod vitari potest, an quod vitari non potest? Si quod vitari non potest, peccatum non est: si quod vitari potest, potest homo sine peccato esse, quod vitari potest. Nulla enim ratio vel justitia patitur saltem dici peccatum, quod vitari nullo modo potest.

II. Iterum quaerendum est: peccatum voluntatis, an necessitatis est? Si necessitatis est, peccatum non est: si voluntatis est, vitari potest.

^s Ann. 414.

^h Prosp. contra Collator. cap. 43.

^l Syllogismorum: de quo supra Hieronymus. pag. 276.

III. Iterum quærendum est, quid sit peccatum? naturale, an accidens? Si naturale, peccatum non est: si autem accidens est, et recedere potest; et quod recedere potest, vitari potest, et quod vitari potest, potest homo sine eo esse quod vitari potest.

IV. Iterum quærendum est; quid sit peccatum? actus, an res? Si res est, necesse est ut authorem habeat: et si authorem habere dicitur, jam alter præter Deum rei alicujus author induci videbitur: at si hoc impium est, confiteri necesse est peccatum omne actum esse, non rem. Si igitur actus est, imo quia vere actus est, vitari potest.

V. Iterum quærendum est; utrumne debeat homo sine peccato esse? Proculdubio debet. Si debet, potest: si non potest, ergo nec debet. Et si non debet homo esse sine peccato, debet ergo cum peccato esse; et jam peccatum non erit, si illud haberi debere constiterit. Aut si hoc etiam dici absurdum est: confiteri necesse est, debere hominem sine peccato esse; et constat eum non aliud debere quam potest.

VI. Iterum quærendum est; utrum præceptum sit homini sine peccato esse? Aut enim non potest, et præceptum non est: aut quia præceptum est, potest. Nam cur præciperetur, quod fieri omnino non posset?

VII. Iterum quærendum est; an velit Deus hominem sine peccato esse? Proculdubio vult, et proculdubio potest. Quis enim tam demens est, ut vel dubitet fieri posse quod Deum velle non dubitat?

VIII. Iterum quærendum est; quomodo vult Deus hominem esse? cum peccato, an sine peccato? Proculdubio non vult esse cum peccato. Quanta hæc impietatis blasphemia sit cogitandum est: ut dicatur hominem posse esse cum peccato, quod Deus non vult; et negetur posse esse sine peccato, quod Deus vult: quasi aliquem ad hoc Deus creaverit ut possit esse quod nolit, et non possit esse quod velit; et ut contra suam magis, quam ut secundum suam existeret voluntatem.

IX. Iterum quærendum est, per quid efficitur homo cum peccato? per naturæ necessitatem, an per arbitrii libertatem? Si per naturæ necessitatem, culpa caret: si per arbitrii libertatem, quærendum est a quo ipsam arbitrii libertatem acceperit? Proculdubio a Deo. Deus autem quod dedit, certe bonum est: negari enim non potest. Qua igitur ratione bonum probatur, si magis ad malum quam ad bonum pronum est? Magis enim ad malum quam ad bonum pronum est; si homo per illud potest esse cum peccato, et non potest esse sine peccato. Proinde Deus bonum hominem fecit; et præterquam quod illum bonum fecit, bonum ei insuper ut faceret imperavit. Quam impium! ut confiteamur hominem malum esse, quod nec factus est, nec ei præceptum est, et negemus eum bonum posse esse, quod factus est, et quod ei ut faceret imperatum est.

X. Iterum quærendum est; quot modis constat omne peccatum? duobus, ni fallor: si aut illa fiant quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ jubentur. Tam certe omnia illa quæ prohibita sunt vitari possunt, quam quæ præcepta sunt perfici. Nam frustra aut prohiberetur aut juberetur, quod vel caveri vel impleri non possit. Et quomodo negabimus posse esse hominem sine peccato; cum confiteri necesse sit, eum tam omnia illa quæ vetantur posse cavere, quam quæ imperantur efficere?

XI. Iterum quærendum est; quomodo non potest homo sine peccato esse? voluntate, an natura? Si natura, peccatum non est: si voluntate, perfacile potest voluntas voluntate mutari.

XII. Iterum quærendum est : Si non potest homo sine peccato esse ? cuius culpa est ? ipsiusne hominis, an cuiuslibet alterius ? Si ipsius hominis : quomoda culpa hominis est, si hoc non est quod esse non potest ?

XIII. Iterum quærendum est : Si natura hominis bona est (quod nullus negare nisi Marcion aut Manichæus audebit) quomodo igitur bona est, si malo ei carere non est possibile ? Omne enim peccatum malum esse quis dubitet ?

XIV. Et hoc dicendum est : Certe justus est Deus : negari enim non potest. Imputat autem Deus homini omne peccatum : et hoc quoque confitendum puto : quia neque peccatum est, quicquid non imputabitur in peccatum. Et si est aliquod peccatum quod vitari non possit ; quomodo justus Deus dicitur, si imputare cuiquam creditur quod vitari non possit ?

Dum ita in occidente rem suam ageret Celestius, procedit in oriente Pelagius lucubratissimam illam, ut Orosius^k appellat, ad virginem Demetriadem epistolam ; cuius, in literis^l ad Innocentium papam, ita ipse meminit. “ Legant epistolam, quam ad sacram Christi virginem Demetriadem in oriente conscripsimus : et invenient nos ita hominis laudare naturam, ut Dei semper gratiæ addamus auxilium.” Matris vero Julianæ rogatu eam a se scriptam esse indicat : “ Nec veremur,” inquit, “ ne temere scribendo ad tantæ nobilitatis virginem ultro nos morsibus tradamus invidiæ. Scribimus enim petente sancta matre ejus, imo jubente, idque a nobis transmarinis miro cum desiderio animi flagitante : quæ facile ostendit, quo studio quantaque cura in filia germen cœleste plantaverit, dum illud tam solícite cupit ab aliis irrigari.” Habetur^m hæc epistola inter Augustinianas, numero CXLII. et inter Hieronymianas, initio tomi IV. editionis Erasmi, IX. Mariani Victorii ; qui et monuit hic Celestii nomen exemplaria quædam præ se tulisse.

Et quidem ex illius officina prodiisse tum hoc, tum alia etiam Pelagii nomine vulgata opuscula, innuit Paulus Orosius : Goliath et armigerum suum (quaⁿ appellatione Pelagium ille designare solet et Celestium) hunc in modum nobis depingens. “ Stat^o immanissimus superbia Goliath, carnali potentia tumidus, omnia se per se posse confidens ;

^k Oros. apolog. pag. 662.

^l Apud Augustin. in lib. de gratia Christi. cap. 37.

^m Vide nostram historiæ Pelagianæ continuationem ; cap. I. op. tom. 4. pag. 3, 4.

ⁿ Oros. apologetic. pag. 653.

^o Ibid. pag. 620.

caput, manus, totum insuper corpus plurimo apparatu vestitus : habens post se armigerum suum ; qui etsi ipse non dimicat, cuncta tamen æris et ferri suffragia subministrat :” et de hac epistola speciatim ipsum ita compellans Pelagium, “ Quanquam^p hoc, quod neque apte neque decore dicitur, tibi imputare non debeamus, cui neque natales dederunt ut honestioribus studiis crudireris, neque naturaliter provenit ut saperes ; sed illis dictatoribus tuis, qui miserum sensum miserrimo sermone conscribunt, et te legendum cachinnis, quasi titulum confusionis, exponunt.” Eruditam tamen et disertam esse hanc epistolam jure negari non potest : id quod de aliis etiam Pelagii discipulorum ejus scriptis profitentur ultro Augustinus et Alypius, in epistola quam ad Julianam Demetriadis matrem, ut Pelagianæ hujus antidotum, post aliquot annos transmiserunt. “ Satis^q enim (inquiunt) dici non potest, quantum cupiamus in eorum hominum scriptis, qui propter acrimoniam atque facundiam leguntur a plurimis, apertam confessionem illius gratiæ reperiri, quam vehementer commendat apostolus :” ipseque Pelagius tanta scientiæ et eruditionis eminentia claruisse quibusdam^r est visus ; ut de ejus lapsu illud apocalypseos exponendum putaverint, “ Cecidit^s de cælo stella magna.”

· Editus est a Pelagio et alius liber, in quo “ hominis naturam contra Dei gratiam qua justificatur impius, et qua Christiani sumus, quanta potuit argumentatione defendit.” In eo sententiam suam de ἀναμαρτησία sive impeccabilitate, non de ipso non peccandi actu, sed de sola possibilitate accipiendam esse, hujusmodi dialogismo indicat : “ Ego dico posse esse hominem sine peccato : tu quid dicis ? Non posse esse hominem sine peccato ? Neque ego dico hominem esse sine peccato : neque tu dicis non [posse] esse hominem sine peccato. De posse et non posse ; non de

^p Oros. apolog. pag. 662.

^q Augustin. epist. 188.

^r Dionys. Carthusian. in 2. sententiar. distinct. 23.

^s Apocal. cap. 8. ver. 10. et in eum locum Nicolaus Lyranus et Petrus Aurcolus.

^t Augustin. Retractat. lib. 2. cap. 42.

esse et non esse contendimus. Nam, *Nullus^u mundus est a sorde: et Non^w est homo qui non peccet; Non^x est justus in terra; et Non^y est qui faciat bonum; et cætera his similia; ad non esse, non ad non posse proficiunt. Hujusmodi enim exemplis ostenditur, quales homines quidam tempore aliquo fuerint, non quod aliud esse non potuerint; unde et jure inveniuntur esse culpabiles. Nam si idcirco tales fuerunt, quia aliud esse non potuerunt, culpa carent.” Et quia in hoc plurimos se offendisse cerneret, quod naturæ hic omnia, gratiæ parum aut nihil tribuisse visus esset; ad invidiam istam declinandam, duabus hac in re tanquam ab adversario propositis objectionibus ita occurrendum esse censuit.*

“ I. Potest quidem esse, sed per gratiam Dei; inquires. Respondetur. Ago humanitati tuæ gratias, quod assertionem meam, quam dudum oppugnabas, non modo non oppugnare aut confiteri solum contentus non es; verum etiam non refugis comprobare. Nam dicere; Potest quidem, sed per illud aut illud: quid aliud est, quam non solum consentire quod possit esse, verum etiam quomodo vel qualiter possit ostendere? Nullus itaque magis alicujus rei possibilitatem probat, quam qui ejus etiam qualitatem fatetur: quia neque absque re esse qualitas potest. II. Sed tu, inquires, hoc in loco Dei gratiam, quandoquidem eam non commemoras, videris abnuere. Respondetur. Ego ne abnuo, qui rem confitendo confitear necesse est et per quod res effici potest: an tu, qui rem negando, et quicquid illud est per quod res efficitur proculdubio negas? Sive per gratiam, sive per adjutorium, sive per misericordiam, et quicquid illud est per quod esse homo absque peccato potest, confitetur, quisquis rem ipsam confitetur. Nam si dixero, Homo disputare potest, avis volare, lepus currere; et non etiam per quæ hæc effici possunt commemoravero, id est, linguam, alas, pedes: num ego officiorum qualitates negavi, qui officia ipsa confessus sum?”

In summa, “ apertissime^z expressit hanc se dicere Dei

^u Job. cap. 14. ver. 4. juxta LXX.

^w 3. Reg. cap. 8. ver. 46.

^x Eccles. cap. 7. ver. 21.

^y Rom. cap. 3. ver. 12.

^z Augustin. de gest. Palæstin. cap. 10. op. tom. 10. pag. 203.

gratiam; quod possibilitatem non peccandi natura nostra cum conderetur accepit, quoniam condita est cum libero arbitrio: aliquando^a (idque tenuiter, nec aperte) ei conjungens, vel legis adjutorium, vel remissionem etiam peccatorum." De quo toto libro, "ea^b prorsus persuadere moliente, quæ gratiam Dei, per unum mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum generi humano imperitam; de fidelium cordibus creditam debeant:" gravis hæc extat Innocentii^c Romani pontificis censura. In eo "multa blasphema, nihil quod placeret, nihil quod non penitus displiceret a quovis damnandum atque calcandum: cui similia, nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret."

Librum^d hunc Augustino^e refellendum dederunt Timasius et Jacobus, "adolescentes honestissime nati, et institutis liberalibus eruditi;" ex discipulis Pelagii, cujus exhortatione, relicta seculari, monasticam vitam sunt amplexi, orthodoxi jam effecti. Quod ille egregie præstitit, edito ad eos libro de natura et gratia. "Nec^f sic tamen," inquit, "operi meo, quo eundem librum refelli, Pelagii nomen inserui, facilius me existimans profuturum si, servata amicitia, adhuc ejus verecundiæ parcerem, cujus literis jam parcere non deberem:" veritus alias, "ne^g offensus insanabilior redderetur."

Accepto libro, rescripserunt adolescentes: gratias ei agentes, cujus opera ipsi fuerant ab errore liberati; et benevolentiam præterea suam erga veterem magistrum significantes, dum cum cupiunt ab eodem liberari: ubi "nomen^h, vel nomina, ipsi quoque adhuc tacenda putaverunt; ut, vivente amicitia, error potius moreretur amicorum." Exemplumⁱ autem epistolæ, quia et brevis ea est, et ecclesiasticis annalibus necdum habetur intexta, subjiciendum hic putavi.

^a Augustin. de gest. Palæstin. cap. 23.

^b Id. epist. 186. ad Paulinum.

^c Innocent. I. epist. 26. tomo 1. concil. et inter Augustinianas. 183.

^d Ann. CCCCV.

^e Augustin. epist. 177, 186, et 179. De gestis Palæstin. cap. 10.

^f Id. de gest. Palæstin. cap. 23.

^g Id. epist. 186. ad Paulinum.

^h Id. de gest. Palæstin. cap. 25.

ⁱ Ibid. cap. 24.

DOMINO VERE BEATISSIMO, ET MERITO VENERABILI PATRI,
 EPISCOPO AUGUSTINO, TIMASIUS ET JACOBUS
 IN DOMINO SALUTEM.

“ Ita nos refecit et recreavit gratia Dei, ministrata per verbum tuum, ut prorsus germane dicamus, *Misit* verbum suum, et sanavit eos*; Domine beatissime, et merito venerabilis pater. Sane ea diligentia ventilasse sanitatem¹ tuam textum ejusdem libelli reperimus, ut ad singulos apices responsa reddita^m studeamus: sive in his quæ refutare, detestari, aut fugere deceat Christianum, sive in illis in quibus non satis invenitur errasse; quamvis, nescio qua calliditate, in ipsis quoque gratiam Dei credidit supprimendam. Sed unum est, quod nos in tanto beneficio afficitⁿ; quia tarde hoc tam præclarum gratiæ Dei munus effulsit^o. Siquidem contigit absentes fieri quosdam, quorum cæcitati ista tam perspicuæ veritatis illustratio deberetur: ad quos etsi tardius, non diffidimus propitio Deo eandem gratiam pervenire; *quid^d vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*. Nos vero, etsi olim, spiritu claritatis^a qui in te est docti, subjectionem ejus adjeccimus erroris; in hoc etiam nunc gratias agimus, quod hæc quæ ante credidimus nunc aliis aperire didicimus, viam facilitatis^r uberiore sanctitatis tuæ sermone pandente.” Et alia manu. “ Incolumem beatitudinem tuam, nostrique memorem, misericordia Dei nostri glorificet in æternum.”

Scribere vero cœpisse hunc librum Augustinum, quum Paulum Orosium, “ pro^s discenda animæ ratione,” ad Hieronymum mitteret, atque edidisse, dum idem Bethlehemi cum Hieronymo commoraretur; ex Augustini epistola ad Evodium, Orosii apologetico contra Pelagium, et Hieronymi adversus eundem dialogis, uno et eodem anno

^k Psal. 107. ver. 20.

¹ *sanctitatem.*

^m Al. *reddita stupeamus.* apud Suarez.

ⁿ Sc. dolore: vel forte *affligit.* Suarez.

^o Suarez. *affulsit.*

^p 1 Tim. cap. 2. ver. 4.

^q Al. *charitatis.*

^r Suar. *felicitationis.*

^s Gennad. catalog. in Orosio. Marcellin. Comes, in chronico. Vide ipsius Augustin. epist. 166. ad Hieronymum. op. tom. 2. pag. 583.

CCCCXV. editis, promptum est colligere. Augustinus enim in fine epistolæ ad Evodium, quum Orosio ut ad Hieronymum pergeret persuasisse se dixisset, et ea occasione librum ad eundem de animæ origine conscripsisse; subjungit, “ Scripsi etiam grandem quendam librum adversus Pelagii hæresim; cogentibus nonnullis fratribus, quibus contra gratiam Christi opinionem perniciosissimam ille persuaserat.” De eodem in apologetico ait Orosius; “ contra¹ librum Pelagii B. Augustinum, discipulis ipsius Pelagii prodeutibus ac petentibus, plenissime respondere:” et ad ipsum Pelagium, in fine dialogi tertii, de Augustini libris agens Hieronymus: “ Alios quoque (præter tres videlicet illos ad Marcellinum, et quartum ad Hilarium) specialiter tuo nomini eudere dicitur, qui necdum in nostras venere manus.”

Hoc vero anno Hierosolymis Palæstinorum sacerdotum habitum esse conventum ostendit Orosius: ad quem ex Latinis acciti sunt Avitus, Vitalis et Orosius presbyteri; ut quid contra Pelagium et Celestium in occidente actum fuisset exponerent: quibus adjuncti sunt: “ probati^u et Deo et seculo viri, Passerius presbyter et Dominus ex duce; ut pro experientia et fide sua adesse interpretes dignarentur.” Quod vero in Hierosolymitano hoc conventu (quem cum Diospolitano non recte confundit Pennottus^m) actum fuerit, ipsum Orosium sacerdotibus qui illi interfuerant memorantem audiamus: “ Latebam^x in Bethlehem, traditus a patre Augustino, ut timorem Domini discerem, sedens ad pedes Hieronymi: inde Hierusalem, vobis accersentibus, vocatus adveni. Dehinc in conventum vestrum una vobiscum, Johanne episcopo præcipiente, consedi. Illico a pusillitate mea postulastis unversi, ut si quid super hac hæresi, quam Pelagius et Celestius seminarunt, in Africa gestum esset cognoscerem, fideliter ac simpliciter indicarem. Exposui coronæ vestræ breviter ut potui, &c.”

“ Ad hæc Johannes episcopus, ut Pelagius coram in-

¹ Oros. apolog. pag. 621.

^u Ibid. pag. 626.

^m Gabr. Pennot. propugnacul. humanæ libertatis lib. 6. cap. 8. sec. 4.

^x Oros. apologetic. pag. 621, 622, &c.

tromitteretur, expetiit. Cui et propter paternitatis ipsius reverentiam, et propter actionis utilitatem (dum præsentem ab episcopo rectius crederetis confutandum) intro-mittendi conniventia præstita est. Intromissum Pelagium unanimiter omnes interrogastis an hæc quibus Augustinus episcopus respondisset, se docuisse cognosceret. Illico ille respondit: Et quis est mihi Augustinus? Cumque universi acclamarent, blasphemantem in episcopum, ex cujus ore Dominus universæ Africæ unitatis indulserit sanitatem, non solum a conventu illo, verum ab omni ecclesia pellendum; episcopus Johannes illico eum, hominem videlicet laicum, in consessu presbyterorum reum hæreseos, manifeste in medio Catholicorum sedere præcepit: et deinde ait, Augustinus ego sum: ut scilicet persona quasi præsentis assumpta, liberius ex autoritate ejus qui lædebat ignosceret, et dolentium animos temperaret. Cui mox a nobis dictum est: Si Augustini personam sumis, Augustini sententiam sequere. Tunc idem episcopus nobis omnibus ait: Hæc quæ leguntur, in alios dicta sunt? aut de Pelagio suggerendum putas? Si in ipsum autem Pelagium; quid dicatis expromite. Ego autem vobis annuentibus dixi, Pelagius mihi dixit, docere se, hominem posse esse sine peccato, et mandata Dei facile custodire, si velit. Respondit Pelagius, audientibus vobis: Hoc et dixisse me et dicere, negare non possum. Ego illico persecutus sum, Hoc in Celestio Africana synodus detestata est: hoc Augustinus episcopus scriptis suis, sicut audistis, exhorruit; hoc in ipsius nunc Pelagii scriptis sua responsione condemnat. Hoc et beatus Hieronymus: cujus eloquium universus occidens, sicut ros in vellus, expectat (multi enim jam hæretici cum dogmatibus suis, ipso oppugnante, suppositi sunt) et in epistola sua quam nuper ad Ctesiphontem edidit, condemnavit; similiter et in libro, quem nunc scribit, collata in modum dialogi altercatione confutat. Hoc est enim lubricum in Antichristo draconem tenere, ne possit effugere."

"Porro autem episcopus Johannes nihil horum audiens, a nobis exigere conabatur, ut accusatores nos, ipso iudice, fateremur. Responsum sæpissime est ab universis, Nos

accusatores hujus non sumus, sed quid fratres tui, patres nostri, senserint et decreverint super hac hæresi, quam nunc laicus vulgo prædicat, intinamus; ne ecclesiam tuam præsertim, ad cujus sinum convolvavimus, te ignorante conturbet. At ille, cum sæpe nos docendi simulatione in aliquam professionis speciem tentaret inducere, dicebat; quia ad Abraham dictum esset a Domino, *Ambula^y coram me et esto sine macula*: et Zachariam et Elizabet pronuntiatos esse *justos ambos ante Dominum, incedentes in omnibus justificationibus Domini sine querela*. Quod quidem ab Origene dictum, ab eo proferri, compluribus nobis notum erat. Cui responsum per me est: Nos filii Ecclesiæ Catholicæ sumus. Non exigas a nobis, pater, ut doctores super doctores esse audeamus, aut iudices super iudices. Patres quos universa per orbem Ecclesia probat, quorum communioni nos adhærere gaudetis, damnabilia hæc esse dogmata decreverunt: illis probantibus, nos obedire dignum est. Cur interrogas filios quid sentiant; cum patres audias quid decernant?"

Quæ nunc sequuntur, hic ipse Johannes Hierosolymitanæ antistes ecclesiæ, a Diospolitanae synodi episcopis, in hujus anni exitu congregatis, de iis quæ apud illum in causa Pelagii gesta fuerant interrogatus, ita retulit: "Illis^z instantibus et dicentibus, quia hæreticus est; dicit enim, quoniam potest homo, si voluerit esse sine peccato: et de hoc interrogantibus nobis eum, respondit Pelagius, Non dixi, quoniam recipit natura hominis ut impassibilis (vel impeccabilis) sit: sed dixi, quoniam qui voluerit propria salute laborare et agonizare, ut non peccet et ambulet in præceptis Dei, habere eum hanc possibilitatem a Deo. Tunc quibusdam susurrantibus et dicentibus, quod sine Dei gratia diceret Pelagius posse hoc perfici: culpam super hoc etiam intuli, quia et apostolus Paulus multum laborans, sed non secundum suam virtutem, sed secundum gratiam Dei, dixit; *Amplius^a omnibus illis laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Et iterum; *Non^b est*

^y Genes. cap. 17. ver. 1. Luc. cap. 1. ver. 6.

^z Augustin. de gest. Palæstin. cap. 14. et 30. et epist. 186. ad Paulin. ex actis synodi Diospolitanae.

^a 1 Cor. cap. 15. ver. 10.

^b Rom. cap. 9. ver. 16.

volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Et illud; *Nisi Dominus œdificaverit domum, in vanum laboraverunt qui œdificant eam.* Et alia multa similia diximus de Scripturis sanctis. Illis autem non suscipientibus quæ dicebantur a nobis de sanctis Scripturis, sed adhuc susurrantibus; dixit Pelagius. Et ego sic credo. Anathema sit, qui dicit absque adjutorio Dei posse hominem ad profectum omnium venire virtutum.”

Pergit Orosius: “Episcopus Johannes ait, Si sine adjutorio Dei hoc hominem posse diceret; pessimum et damnabile erat. Nunc autem cum adjiciat, posse esse hominem sine peccato, non sine adjutorio Dei; vos quid dicitis? An forte vos Dei adjutorium denegatis? Cui respondi ego: anathema ei, qui negat adjutorium Dei. Ego certe non nego: præcipue cum e contrario in hæreticis confutarim, &c. Multisque aliis actitatis, Johannes episcopus novissimam sententiam protulit, confirmans tandem postulationem intentionemque nostram; ut ad beatum Innocentium papam Romanum fratres et epistolæ mitterentur, universi quod ille decerneret secuturi: sed ut hæreticus Pelagius imposito sibi eatenus silentio conticesceret, et ut nostri ab insultatione convicti Johannis confusique temperarent. Universi in hanc sententiam consensimus: gratiarum actione celebrata, pace facta, et consummata ad pacis testimonium oratione, discessimus.”

“Nunc autem post dies quadraginta et septem, cum primo Encæniorum die, ut solitus eram quando aderam, ad obsequium Johannis episcopi cucurrissem; statim ab eo notam falsi criminis pro gratia salutationis accepi. Ait enim mihi: Quare ad me venis homo, qui blasphemasti? volens, ne credo, intelligi; Noli me tangere, quia mundus sum et absque peccato. At ego nihil mihi conscius; interrogavi; quando, aut quo audiente, aut cujusmodi illud est dictum, quod blasphemiam possit adscribi. Episcopus respondit: Ego te audivi dixisse; quia nec cum Dei adjutorio possit esse homo sine peccato. Ego quidem, beatissimi sacerdotes, (sicut et vos testes estis, et universa fraternitas, et præterea sancti viri, qui huic testimonio

^c Psalm. 127. ver. 1.

amore veritatis assistunt) statim testificatus sum, dicens: quia ejusmodi verbum, quod nunc a me dictum episcopus intenderit, nunquam de ore meo antea processisset." Et istud jurgium Orosio apologiæ suæ scribendæ occasionem præbuit.

Observandum vero, uno et eodem hoc anno trium fidei defensorum scripta prodiisse adversus Pelagium: Orosii apologeticum, librum Augustini de natura et gratia, atque tres Hieronymi dialogos; in quibus se Attici, Pelagium Critobuli nomine designat: quod quare fecerit, in operis præmio ita ipse explicat: " Ut omnibus probarem me non odisse homines, sed errores, nec aliquorum infamiam quærere; magisque dolere vicem eorum, qui falsi nominis scientia supplantantur: Attici et Critobuli nomina posui, per quos, et nostra pars et adversariorum quid sentiret, exprimerem." Consulto enim hactenus, ut in apologetici sui initio notavit etiam Orosius, " Augustinus^d et Hieronymus multa adversus hanc nefariam hæresim, absque designatione nominum hæreticorum, scriptis probatissimis ediderunt." Scriptæ etiam tum sunt amicissimæ illæ Hieronymi ad Augustinum literæ; quarum hoc initium: " Virum^e honorabilem, fratrem meum, filium dignationis tuæ, Orosium presbyterum, et sui merito, et te jubente suscepti: sed incidit tempus difficillimum, quando mihi tacere melius fuit, quam loqui; ita ut nostra studia cæsarent, et juxta Appium, canina exerceretur facundia."

Quibusdam deinde interjectis, in epistola sequitur: " Nos inter nos eruditionis causa disserimus: cæterum æmuli, et maxime hæretici, si diversas inter nos sententias viderint, de animi calumniabuntur rancore descendere. Mihi autem decretum est, te amare, te suspicere, colere, mirari; tuaque dicta quasi mea defendere. Certe et in dialogo, quem nuper edidi, tuæ beatitudinis, ut dignum fuerat, recordatus sum: (in fine videlicet libri tertii;) magisque demus operam, ut perniciosissima hæresis de ecclesiis auferatur, quæ semper simulat pœnitentiam, ut do-

^d Oros. apolog. pag. 619.

^e Hieronym. epist. 79. op. tom. 4. par. 2. pag. 643.

cendi in ecclesiis habeat facultatem: ne, si aperta se luce prodiderit, foras expulsa moriatur. Sanctæ ac venerabiles filiæ tuæ, Eustochium et Paula, et genere suo exhortatione tua dignæ gradiuntur, specialiterque salutant beatitudinem tuam: omnis quoque fraternitas, quæ nobiscum Domino Salvatori servire conatur."

Ejusdem anni mense ultimo Diospoli, quæ olim Lydda dicta fuit, Palæstinarum episcoporum provincialis habita est synodus: ut ex Luciani^f libello liquet, de Stephani reliquiis tunc repertis; quem "Avitus^g presbyter Hispanus (quem Hierosolymitano conventui hoc anno interfuisse^h diximus) in Latinum transtulit sermonem, et addita epistola sua per Orosium occidentalibus edidit." Erant illi episcopi numero quatuordecim: Eulogius^l, Cæsariensis archiepiscopus, synodi præses, Johannes Hierosolymitanus episcopus, qui in priori illo conventu Pelagii patrocinium in se suscepit, Ammonianus, Porphyrius Gazensis, Eutonius Hierichuntinus, Porphyrius, Fidus, Zosimus, Zebænus Eleutheropolitanus, Nymphidius, Chromatius, Jovinus Ascalonensis, Eleutherius Sebastiensis, et Clematius. Hic vero, "Pelagius^k a quibusdam Catholicis fratribus ad episcopalia gesta perductus, eisque absentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem synodi non potuerunt occurrere, ab episcopis illis quatuordecim auditus est: ubi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei adversus eum de libello legebantur, Catholicum pronunciaverunt." Accusatores, qui libellum contra Pelagium Eulogio^l, provinciæ Palæstinæ metropolitano, dederunt, erant Eros et Lazarus, episcopi Galli: quorum posterior in Aquensium episcoporum reperitur catalogo^m: prior, "vir sanctus et beati Martini discipulus, quum Arelatensi oppido episcopus

^f Apud Surium, vit. sanctor. tomo 4. August. 3.

^g Gennad. catalog. cap. 47. in Avito.

^h Supra pag. 285.

ⁱ Augustin. contra Julian. lib. 1. cap. 5, et 7.

^k Id. retractat. lib. 2. cap. 47. Vid. eund. de gestis Palæstinis, cap. 29, et 35.

^l Id. de gest. Palæstin. cap. 3.

^m Claud. Robert. Galliæ Christian. pag. 13. fin.

præsideret, ante triennium (ut Prosper narrat in chronico) a populo ejusdem civitatis insons et nullis insimulationibus noxius pulsus est." Licet autem ipsi "propterⁿ gravem unius eorum aegritudinem, præsentes esse minime potuerunt:" libellus tamen eorum in synodo recitatus est, et ex eo sequentes articuli objecti Pelagio;

1. Ex ipsius Pelagii capitulorum libro.

1. Non posse esse sine peccato, nisi qui legis scientiam habuerit. **SYNODUS**: Tu hoc edidisti, Pelagi? **PELAGIUS**: Ego quidem dixi; sed non sicut illi intelligunt. Non dixi, non posse peccare qui scientiam legis habuerit, sed adjuvari per legis scientiam ad non peccandum: sicut scriptum est, "Legem^o in adjutorium dedit illis." **SYNODUS**: Non sunt aliena ab Ecclesia quæ dicta sunt a Pelagio.

2. Omnes voluntate propria regi. **PELAG.** Et hoc dixi propter liberum arbitrium, cui Deus adjutor est eligenti bona; homo vero peccans, ipse in culpa est, quasi liberi arbitrii. **SYNOD.** Neque hoc alienum est ab ecclesiastica doctrina.

3. In die iudicii iniquis et peccatoribus non esse parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos. **PELAG.** Hoc secundum Evangelium dixi, ubi dicitur de peccatoribus: "Isti^p ibunt in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam." Et si quis aliter credit, Origenista est. **SYNOD.** Hoc alienum non est ab Ecclesia.

4. Malum nec in cogitationem venire. **PELAG.** Hoc non ita posuimus: sed diximus, debere studere Christianum ne male cogitet. **SYNODUS** hoc quoque approbavit.

5. Regnum cælorum etiam in veteri testamento esse promissum. **PELAG.** Hoc et per Scripturas probari^q possibile est: hæretici autem in injuriam veteris testamenti hoc negant. Ego vero Scripturarum autoritatem secutus dixi: quoniam in propheta Daniele scriptum est; "Et^r accipient sancti regnum Altissimi." **SYNOD.** Neque hoc alienum est a fide ecclesiastica.

6. Posse hominem, si velit, esse sine peccato: quibus addita sunt et illa, ex libro ipsius ad viduam: Inveniat apud te pietas, quæ nusquam invenit, locum; inveniat, ubique peregrina, in te sedem justitia; veritas, quam jam nemo cognoscit, domestica tibi et amica fiat: et lex Dei, quæ ab omnibus prope hominibus contemnitur, a te sola honoretur. Et iterum ad eandem: O te felicem et beatam, si justitia, quæ in cælo tantum esse credenda est, apud te solam inveniatur in terris! Et in alio ad ipsam libro: Ille ad Deum digne elevat manus, ille orationem bona conscientia effundit, qui potest dicere: Tu nosti, Domine, quam sanctæ et innocentes et mundæ sunt ab omni molestia^s et iniquitate et rapina,

ⁿ Augustin. de gest. Palæstin. cap. 1. et 35. indeque Plotius in bibliotheca, num. 54.

^o Esai. cap. 8. ver. 20. Juxta LXX.

^p Matth. cap. 25. ver. 46.

^q Al. *probare*.

^r Dan. cap. 7. ver. 18.

^s *Fraude* Hieron. lib. 3. advers. Pelag. cap. 5.

quas ad te extendō, manus; quæm justa et munda labia, et ab omni mendacio libera, quibus offero tibi deprecationem ut mihi miserearis. PELAG. Posse^t quidem hominem sine peccato esse et Dei mandata custodire, si velit, diximus: hanc enim possibilitatem Deus illi dedit. Non autem diximus, quod inveniatur aliquis ab infantia usque ad senectam, qui nunquam peccaverit; sed quoniam a peccatis conversus, proprio labore et Dei gratia possit esse sine peccato; nec per hoc tamen in posterum erit inconvertibilis. Reliqua vero quæ subjecerunt, neque in libris nostris sunt, neque talia unquam diximus. SYNOD. Quoniam negas te talia scripsisse; anathematizas illos qui sic tenent? PELAG. Anathematizo quasi stultos, non quasi hæreticos: siquidem non est dogma. SYNOD. Nunc quoniam anathematizavit Pelagius incertum stultiloquium^u; recte respondens, hominem cum adjutorio Dei et gratia posse esse *ἀναμάτητον*, id est, sine peccato; respondeat et ad alia capitula.

II. Aliud capitulum in doctrina Celestii discipuli Pelagii, ex iis quæ Carthagine a sancto Aurelio Carthaginiensi episcopo cum aliis episcopis audita sunt et commemorata. Adam mortalem factum, &c. (ut supra^w, in concilio illius Carthaginiensis capitulis.) Quoniam sanctus episcopus Augustinus adversus discipulos ejus in Sicilia respondit Hilario ad subjecta capitula; scribens librum in quo ista continentur. Posse hominem sine peccato esse, si velit. Infantes, etsi non baptizentur, habere vitam æternam. Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuncient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, neque regnum Dei posse eos habere.

PELAG. Posse quidem hominem sine peccato esse, dictum est superius. De eo autem quod fuerint omnes ante adventum Domini sine peccato, dicimus et nos, quoniam ante adventum Christi vixerunt quidam sancte et juste, secundum Scripturarum sanctarum traditionem. Reliqua vero, et secundum ipsorum testimonium, a me dicta non sunt; pro quibus ego satisfacere non debeo: sed tamen ad satisfactionem sanctæ synodi, anathematizo eos qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt. SYNOD. Ad hæc, quæ dicta, capitula sufficienter et recte satisfacit præsens Pelagius; anathematizans ea quæ non erant ejus.

Hic etiam objectum est Pelagio^x, quod diceret, Ecclesiam esse sine macula et ruga. PELAG. Dictum est a nobis ita; quoniam lavacro ab omni macula et ruga purgatur Ecclesia, quam velit ita Dominus permanere. SYNOD. Hoc et nobis placet.

III. Ex libro Celestii.

1. In capitulo primo: quod plus facimus, quam in lege et evangelio jussim est. PELAG. Hoc quasi nostrum posuerunt. Dictum est vero a nobis, secundum apostolum, de virginitate; de qua Paulus dicit, "Præceptum^y Domini non habeo." SYNOD. Hoc et Ecclesia recipit.

2. In capitulo tertio: Gratiam Dei et adjutorium non ad singulos actus dari; sed in libero arbitrio esse, vel in lege ac doctrina. Et iterum; Dei gratiam se-

^t August. epist. 179. op. tom. 2. pag. 632.

^u Augustin. de peccat. Original. cap. 11.

^w Pag. 265.

^x Ex Celestio. Augustin. de gest. Palæstin. pag. ult. Est autem postrema Hilarianarum quæstionum: apud eund. epist. 156, 157. pag. 542.

^y I Cor. cap. 7. ver. 25.

cundum merita nostra dari; quia si peccatoribus illam det, videtur esse iniquus: Propterea et ipsa gratia (inquit) in mea voluntate posita est, sive dignus fierem² sive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus: quando vincimus a peccato, non nos vincimus, sed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omnimodo et non potuit. Et iterum: Si gratia Dei est quando vincimus peccata, ergo ipse est in culpa quando a peccato vincimur; quia omnino custodire nos aut non potuit, aut noluit. PELAG. Hæc utrum Celestii sint, ipsi viderint qui dicunt ea Celestii esse: ego vero nunquam sic tenui, sed anathematizo, qui sic tenet. SYNOD. Recipit te sancta synodus, ita verba reprobata condemnantem.

3. In capitulo quinto: Unumquemque hominem omnes virtutes posse habere et gratias. PELAG. Dictum est a nobis: sed maligne et imperite reprehenderunt. Non enim auferimus gratiarum diversitatem: sed dicimus donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere, omnes gratias; sicut Paulo apostolo donavit. SYNOD. Consequenter et ecclesiastico sensu et ipse sensisti de dono gratiarum, quæ in sancto apostolo continentur.

4. In capitulo sexto: Filios Dei non posse vocari, nisi omnimodo absque peccato fuerint effecti. In septimo: Oblivionem et ignorantiam non subiacere peccato; quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem. In decimo: Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio; quoniam in propria voluntate habet unusquisque, aut facere aliquid aut non facere. In duodecimo: Victoriæ nostram non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio: quod his verbis expressit: Nostra est victoria, quoniam propria voluntate arma suscepimus: sicut e contrario nostrum est, quando vincimur, quoniam armari propria voluntate contempsimus. Et de apostolo Petro posuit testimonium; divinam nos esse consortes naturæ: indeque syllogismum facere dicitur: quoniam si anima non potest esse sine peccato, ergo et Deus subjacet peccato, cujus pars, hoc est, anima, peccato obnoxia est. In tertio decimo capitulo dicit; quod pœnitentibus venia non datur secundum gratiam et misericordiam Dei, sed secundum merita et laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia. SYNOD. Quid ad hæc quæ lecta sunt capitula dicit præsens Pelagius monachus? Hæc enim reprobata sancta synodus, et sancta Dei Catholica Ecclesia. PELAG. Iterum dico, quia hæc, et secundum ipsorum testimonium, non sunt mea; pro quibus, ut dixi, satisfactionem non debeo. Quæ vero mea esse confessus sum, hæc recta esse affirmo: quæ autem dixi non esse mea, secundum iudicium sanctæ Ecclesiæ reprobata; anathema dicens omni contravenienti et contradicenti sanctæ Catholice Ecclesiæ doctrinis. Ego enim in unius substantiæ Trinitatem credo, et omnia secundum doctrinam sanctæ Catholice Ecclesiæ: si quis vero aliena ab hac sapit, anathema sit. SYNOD. Nunc quoniam satisfactum est nobis prosecutionibus præsentis Pelagii monachi; qui quidem piis doctrinis consentit, contraria vero Ecclesiæ fidei reprobata et anathematizata: communionis ecclesiasticæ eum esse et Catholice confitemur.

Atque hæc est, "illa miserabilis," ut eam appellat

² Al. *fiam*, et *fuerim*.

³ Quomodo quispiam illius rei consortium suscipit, a cujus statu et virtute esse extraneus definitur? inquit ille in 11. capitulo citat. ab Augustino, de gestis Palæstin. cap. ult.

Hieronymus^b, “Synodus Diospolitana:” in qua “Pelagium^c hæresiarcham, quæ contra Christi gratiam sentiebat operientem, pravasque sententias suas versutia interpretantem, per ignorantiam absolutum” notavit, inter alios, Facundus Hermianensis episcopus. “His^d nebulis illud iudicium se putat illusisse Pelagius; vosque ad hoc nefas toto capite annuitis, et tot ab illo episcopos irrisos esse ridetis:” ait ad illius discipulos Augustinus. Et ad ipsum magistrum: “Quando^e tibi illa damnanda objiciebantur, non ea Catholici episcopi sic intelligebant; ideo cum illa damnares, Catholicum te esse credebant. Propterea ergo quod te illi sapere existimabant, absolvendum fuit, quod vero tu sapiebas, damnandum fuit. Non ergo tu absolutus es, qui damnanda tenuisti: sed illud absolutum est, quod tenere debuisti. Ut autem tu absolutus putareris, creditus es sentire laudanda; cum te iudices non intelligerent occultare damnanda.”

Culpa autem omni in versipellem hæreticum derivata, episcopos qui in iudicio illo sederunt sic ipse excusat: “Hoc^f pios iudices cogitasse credendum est: si tamen hoc, quod in libro ejus Latino est diligenter interpretatum, satis intelligere potuerunt; sicut ejus responsionem Græco eloquio prolatam (Græce enim in synodo locutus est Pelagius) et ob hoc facile intellectam, alienam non esse ab Ecclesia iudicaverunt.” “Sed^g hoc episcopi, Græci homines, et ea verba per interpretem audientes, discutere non curarunt: hoc tantum intuentes, quid ille qui interrogabatur sensisse se dicere, non quibus verbis eadem sententia in ejus libro scripta diceretur. Et postea, Quod indiscussum iudices reliquerunt, Latini sermonis ignari, et ejus qui causam dicebat confessione contenti, præsertim ubi ex adverso nullus adstaret, qui verba libri ejus exponendo aperire interpretem cogeret, atque unde fratres non

^b Hieronym. epist. 81. op. tom. 4. par. 2. pag. 646.

^c Facund. lib. 7. cap. 3.

^d Augustin. contra Julian. Pelagian. lib. 1. cap. 5.

^e Id. de peccato Original. cap. 16.

^f Id. de gestis Palestini. cap. 2.

^g Ibid. cap. 1.

frustra moverentur ostendere." " Neque^h hoc dicens iudicium arguo vel negligentiam, vel cohibentiamⁱ, vel, quod ab eis longe abhorreere certissimum est, impiorum dogmatum conscientiam: sed eorum iudicio pro merito approbato atque laudato, Pelagius tamen apud eos quibus amplius certiusque notus est, non mihi videtur esse purgatus. Illi enim tanquam de ignoto iudicantes, his præsertim absentibus qui contra eum libellum dederant, hominem quidem diligentius examinare minime potuerunt; hæresim tamen ipsam penitus peremerunt." " Et^k per hoc quomodolibet ea Celestius posuerit aut non posuerit, vel Pelagius senserit aut non senserit; tanta mala tam novæ hujus hæresis illo ecclesiastico iudicio damnata gaudeamus, et Deo gratias agamus laudesque dicamus."

Hæc modestissimus et prudentissimus ille pater: quem secutus quoque est discipulus ipsius Prosper; de hoc orientalium episcoporum iudicio, in poemate de Ingratis, ita canens:

—— non segnior inde orientis
 Rectorum cura emicuit: captumque nefandi
 Dogmatis authorem constrinxit lege benigna
 Commentum damnare suum; nisi corpore Christi
 Abjungit, et sancto mallet grege dissociari.
 Lene quidem hoc, nimiumque malos tolerasse videtur
 Iudicium; sed sancta fides examine in illo
 Vicit oborturam diro de semine prolem.
 Prospectum namque est, divino et munere cautum,
 Ut licet instantem declinans bestia pœnam,
 Perfidia secum sensus tenuisset eosdem;
 Ipsa tamen proprium germen damnando necaret,
 Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore.

Peracto^l iudicio Palæstino, prius quam gesta publicarentur, in manus hominum prævolavit Pelagii epistola, " scribentis^m ad amicum suum quendam presbyterum, qui eum literis benigne admonuerat, ne per ejus occasionem se aliquis a corpore Ecclesiæ separaret:" in qua hæreticum suum dogma comprobatum hic fuisse ita ille jactitat:

^h Augustin. de gestis Palæstin. cap. 21.

ⁱ *conniventiam*.

^l Ann. CCCCXVI.

^k Augustin. de gest. Palæs. cap. ult.

^m Augustin. de gest. Palæstin. cap. 30.

“ Quatuordecim episcoporum sententia definitio nostra comprobata est, qua diximus, posse hominem sine peccato esse, et Dei mandata facile custodire, si velit. Quæ sententia contradictionis os confusione perfudit, et omnem in malum conspirantem societatem ab invicem separavit:” ubi tamen, ut recte animadvertit Augustinusⁿ, “ et facilitatem posuit non peccandi, de qua nulla in hoc iudicio quæstio fuit, quasi iudicibus etiam de hoc verbo placuerit; et gratiam Dei non posuit, quam confitendo et addendo pœnam ecclesiasticæ damnationis evasit.” Pro ipsis vero synodi gestis, misit Augustino^o (per quendam Hipponensem civem, orientalem autem diaconum) quandam a se conscriptam velut defensionem suam, qua se dixit objectis respondisse Gallorum: ut pro gestorum illorum breviatione ista charta usquequaque discurreret.

Quum autem nullas Augustinus simul accepisset literas, et defensionis illam chartulam merito habuisset suspectam: suo et aliorum multorum episcoporum nomine a Johanne Hierosolymitano antistite petiit, ut ipsa ecclesiastica gesta transmittere dignaretur: in qua epistola (quæ numero est CLXXIX.) de Pelagio ita illum admonet: “ Pelagium fratrem nostrum, filium tuum, quem audio quod multum diligis; hanc illi suggero exhibeas dilectionem, ut homines qui eum noverunt et diligenter audierunt, non ab eo tuam sanctitatem existiment falli.” Et post, “ Si diligitis Pelagium, diligit vos etiam ipse, imo magis seipsum; et non vos fallat. Cum enim auditis eum confiteri gratiam Dei et adiutorium Dei; putatis hoc eum dicere, quod et vos qui Catholica regula sapitis: quoniam quid in libro suo scripserit ignoratis. Propter hoc, ipsum librum misi, et meum^p quo ei respondi: unde perspiciat venerabilitas vestra, quam gratiam vel adiutorium Dei dicat, quando illi objicitur quod gratiæ Dei et adiutorio contradicat. Proinde ostende illi docendo, et hortando, et pro ejus salute quæ in Christo esse debet orando; ut eam Dei gratiam confiteatur, quam probantur sancti Dei fuisse

ⁿ Augustin. de gestis Palæstin. cap. 31.

^o Ibid. in præm. et cap. 6. 32, 33. item epist. 177. et 179.

^p De natura et gratia scilicet, ad Timasium et Jacobum.

confessi, cum a Domino ea ipsi peterent, quæ illis jubebat ut facerent. Quoniam neque juberentur, nisi ut nostra voluntas ostenderetur: neque peterentur, nisi ut voluntatis infirmitas ab illo qui jusserat juvaretur."

Tumultuantibus deinde in Palæstina Pelagii sectatoribus, factum est, " ut Dei servi et ancillæ ad curam sancti Hieronymi presbyteri pertinentes sceleratissima cæde afficerentur, diaconus occideretur, ædificia monasteriorum incenderentur, vix ipsum ab hoc impetu atque incursu in Dei misericordia turris munitior tueretur:" quemadmodum in fine libri de gestis Palæstinis narrat Augustinus. Inter eas autem quæ ad curam S. Hieronymi pertinebant, præcipuæ fuerunt nobilissimæ illæ virgines (in literis ejusdem ad Augustinum anno superiore missis jam^q commemoratæ) Eustochium et Paula; quarum prior Paulæ senioris, ante annos duodecim Bethlehemi defunctæ, filia fuit; posterior, de cujus institutione ad matrem Lætam Hieronymi septima^r scripta est epistola, ex Toxotio filio neptis. Et harum et ipsius Hieronymi, de vi ista sibi et suis illata conquerentium, Aurelii Carthaginensis episcopi opera ad Innocentium Romanum pontificem perlatae sunt literæ: cujus et rescripta^s extant, tum ad Aurelium et Hieronymum, tum ad Johannem Hierosolymitanum, in quem mali hujus suspicio maxime cadebat. Ut enim in Pelagium admodum benevolo, ita in Hieronymum infenso erat ille animo atque inimico: utpote qui non Pelagii solum, sed etiam Johannis^t errores publicis scriptis acriter coarguisset. Hoc ipso autem anno mortuus est Johannes; Praylio, et in Hierosolymitanæ ecclesiæ regimine et in Pelagii patrocinio, successore relicto.

Pelagius interim, " a^u fratribus increpatus, quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbi-

^q Supra pag. 290.

^r Al. 57. op. tom. 4. par. 2. pag. 590.

^s Innocent. I. epist. 32, 33, 34. tomo I. concil. edit. Colon. ann. 1606. pag. 590, 591.

^t Hieron. epist. 38. ad Pammach. advers. errores Johan. Hierosolymit. op. tom. 4. par. 2. pag. 306.

^u Augustin. de hæres. ad Quodvultdeum, cap. 88.

trio præponeret, sed infidelitate supponeret; dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jurentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam." Hoc in libris post judicium Palæstinum editis ab eo dictum notat Augustinus^w: nempe in primo librorum illorum quatuor, quos pro libero conscripsit arbitrio. Sic enim ille ibi^x loquitur: "Hic nos imperitissimi hominum putant injuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere sanctitatem. Quasi Deus gratiæ suæ aliquid imperavit, et non illis quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium subministret; ut quod per liberum homines facere jurentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam, quam nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, sed et in Dei esse adjutorio confitemur. Adjuvat enim nos Deus per doctrinam et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat; dum Diaboli pandit insidias; dum nos multiformi et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat. Qui hæc dicit, gratiam tibi videtur negare; an et liberum hominis arbitrium, et Dei gratiam confitetur?" Hoc namque præcipue in toto illo opere laborabat, ut negatæ gratiæ invidiam, cui ferendæ imparem sese senserat, quovis modo declinaret. Unde in apologetica papæ Innocentio proximo anno inscripta epistola, huc potissimum suos vocat adversarios: "Legant^y," inquit, "recens meum opusculum, quod pro libero nuper arbitrio edere compulsi sumus: et agnoscent quam inique nos negatione gratiæ infamare gestierint; qui per totum pene ipsius textum operis perfecte atque integre et liberum arbitrium confitemur et gratiam."

Quandoquidem vero hic in unam hanc rem defixit et intendit ille animum, ut sua perfidia distracta ista in pristinam rursus reduceret concordiam; atque hunc impuri hæretici vomitum nonnulli, et olim et hodie quoque, non

^w Augustin. epist. 186. ad Paulin.

^x Apud eund. lib. 1. de gratia Christi, contra Pelag. et Celest. cap. 7, et 29.

^y Ibid. cap. 41.

animo sorbent solum sed etiam concoquunt, qui reliquas illius sordes tanquam auspiciū malum detestantur: operæ pretium fuerit, totum illius dogma, suis ipsius verbis expressum, hic proponere; ut ad damnatum errorem agnoscendum homines, quibus ille cœpit allubescere, oculos aliquando aperiunt. "Nos^z," inquit, "sic tria ista distinguimus, et certum velut in ordinem digesta partinur. Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est, posse, ad Deum proprie pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit: duo vero reliqua, hoc est velle et esse, ad hominem referenda sunt; quia de arbitrii fonte descendunt. Ergo in voluntate et opere bono laus hominis est; imo et hominis et Dei, qui ipsius voluntatis et operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio. Quod vero homo potest velle bonum atque perficere, solius Dei est. Potest itaque illud unum esse, etiam si duo ista non fuerint: ista vero sine illo esse non possunt. Itaque liberum mihi est, nec voluntatem bonam habere nec actionem; nullo autem modo possum non habere possibilitatem boni: inest mihi etiam si nolero, nec otium sui aliquando in hoc natura recipit. Quem nobis sensum exempla aliqua faciant clariorem. Quod possumus videre oculis, nostrum non est: quod vero bene aut male videmus, hoc nostrum est. Quod loqui possumus, Dei est: quod vero bene vel male loquimur nostrum est. Et, ut generaliter universa complectar; quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat: quod vero bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est; quia hæc omnia vertere etiam in malum possumus. Unde (quod propter calumniam vestram sæpe repetendum est) cum dicimus hominem posse esse sine peccato, confessione possibilitatis acceptæ laudamus Deum, qui nobis hoc posse largitus est: nec est ibi ulla laudandi hominis occasio, ubi solius Dei causa tractatur. Non enim de velle, nec de esse, sed tantummodo de eo quod potest esse, disseritur."

^z Apud Augustin. lib. 1. de gratia Christi, contra Pelag. et Celest. cap. 4.

Hæc ille, in libro tertio pro libero arbitrio: in quo et objectioni ex verbis apostoli, “Non^a quod volo ago:” et, “Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ” ita respondet: “Hoc^b quod tu de apostolo intelligere cupis, omnes ecclesiastici viri in peccatoris et sub lege adhuc positi asserunt eum dixisse persona; qui nimia vitiorum consuetudine velut quadam teneretur necessitate peccandi, et quamvis bonum appeteret voluntate, usu tamen præcipitaretur in malum. In persona autem hominis unius, designat populum sub vetere adhuc lege peccantem; quem ab hoc consuetudinis malo dicit liberandum esse per Christum, qui credentibus sibi primo omnia per baptismum peccata dimittit, deinde imitatione sui ad perfectam incitat sanctitatem, et vitiorum consuetudinem virtutum vincit exemplo.” In primo vero libro, naturam liberi arbitrii ita explicat: “Habemus^c possibilitatem utriusque partis a Deo insitam, velut quandam, ut ita dicam, radicem fructiferam atque sæcundam; quæ ex voluntate hominis diversa gignat et pariat, et quæ possit ad proprii cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum:” deinde gratiæ subjungit adminiculum: “Cum^d autem tam forte, tam firmum ad non peccandum liberum in nobis habeamus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ Creator inseruit; rursus, pro ejus inæstimabili benignitate, quotidiano ipsius munimur auxilio.”

Et in alio ejusdem operis loco: “Qui^e currit,” inquit, “ad Deum et a Deo se regi cupit, id est, voluntatem suam ex ejus voluntate suspendit, qui ei adhærendo jugiter, unus, secundum apostolum, cum eo fit spiritus; non hoc nisi de arbitrii efficit libertate. Qua qui bene utitur, ita se totum tradit Deo, omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum apostolo possit dicere, *Vivo^f autem jam non ego, vivit autem in me Christus*: ponitque cor suum in manu Dei, ut illud quo voluerit Deus ipse declinet:” et

^a Rom. cap. 7. ver. 19, 23.

^c Ibid. cap. 18.

^e Ibid. cap. 22, 23.

^b Augustin. de gratia lib. 1. cap. 39.

^d Ibid. cap. 28.

^f Gal. cap. 2. ver. 20.

alibi, quæstioni quæ ex epistola ad Philippenses moveri poterat occurrens, "Et^g quomodo," inquit, "stabit illud apostoli? *Deus^h enim qui operatur in nobis et velle et perficere.* Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est; dum nos terrenis cupiditatibus deditos, et mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine et præmiorum pollicitatione succendit: dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitatur voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est." Quodnam vero in hisce omnibus absconditum in venenum, in libro primo de gratia Christi contra Pelagium et Celestium patefecit Augustinus: ad quem lectorem antiquæ fidei studiosum remittimus.

Eodem hoc anno, duæ provinciales Africanorum patrum habitæ sunt synodi: Carthaginiensis cui Aurelius, et Milevitana cui Numidiæ primas præfuit Sylvanus. Posterior hæc episcoporum fuit LXI. prior illa, non LXXVII. (ut habet Baroniusⁱ) sed LXVIII. ut nomina eorum epistolæ ad Innocentium præscripta numeranti liquebit. Etsi autem adhuc "gesta^k ecclesiastica, quibus apud episcopos provinciæ Palæstinæ Pelagius perhibebatur esse purgatus," in Africam non pervenissent: literæ tamen "de oriente venerunt, eandem causam apertissime ventilantes." Scriptæ^l eæ sunt ab Erote et Lazaro, Gallicis illis episcopis, ad quorum libellum respondere in Palæstina synodo coactus est Pelagius: et ab Orosio, nuper ex oriente reverso, episcopis in Carthaginiensi concilio hoc tempore congregatis traditæ: quibus illi "lectis, Pelagium et Celestium auctores nefarii prorsus et ab omnibus anathematizandi erroris adverterunt: et communi deliberatione censuerunt, nisi hæc apertissime anathematizaverint, ipsos anathematizari oportere; ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui ab eis decepti sunt vel decipi possunt, cognita sententia quæ in eos lata est, sanitas procuretur."

^g Augustin. de gratia, lib. 1. cap. 10. ^h Philipp. cap. 11. ver. 13.

ⁱ Baron. ann. 416. sec. 5.

^k Augustin. epist. 186. ad Paulin.

^l Concil. Carthagin. ad Innocent. epist. ordine inter Augustinianas 175.

Hoc ipsi in epistola ad Innocentium Romanum episcopum significant: de Palæstino iudicio illud insuper adijcetes. " Si Pelagius episcopalibus gestis quæ in oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi juste visus fuerit absolutus; error tamen ipse et impietas, quæ tam multos assertores habet per diversa dispersos, etiam auctoritate apostolicæ sedis anathematizanda est."

Consimiles etiam a Milevitana^m synodi episcopis ad Innocentium missæ sunt literæ in quibus ista legimus: " Nova hæresis et nimium perniciose tentat surgere inimicorum gratiæ Christi, qui nobis etiam Dominicam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Hujus perniciosissimi erroris auctores esse perhibentur Pelagius et Celestius: quos quidem in Ecclesia sanari maluimus, quam desperata salute de Ecclesia resecari, si necessitas nulla compellat. Quorum unus, id est, Celestius, etiam ad presbyterium in Asia dicitur pervenisse. De quo ante paucos annos quid gestum fuerit, sanctitas tua de Carthaginiensi ecclesia melius instruitur. Pelagius vero (sicut a quibusdam fratribus nostris missæ loquuntur epistolæ) Hierosolymis constitutus nonnullos fallere asseritur: veruntamen multo plures, qui ejus sensus diligentius indagare potuerunt, adversus eum pro gratia Christi et Catholicæ fidei veritate confligunt; præcipue sanctus filius tuus, frater et compresbyter noster, Hieronymus. Hæc ad sanctitatem tuam de concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginiensis provinciæ coepiscopos nostros, quos ad sedem apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus."

Præter binas istas synodicas, quarum et Augustinus meminit, in epistolaⁿ eodem tempore contra hanc hæresim ad Hilarium episcopum exarata, aliæ etiam familiares^o a quinque episcopis, Aurelio, Alypio, Augustino, Eudio et Possidio, ad eundem Innocentium datæ sunt literæ: in quibus, inter complura dogmatica, hæc ad historiam pertinentia inseruntur; " De conciliis duobus provinciæ Car-

^m Concil. Carthag. ad Innocent. epist. ordine inter Augustinianas 176.

ⁿ Ibid. epist. 178.

^o Ibid. epist. 177.

thaginiensis atque Numidiæ ad tuam sanctitatem a non parvo episcoporum numero subscriptas literas misimus contra inimicos gratiæ Christi. Audivimus enim esse in urbe Roma, ubi ille (Pelagius) diu vixit, nonnullos qui diversis causis ei faveant: quidam scilicet, quia vos talia persuasisse perhibent, plures vero qui eum talia sentire non credunt; præsertim quia in oriente, ubi degit, gesta ecclesiastica facta esse gestantur, quibus putatur esse purgatus: ubi quidem si episcopi eum Catholicum pronunciarunt, non ob aliud factum esse credendum est, nisi quia se dixit Dei gratiam confiteri, et ait posse hominem suo labore ac voluntate juste vivere, ut ad hoc adjuvari Dei gratia non negaret. His enim auditis verbis, Catholici antistites nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, nisi quem in libris Dei legere et populis Dei prædicare consueverunt. Quapropter non culpandi sunt iudices: quia ecclesiastica consuetudine nomen gratiæ audierunt; nescientes quid hujusmodi homines vel in suæ doctrinæ libris vel in suorum solent auribus spargere. Non agitur de uno Pelagio, qui jam fortasse correctus est, quod utinam ita sit; sed tam multis, quibus loquaciter contendentibus, et infirmas atque ineruditas animas velut convictas trahentibus, firmas autem et in fide stabiles ipsa contentione fatigantibus, usquequaque jam plena sunt omnia. Aut ergo a tua veneratione acciendus est Romam, et diligenter interrogandus quam dicat gratiam qua fateatur, si tamen jam fateatur ad non peccandum justequè vivendum homines adjuvari: aut hoc ipsum cum eo per literas agendum: et cum inventus fuerit hanc dicere quam docet ecclesiastica et apostolica veritas, tunc sine ullo scrupulo Ecclesiæ, sine latibulo ambiguitatis ullius absolvendus est, tunc est revera de ejus purgatione gaudendum. Unde et ad ipsum scriptam ab uno nostrum (Augustino scilicet) epistolam, (ad quem per quendam orientalem diaconum, civem autem Hipponensem, tanquam purgationis suæ quædam scripta transmisit) tuæ beatitudini potius credimus dirigendam; melius judicantes et petentes ut eam ei mittere ipse digneris. Sic enim eam legere potius non dedigna-

bitur; magis in illa eum qui misit quam qui scripsit attendens."

Ad^p tres Africanorum antistitem epistolas per Julium episcopum ad se perlatas, initio sequentis anni respondit Innocentius. Literæ enim ad^q Milevitanæ synodi patres datæ leguntur sexto Kalendas Februarias, Honorio et Constantio viris clarissimis consulibus: in quibus hæc adversus hæreticos lata habetur sententia: "Pelagium Celestiumque, id est, inventores vocum novarum, quæ, sicut dixit apostolus, ædificationis nihilum, sed magis vanissimas^r consueverunt parere quæstiones, ecclesiastica communione privari, apostolici vigoris auctoritate censemus, donec resipiscant de Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem; eosque interim Dominico ovili non recipi quod, ipsi perversæ viæ sequuti tramitem deserere voluerunt." Epistola ad^s Carthaginensis concilii episcopos in^t vetustis monasterii Corbeiensis exemplaribus legitur "Data VI. Kalendas Februarii, post consulatum Theodosii Augusti VII. et Junii Quarti Palladii V. C." altera vero ad^u quinque episcopos, "Data pridie Kalendas Februarias post consulatum gloriosissimi Theodosii Augusti VII. et Junii Quarti Palladii V. C." ubi de Pelagii purgatione rescribit ista: "Nobis nec persuaderi potest eum esse purgatum, quamvis ad nos a nostris quibusdam laicis sint gesta perlata, quibus ille auditum se crederet et absolutum: quæ utrum vera sint dubitamus, quod sub nulla illius prosecutione venerunt, nec eorum aliquas accepimus de hac re literas apud quos istius rei iste præstitit causas. Quod si de sua ille potuisset purgatione confidere, hoc magis credimus quod egisset, quod multo verius esse potuerat, ut illos cogeret epistolis suis quid judicaverunt indicare. Verum cum sint aliqua in ipsis posita gestis, quæ objecta

^p Ann. CCCCXVII.

^q Innocent. epist. 25. tomo 1. Concil. et inter Augustinian. num. 182.

^r 2 Tim. cap. 2, ver. 23, 26.

^s Innocent. epist. 24. tom. 1. concil. inter Augustinian. num. 181.

^t Jac. Sirmond. propemptic. lib. 2. cap. 2.

^u Innocent. epist. 26. tom. 1. concil. inter Augustinian. num. 183.

partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit, aliqua magis falsis argumentis quam vera ratione ut ad tempus poterat videri, purgavit negando, alia falsa interpretatione vertendo. Sed utinam, quod optandum magis est, etiam se ille ad veram fidei viam ab illo sui tramitis errore convertat, ut cupiat velitque purgari; considerans quotidianam Dei gratiam, adjutoriumque cognoscens, ut videatur verum, et approbetur ad omnibus manifesta ratione correctus, non gestorum iudicio sed ad Catholicam fidem corde converso. Unde non possumus illorum nec culpam nec approbare iudicium, cum nesciamus utrum vera sint gesta, aut si vera sunt, illum constet magis subterfugisse, quam se tota veritate purgasse. Qui si confidit novitque non nostra dignum esse damnatione, quod dicat jam totum hoc se refutare quod dixerat; non a nobis accersiri, sed ipse debet potius festinare ut possit absolvi. Nam si adhuc taliter sentit; quando se nostro iudicio quibusvis acceptis literis, cum sciat damnandum esse, committet? Quod si accersendus esset; ab iis melius fieret, qui magis proximi et non longo terrarum spatio videntur esse disjuncti. Sed non deerit cura, si medicinae præbeat ille materiam. Potest enim damnare quæ senserat, ac datis literis erroris sui, ut regressum ad nos decet, veniam postulare."

Scrripsisse Innocentium "Decretum occidentalium ecclesiarum, et orientalium, adversus Pelagianos datum, quod postea successor ejus papa Zosimus latius^w promulgavit," refert Gennadius^x. Ubi Innocentii temporibus et ab occidentalibus, et orientalibus ecclesiis rejectos fuisse istos observa. De occidentalibus id ita confirmat Photius: "Ἐξεβλήθησαν οἱ οὕτω φρονούντες τῆς ἐκκλησίας, ὡς αἰρετικοὶ, ἐν τοῖς χρόνοις Θεοφίλου τοῦ Ἀλεξανδρείας καὶ Ἰννοκεντίου Ῥώμης, ὑπὸ τε Ῥωμαίων, καὶ Ἀφρων, καὶ τῶν λοιπῶν δυτικῶν ἐπισκόπων. Ejecti sunt qui ita senserunt ex Ecclesia, velut hæretici, temporibus Theophili Alexandrini et Innocentii Romani antistitis, et a Romanis et ab

^w Al. *Latinis*; male.

^x Gennad. catalog. vir. illust. cap. 43.

^y Phot. bibliothec. num. 54.

Afris et a reliquis occidentalibus episcopis :” de orientalibus confirmat Eusebius in epistola², post mortem quidem Innocentii sed ante publicatum decretum Zosimi, ad Cyrillum patrum Theophili successorem scripta, adversus Valerianum quendam, servilis conditionis hominem, Pelagianam hæresim Alexandrinæ ecclesiæ invehere molientem. “Quomodo nunc,” inquit ille, “cum beatæ memoriæ Innocentius Pelagium Celestiumque cum suis capitibus condemnans, cunctis eos abjicientibus orientalibus, Alexandrina ecclesia in communionem receperit ; quæ sola et prima inter comprovinciales suos tales refutare debuerat? Sed ille est pestifer, de quo sanctitudini tuæ ante annum scripseram, signifer et confœderatus eorum Valerianus ventriloquus ; qui gulæ operam præbens, quicquid otiosum suæ adulationis invenerit, ibi sanctos ac fidelissimos nunciat. Sed non illum liberum putet tua beatitudo : servus est Ariminensis possessionis illustrissimi Valerii Comitis : quem, propter reverentiam tui amoris, repetendum a te, interim fieri siluimus.”

Hoc autem anno vita functus est Innocentius, IV. Idus Martii, qui dies memoriæ ejus in Bedæ martyrologio recte habetur assignatus. In libro quidem pontificali, V. Calendas Augusti sepultus fuisse dicitur: eodemque die in Romano, ut et in Usuardi ac Rabani martyrologio, ejus obitus est consignatus. Verum mense Martio post Innocentium Romanæ Ecclesiæ præfuisse hoc anno Zosimum, ex Paschasino Lilybetano et Prospero constare arbitror. Nam “ tempore Zosimi, anno consulatus Honorii Augusti XI. et Constantii II. (id est, hoc ipso anno CCCCXVII.) cum declinaretur ne X. Calendarum Maiarum die pascha teneretur, celebratum fuisse VIII. die Calendarum Aprilis” in epistola³ ad Leonem I. Romanum pontificem testatur Paschasinus : eundemque Zosimum “ anno uno, mensibus novem, diebus novem,” Romanæ Ecclesiæ episcopatum tenuisse, in chronico author est Prosper : qui a fine se-

² Baron. ann. 417. sec. 15.

³ Inter 63. et 64. Leonis epistol. edit. Paris. ann. 1618.

quentis anni, sive XXVI. die Decembris (in quo et Bedæ et Romanum martyrologium decessisse Zosimum consentit) retro numerati, ad XVIII. Martii hujus anni nos perducunt: qui dies integra hebdomada paschalem Dominicam a Paschasino indicatam antecedit, sex vero dierum spatio, quod sedis vacationi tribuendum, excessum Innocentii in Bedæ martyrologio annotatum subsequitur. Unde Baronii chronologia corrigenda, qui “ post^b Innocentii obitum, interlapsis diebus viginti duobus (ut ille appellat) interregni, Zosimum subrogatum esse die XIX. mensis Augusti; et sedisse^c annum unum, menses quatuor, et dies septem,” statuit.

^b Baron. ann. 417. sec. 17.

^c Id. ann. 418. sec. 75.

CAP. X.

Rerum contra Pelagium et Celestium, Zosimi et Bonifacii proximorum Innocentii successorum temporibus, gestarum historia. Quomodo Zosimus eorum causam primo vehementer egerit, nec minus vehementer postea condemnaverit. Africanorum contra eos episcoporum zelus, et frequentibus ad Zosimum missis literis, et anathematismis in duabus plenariis synodis adversus nefariam hæresim promulgatis, luculenter expressus. Quibus legibus et ipsos hæresiarchas et eorum sectatores Romani imperatores coercuerint: et quomodo funesta hæc Ecclesiæ pestis profligata tandem fuerit, atque in toto orbe condemnata.

MORTUO^a Innocentio, contra^b Pelagianos ad S. Paulinum Nolanum episcopum ab Augustino et Alypio missa est epistola^c: in qua, commemoratis literis ab Africanis præsulibus ad Innocentium pridem scriptis, de responso illius et subsecuto successu adjiciuntur ista: “Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo quo fas erat atque oportebat apostolicæ sedis antistitem. Quæ omnia modo legere poteris, si eorum forte ad te vel nulla vel non cuncta pervenerant: ubi videbis servata erga hominem moderatione quæ debuit, ne damnaretur si prava damnaret, ipsum tamen novellum et perniciosum errorem sic ecclesiastica auctoritate compressum, ut multum miremur esse adhuc quosdam qui per quemlibet errorem gratiæ Dei contentur obistere; si tamen hæc gesta didicerunt.” Habenturque ibidem “capitula^d excerpta ex gestis habitis contra Pela-

^a Ann. CCCCXVII.

^b Augustin. de dono perseverant. cap. 21.

^c Augustin. epist. 186. op. tom. 2. pag. 663.

^d Edita ea sunt in Isidori Mercatoris collectione, inter epistolas Leonis P. num. 72. fol. 177. edit. Paris. ann. 1525. et ad calcem commentar. Gabr. Vazquez in primam secundæ Thomæ; ex codice Monasterii montis Cassini.

gium hæreticum, et alia de libellis ejus, quæ in Palæstina synodo sibi objecta damnare compulsus est :” cum præmio etiam illo quod ab Africanis episcopis adjectum fuisse putavit Baronius^e, et tanquam rarum aliquod monumentum ex Cresconiana collectione annalibus suis intexuit; et epilogo, quem pro synodi Diospolitane canone per errorem amplexus est vir doctissimus, qui sub Petri Aurelii nomine ad octo causas respondit Jesuiticæ Spongiæ præambulas. Plenior vero rerum istarum descriptionem Augustinus, integra Diospolitane synodi acta jam nactus, singulari ad Aurelium tractatu edito explicavit. Liber ille, quem perisse existimaverat Baronius^e, apud Fesulanos in bibliotheca canonicorum regularium abbatiae S. Bartholomæi a Davide Rothæo Hiberno primum repertus^h, indeque a Petro Lombardo item Hiberno extractus, Marci Velseri et Davidis Hoeschelii opera Augustæ Vindelicorum in lucem postea est productus, atque etiam a Francisco Suarez ad finem sexti sui prolegomeni de gratia appositus. Is in Fesulano exemplari, de gestis Pelagii, in indiculo Possidii contra gesta Pelagii, in Prosperoⁱ, et ipso Augustino^k multo rectius, de gestis Palæstinis est inscriptus. Nec ita multo post ab eodem Augustino scripta est epistola centesima et octogesima septima ad Dardanum; in qua, suam intentionem contra hæresim Pelagianam, non expresse nominatam, maxime vigilavisse profitetur.

Hoc interim spatio Celestius, ex Asia Romam profectus, coram novo pontifice (quem magis sibi benevolam expectabat quam Innocentium expertus fuerat) sese stitit, eique purgationis suæ libellum obtulit: ubi cum^m fidem

^e Baron. ann. 415. sec. 21.

^f Resp. ad caus. 4. pag. 445.

^g Baron. ann. 415. sec. 20.

^h Post mille centenos annos inventus ab illustri et docto viro Davide Rothæo Hiberno in bibliotheca Fesulana canonicorum regularium in Hetruria liber de gestis Pelagii contra adversarios gratiæ, ab eodemque extractus per illustriss. D. Petrum Lombardum archiepiscopum Armachanum totius Hiberniæ primatem: ut notat in præfatione ad lectorem Francisci Assisiatis opusculis a se editis præfixa, Lucas Waddingus Hibernus.

ⁱ Prosper. contra Collator. cap. 42. ^k Augustin. de peccat. Original. cap. 14.

^l Id. Retractat. lib. 2. cap. 47, 49.

^m Id. de peccat. Original. cap. 23.

suam a trinitate unius deitatis usque ad resurrectionem qualis futura est mortuorum, de quibus eum nullus interrogaverat, et unde ibi nulla quæstio movebatur, quantum dicere libuit explicasset; ubi ad id quod agebatur ejus sermo pervenit, "Si quæ vero," inquit, "præter fidem quæstiones natæ sunt, de quibus esset inter plerosque contentio: non ego quasi author alicujus dogmatis definita hoc autoritate statui, sed ea quæ de prophetarum et apostolorum fonte suscepti, vestri apostolatus offerimus probanda esse iudicio; ut si forte ut hominibus quispiam ignorantia error obrepserit, vestra sententia corrigatur." Deinde hoc quasi gradu quodam atque aditu ad cætera jacto; de pædobaptismo verba faciens, licet parvulosⁿ in remissionem peccatorum baptizari debere agnosceret, ullum tamen originale habere peccatum ore impudentissimo pernegavit: "Infantes autem," inquit, "debere baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis Ecclesiæ et secundum Evangelii sententiam, confitemur: quia Dominus statuit regnum cœlorum non nisi baptizatis posse conferri; quod quia vires naturæ non habent, conferre necesse est per gratiæ libertatem. In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes, non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longe a Catholico sensu alienum est: quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine; quia non naturæ delictum, sed voluntatis esse demonstratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur, et hoc præmunire necessarium est, ne per mysterii occasionem ad Creatoris injuriam malum, antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam."

Hinc ad ecclesiasticum iudicium Romæ in S. Clementis basilica vocatus, crebra^p interlocutione a Zosimo interrogatus est; utrum Innocentii papæ literis, quibus nuperime ille episcoporum literis respondit Afrorum, consen-

ⁿ Augustin. de gratia Christi, cap. 33.

^o Apud eund. de peccat. Original. cap. 5, et 6.

^p Ibid. cap. 7, et lib. 2. ad Bonifac. cap. 3, 4.

tiret, et quæ in Paulini diaconi libello, in Carthaginensi examine ante quinquennium habito, objecta illi fuerant condemnaret. At ille noluit quidem diaconi objecta damnare, sed Innocentii literis non est ausus obsistere; imo se omnia, quæ sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit: "Damnas^q ergo illa omnia," inquit ad eum Zosimus, "quæ in libello Paulini continentur?" et cum Paulinum ille diceret posse, ex his quæ illi objecta sunt, hæreticum approbari; pressit ulterius: "Nolo nos circuitu ducas. Damnas ea omnia quæ tibi objecta a Paulino, sive per famam jactata sunt?" Et in alio loco: "Cognovisti quales literas dederit sedes apostolica ad fratres et coepiscopos Africanæ provinciæ?" Et adjectum: "Damnas illa omnia quæ damnavimus; et tenes quæ tenemus?" Et iterum; "Illa omnia damnas quæ jactata sunt de nomine tuo?" Ipse^r respondit; "Damno, secundum sententiam beatæ memoriæ præcessoris tui Innocentii."

Superest de his gestis epistola Zosimi^s, ad Aurelium Carthaginensium episcopum et universos Africanæ episcopos hoc anno, Honorio Augusto XI. et Flavio Constantio consulibus conscripta: e qua, quæ ad historiam illustrationem faciunt, ista excerptimus: "Celestius presbyter nostro se ingressit examini, expetens ea, quæ de se apostolicæ sedi aliter quam oportuit essent inculcata, purgari. Et licet multæ occupationes majoribus vinculis ecclesiasticorum negotiorum curam nostram solitudinemque distraherent: tamen ne paternitatis vestræ de adventu ac discussione prædicti diutius penderet expectatio, posthabitis omnibus, die cognitionis resedimus in sancti Clementis basilica. Omnia igitur quæ prius fuerant acta discussimus, sicut gestorum huic epistolæ cohærentium instructione discetis. Intromisso Celestio, libellum ejus, quem dederat, fecimus recitari. Nec hoc contenti: utrum hæc quæ scripsisset, corde loqueretur, an labiis, sæpenumero exploravimus: cum de occultis animorum solius Dei nostri possit esse

^q Paulin. diacon. in literis ad Zosimum, apud Baron. ann. 418. sec. 13.

^r Augustin. ad Bonif. lib. 2. cap. 4.

^s Zosim. ep. 3. tom. 1. concil. pag. 606.

judicium; cui non tantum cogitata, sed cogitanda jam præsto sunt. Quid voces ejus contineant, compendiosius duximus ad sanctitatem vestram legenda cognosci. Unum sane movet nos, ut cum in præsentī ibi Celestium habueritis, nihil liquido judicatum sit. Ad literas Erotis et Lazari priori relatione destinata; equidem hoc fervore fidei præfestinatum esse, promptissimum est. Sed cum de his interrogaretur, asseruit nullum sibi de talibus contentionibus unquam cum antedictis fuisse sermonem, nec ante sibi quam de se scriberent, visu fuisse comperto: Lazarum sane in transitu cognitum; Erotem vero etiam satisfactione interposita, quod secus de ignoto et absente sensisset, cum gratia recessisse. Unde in præsentī causa nihil præcox immaturumque censuimus, sed innotescere sanctitati vestræ super absoluta Celestii fide nostrum examen; cui etiam prior libellus ab eo intra Africam testimonio apud nos esse debuisset, ne inexploratis, fama que jactantibus tam facile crederetur. Quare intra secundum mensem aut veniant qui præsentem redarguant aliter sentire, quam libellis et confessione contexit; aut nihil (post hæc tam aperta et manifesta quæ protulit) dubii sanctitas vestra resedissee cognoscat."

Errorem, a Zosimo in causa Celestii tractanda hic commissum, qua arte potuit, obducere conatus est Augustinus: "Multum misericors antistes," inquit^t, "ubi eum vidit ferri tanta præsumptione præcipitem; tanquam furentem, donec, si posset fieri, resipisceret, maluit eum sensim suis interrogationibus et illius responsionibus colligare, quam districta feriendo sententia in illud abruptum, quo jam propendere videbatur, impellere." "Atque^u ita velut phreneticus, ut requiesceret, tanquam leniter fatus; a vinculis tamen excommunicationis nondum est creditus esse solvendus: sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est." De libello vero illius Romæ^w tum edito et gestis ibi ecclesi-

^t Augustin. de peccat. Original. cap. 6.

^u Ibid. cap. 7.

^w Ibid. cap. 5, 6.

asticis allegato, in quo sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci apertissime asserit, ita iudicium pontificis defendi potuisse putavit acutissimus pater: “Cum^x hoc Celestius in suo libello posuisset, inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare et instrui velle confessus est; in homine acerrimi ingenii, qui profecto si corrigeretur plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est; quia et hoc Catholicæ mentis est, siqua forte aliter sapit quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere.” Verum sudare hic magnum antistitem, quo strumam Zosimi *διβή-φφ* vestiat et occultet, jampridem a doctissimo Vossio^y est ostensum. Favisse enim revera illum non Celestio solum sed ipsi etiam Pelagio, ut hominibus Catholicis, et qui nunquam a vera fide deseivissent; ex proximis ad Africanos literis ita clare elucet, ut in dubium res vocari omnino non possit.

Mox enim post missas illas ad Africanos priores, Zosimo sunt traditæ Praylii Hierosolymitani episcopi literæ: una cum Pelagii epistola apologetica et libello fidei: quæ Innocentio^z papæ directæ fuerant, quem illi defunctum esse nesciebant. In ista epistola dixit Pelagius esse, de quibus eum homines infamare conantur; “Unum, quod neget parvulis baptismi sacramentum, et absque redemptione Christi aliquibus regna cælorum promittat: Aliud, quod ita dicat posse hominem vitare peccatum, ut Dei excludat auxilium, et in tantum libero confidat arbitrio, ut gratiæ repudiet adjutorium.” De priore respondit; “nunquam^a se vel impium aliquem hæreticum audisse, qui hoc de parvulis diceret. Quis enim ita evangelicæ lectionis ignarus est, qui hoc non modo affirmare conetur, sed qui vel leviter dicere, aut etiam sentire possit? Deinde quis tam impius, qui parvulos exortes regni cælorum esse velit, dum eos baptizari et in Christo renasci putat? et in perpetuum

^x Augustin. ad Bonifac. lib. 2. cap. 3.

^y Voss. hist. Pelagian. lib. 1. cap. 28.

^z Augustin. de gratia Christi, cap. 30. et de peccat. Origin. cap. 17.

^a Ibid. de peccat. Origin. cap. 18. 19, 20.

certamque vitam renasci vetet eum, qui natus sit ad incertam?"

De posteriore, post^b invidiosas de suis inimicis querelas, ita locutus est: "Ecce ad beatitudinem tuam epistola ista me purget; in qua pure atque simpliciter ad peccandum et ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino semper adjuvatur auxilio. Quam liberi arbitrii potestatem dicimus in omnibus esse generaliter; in Christianis, Judæis atque Gentilibus. In omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam; sed in solis Christianis juvatur a gratia. In illis nudum et inerme est conditionis bonum: in his vero qui ad Christum pertinent, Christi munitur auxilio. Illi ideo judicandi atque damnandi sunt, quia cum habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, et Dei gratiam promereri, male utuntur libertate concessa: hi vero remunerandi sunt, qui bene libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, et ejus mandata custodiunt." Tum adjutorii gratiæ a se asserti testes libros^c suos producit; atque in iis epistolam "ad sanctum Constantium episcopum; ubi breviter quidem, sed plane, libero hominis arbitrio Dei gratiam auxiliumque conjunxisse" se affirmat. Extat vero adhuc integer libellus^d fidei Pelagii ad Innocentium cum epistola transmissus: Catholicæ professionis fucio ita obductus, ut nomine et Augustini^e, qui dolos illius ipse^f detexit, et Hieronymi^g, quem, tacito nomine, libellus^h iste ut blasphemum execratur, superioribus seculis passim venditatus fuerit.

Ista Pelagii scripta ad Aurelium et reliquos Africæ episcopos mittenda curavit Zosimus, una cum literisⁱ suis, datis XI. Kalendas Octobris: quarum hoc initium: "Post-

^b August. de gratia Christi, cap. 31.

^c Ibid. cap. 34, 36.

^d Tom. 1. concil. pag. 606. edit. Colon. ann. 1606.

^e Inter op. Augustin. serm. 236. app. tom. 5. pag. 388.

^f Augustin. de gratia Christi, cap. 22, 23.

^g Symboli explanatio ad Damasum; op. Hieronym. tom. 5. pag. 122. Item in Caroli M. Capitular. de imaginib. lib. 3. cap. 1.

^h Vide nostram Pelagianæ historiæ continuation. in fin. cap. 1. op. tom. 4. pag. 12.

ⁱ Zosim. epist. 4. tom. 1. concil. pag. 607.

quam a nobis Celestius presbyter auditus est, et quid de fide sentiret evidenter expressit; eadem quoque quæ in libello contulerat, repetitis crebro professionibus, roboravit: de ejus nomine plenius ad dilectionem vestram scripta direximus. Ecce epistolam Hierosolymitani episcopi Praylii, qui in locum quondam sancti Johannis episcopus est ordinatus, accepimus; qui causæ Pelagii cœnixius adstipulator intervenit. Literas quoque suas idem Pelagius purgationem continentes, abundantissime misit: quibus et professionis suæ fidem, quid sequeretur, quidve damnaret, sine aliquo fuco, ut cessarent totius interpretationis insidiæ, cumulavit. Harum recitatio publica fuit: omnia quidem paria, et eodem sensu sententiisque formata, quæ Celestius ante protulerat, continebant. Utinam ullus vestrum, dilectissimi fratres, recitationi literarum interesse potuisset. Quod sanctorum virorum, qui aderant, gaudium fuit? Quæ admiratio singulorum? Vix fletu quidam se et lachrymis temperabant. Tales etiam absolutæ fidei infamari potuisse? Estne ullus locus, in quo Dei gratia vel adjutorium prætermisum sit?"

Deinde in Erotem et Lazarum, Pelagii accusatores, acerbius et vehementius invecus: "Mirum est," inquit, "si isti laicum^k virum, ad bonam frugem longa erga Deum servitute nitentem, falsis literis percellere noluerunt; qui in fratres et cœpiscopos tanta machinati sunt, qui tot tempestates Ecclesiæ reddiderunt. Non decet episcopalem auctoritatem, et præcipue prudentiam vestram, ad levium susurronum scripta pendere. Ecce Pelagius Celestiusque apostolicæ sedi in literis suis et confessionibus suis præsto sunt. Ubi Eros? ubi Lazarus? erubescenda factis et damnationibus nomina? Ubi illi adolescentes Timasius et Jacobus?" Tandemque totam epistolam hoc claudit epilogo: "Si Deo nostro cordi fuit, propter oves perditas, Verbum carnem fieri, et ex Domino formam servientis induere, ut diu interceptam redderet libertatem: sit vobis gaudium, eos, quos falsi iudices^l criminabantur, agnoscere a nostro corpore et

^k Pelagium. Vid. supr. cap. 8. pag. 256.

^l Indices. Eros. sc. et Lazarus; Voss.

Catholica veritate numquam fuisse divulsos. Certe hoc quod nostra expectatio desiderabat, eluxit; ut damnanda damnarent, et sequenda sequerentur. Si^m paterfamilias reditu filii gratulabatur, qui mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est; et jubet in usum ejus stolam mundam, hoc est, insigne candidæ mentis, affèri et vitulum saginatum: quantum hæc uberior exultatio est fidei, non mortuos esse nec periisse de quibus falsa vulgata sunt? Misimus igitur ad dilectionem vestram exemplaria scripturarum, quas Pelagius misit: quarum lectionem non ambigimus parem vobis in Domino de absoluta ejus fide esse lætitiã.

In quibus literis observare liceat “Zosimumⁿ, contra S. Innocentii decessoris sui sententiam fidem ipsius Pelagii ejusque complicitis Celestii (quem in ecclesia Carthaginensi convictum, atque appellantem apostolicam sedem, et ipse gestis discusserat) tanquam veram et Catholicam laudantem; insuper etiam Africanos culpantem episcopos, quod ab illis hæretici crederentur: cum, needum ipsi Africanis episcopis dolos eorum multo manifestius detegentibus, memoratos Pelagium et Celestium putaret orthodoxos:” quemadmodum his ipsis verbis a Facundo Hermianensi episcopo est notatum: qui in hoc tamen eum excusandum putavit; “quoniam non debet crimini deputari simplicium, non intellecta versutia malignorum.” Neque istos solum, sed etiam Julianum, tertium illius sectæ antesignanum, in Romani Pontificis gratiam se insinuare conatum fuisse, duæ illæ epistolæ fidem fecerint, quas se ad^o Zosimum super his quæstionibus destinavisse, libro primo posterioris adversus Augustinum responsionis testatur ipse.

Ex^p tot et tantis in Celestii causa inter Zosimum et Afros episcopos currentibus et recurrentibus scriptis ecclesiasticis, Africanorum patrum nihil fere adhuc superest. “Ex^q Africano episcoporum concilio rescripta illa directa

^m Luc. cap. 15. ver. 22, 23, 24.

ⁿ Facund. lib. 7. cap. 3.

^o Apud Augustin. imperfecti adversus Julianum operis, lib. 1. cap. 17.

^p Augustin. ad Bonifac. lib. 2. cap. 3.

^q Id. de peccat. Original. cap. 7.

fuisse," docet Augustinus. Carthaginem vero in autumno hujus anni, convenisse patres illos ex Zosimi re-scripto colligo; quod post solutam synodum, Aurelio ac cæteris qui in concilio Carthaginensi affuerunt, sequentis veris initio est transmissum. Ex eo, non unas literas a concilio illo ad Zosimum scriptas fuisse apparet: et postremarum latorem fuisse Carthaginensis ecclesiæ subdiaconum Marcellinum; per quem et Paulinus, ejusdem ecclesiæ diaconus, Romam ad prosequendam adversus Celestium accusationem accersitus, libellum suum Zosimo direxisse se dicit, datum sexto Idus Novembris. In eo libello, quæ ad hanc causam potissimum faciunt, ista sunt:

"Egoꝝ Deo et Christo Domino gratias ago, qui Ecclesiæ suæ causam ita agi voluit, ut sedes apostolica, a qua oportuit ore duorum pontificum hæresim condemnari, ea damnanda præcepit, quæ a me Celestio fuerant objecta; cujus ego non damnationem, sed correctionem semper optavi et opto: cui nunc jam non mecum, sed cum universa Dei Ecclesia causa est, sicut data ad beatitudinem tuam scripta testantur. Unde oro beatum apostolatum tuum, ut hunc meum libellum suscipi jubeas, quo gratias referam tantæ sedi, et sententiis justissimis pro parte mea latis: quem idcirco direxi, quia me licet sermone Basiliscus subdiaconus a tua beatitudine cum gestis sedis apostolicæ directis, Carthagine convenit quarto Nonas Novembris die, ut adessem ad apostolicam sedem, et tuæ judicio sanctitatis: ad quam me fugisse, suggestum est, nec defuturum fore, promittere, si adversum me et non pro me fuisset lata sententia. Ubi tunc igitur nihil agere potui, quia is qui ad sedem apostolicam provocaverat, defuit, quem oportuerat utique merita suæ appellationis adstruere; maxime cum nihil agente appellatore, secundum etiam humanas leges, superior est semper ille qui vicit. Quid enim jam mea intererat, ut etiam apud vestram reverentiam pravæ ejus doctrinæ adstipulator existeret, de quo

† Baron. ann. 418. sec. 14, 15.

congaudere possem, si damnatis his quæ illi a me objecta fuerant, sic ea per apostolicæ sedis iudicium roborari, meruisset absolvi, nec prius se ordinari quam purgari pateretur? Sed vulpecula fraudibus fuit semper studens, ingenium suum mutare nescit. Non se credidit posse deprehendi; quoniam confidentiam semper in foveis habuit, in quibus demersum caput conscientiæ suæ nititur occultare. Quod jam diutius latere non potuit; sed manifestius publicatum, spirituali per tuam beatitudinem gladio resecatur, ne amplius ferinis dentibus grex Domini secetur in partes, quam pastor bonus sollicita et pervigili cautela custodis."

Sequitur^s jam Pelagianæ hæresi funestus ille annus, Honorii XII. et Theodosii VIII. consulatu signatus: ad quem in chronico suo Prosper: "Hoc tempore Constantius^t servus Christi ex vicario Romæ habitans, et pro gratia Dei devotissime Pelagianis resistens, factione eorundem multa pertulit, quæ illum sanctis confessoribus sociaverunt. Concilio apud Carthaginem^u habito CCXIV. episcoporum, ad papam Zosimum synodi decreta perlata sunt: quibus probatis per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est." Sed ante proscriptam in plenario hoc Africæ concilio Pelagianam hæresim, ad episcopos qui superiori autumnio in provinciali concilio Carthaginensi adfuerunt, de Celestii causa a Zosimo^w scripta est epistola: in cuius parte posteriore, percepto jam errore factus moderatior, multo quam ante placidius eos sic est allocutus:

"Pariter vobiscum volumus habere tractatum de illo qui apud vos, sicut ipsi per literas dicitis, fuerit accusatus, et ad nostram (qui se assereret innocentem, non refugiens iudicium ex appellatione pristina) venerit sedem, accusatores suos ultro deposcens, et quæ in se crimina per rurem falso dicebat illata condemnans: omnem ejus petitionem prioribus literis, quas vobis misimus, putavimus ac

^s Ann. CCCCXVIII.

^t Martyrolog. Roman. die 30. Novembr.

^u Vid. Augustin. Psalm. 47.

^w Zosim. ep. 10. tom. I. concil. pag. 611.

novimus explicatam; satisque illis scriptis, quæ ad illa rescripseratis, credimus esse responsum. Sed post missæ per Marcellinum subdiaconum vestrum epistolæ omne volumen volvimus: quo aliquando perlecto, ita totum literarum comprehendistis textum; quasi nos Celestio commodaverimus in omnibus fidem, verbisque ejus non discussis, ad omnem (ut ita dicam) syllabam præbuerimus assensum. Nunquam temere, quæ sunt diu tractanda, sinuntur; nec sine magna deliberatione statuendum est, quod summo debet disceptari iudicio. Idcirco noverit vestra fraternitas, nihil nos post illas quas superius vel literas vestras accepimus, immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerant, cum hoc nostris literis vestræ indicavimus sanctitati, ut illa quæ a vobis ad nos missa erat obtestatio, remaneret.”

Data quidem notantur hæ literæ XII. Calendas Aprilis sed acceptæ III. Calendas Maii Honorio Augusto XII. consule. Interea vero patres Carthaginenses, qui ex omnibus Africæ provinciis convenerant, minime hic cunctandum rati, adversus Pelagium et Celestium constitutiones ediderunt: quibus et synodalem ad Zosimum^x præfixerunt epistolam, in qua contra hæresiarchas liberam hanc et claram protulerunt sententiam: “Constituimus in Pelagium atque Celestium per venerabilem episcopum Innocentium de beatissimi apostoli Petri sede prolatam manere sententiam: donec apertissima confessione fateantur, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum non solum ad cognoscendam, verumetiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvari; ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.” Atque hujusmodi fuit, non ab ipso quidem Zosimo (ut *μνημονικῶ ἀμαρτήματι* a Baronio^y alicubi citatam invenimus) sed ad Zosimum edita “ducentorum quatuordecim sacerdotum constitutio contra inimicos gratiæ Dei; quam, ut^z Prosper ait, totus mundus amplexus est.”

^x Prosper. contra Collator. cap. 10.

^y Baron. ann. 416. sec. 14.

^z Prosp. respon. ad capit. 8. Gallorum.

Speciatim vero de Celestio^a rescripserunt Africani antistites; “ non sufficere hominibus tardioribus et sollicitioribus, quod se generaliter Innocentii episcopi literis consentire fatebatur, sed aperte eum debere anathematizare quæ in suo libello prava posuerat: ne, si id non fecisset, multi parum intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena a sede apostolica crederent approbata, propterea quod ab illa dictum erat, eum libellum esse Catholicum; quam emendata, propter illud quod se papæ Innocentii literis consentire ipse responderat.” Quæ Romam literæ postquam venerunt, “ cum ejus præsentia posceretur, ut certis ac dilucidis responsionibus vel astutia hominis vel correctio dilucesceret, et nulli ambigua remaneret; se subtraxit et negavit examini, ne^b secundum Africana rescripta ipsa omnino verba commemorare et anathematizare, quæ in libello suo posuit, cogeretur.”

Acceptis Carthaginensis synodi gestis (ut ex vetustissimo Thuanæ bibliothecæ codice ostendit doctissimus Salmasius^c) ab Honorio et Theodosio Augustis contra Pelagium et Celestium lex est edita: quam cum edicto suo (ut moris erat) tres præfecti prætorio per singulas præfecturarum suarum diœceses promulgarunt. Eorum primus Junius Quartus Palladius, Italiæ præfectus, ante biennium, secundus Monaxius, præfectus orientis, anno sequente, tertius Agricola, Galliarum præfectus, anno post eum altero, consulatum gessit ordinarium. Lex ista a Magdeburgensibus^d historicis in lucem primum est producta: quam, ex Atrebatensis^e et alterius illius e Thuanæ bibliotheca exemplaris collatione paulo emendatiorem redditam, hoc etiam in loco conspiciendam exhibemus.

^a Augustin. ad Bonifac. lib. 2. cap. 3.

^b Ibid. cap. 4.

^c Salmas. Eucharist. de ecclesiis suburbicar. pag. 238.

^d Cent. 5. cap. 9. col. 847, 848.

^e Baron. ann. 418. sec. 19, 20.

SACRUM RESCRIPTUM, ACCEPTIS SYNODI GESTIS DATUM.

Imperatores Honorius et Theodosius Augusti, Palladio præfecto prætorii.

“ AD conturbandam Catholicæ simplicitatis lucem, puro semper splendore radiantem, dolosæ artis ingenio novam subito emicuisse versutiam pervulgata opinione cognovimus: quæ fallacis scientiæ obumbrata mendaciis, et furioso tantum debacchata luctamine, stabilem quietem cœlestis conatur attrectare fidei; dum novi acuminis commendata vento, insignem notam plebeïæ æstimat vilitatis, sentire cum cunctis, ac prudentiæ singularis palmam fore, communiter approbata destruere. Cujus impiæ commutationis authores Pelagium Celestiumque percrehuit extitisse. Hi parenti cunctarum rerum Deo, præcipuæque semper majestatis, interminatione potenti omne ultra principium transeunti, tam trucem inclementiam sævæ voluntatis assignant, ut cum formandi mundi opificem curam sumeret, qualitatemque hominis struendi profunda spiritus conceptione libaret, fundati muneris finem anteferet exordio, et mortem præmitteret nascituro; non hanc insidiis vetiti fluxisse peccati, sed egisse penitus legem immutabilis constituti: ad declinandum leti exitialis incursum nihil prodesse abstinentiam delinquendi, cujus ita vis putaretur adstricta, ut non possit aboleri deinceps. Primitivi hominis errorem, in quem captæ mentis inops rationis cæcitas irruisset, delapsum ad posteros non fuisse; tantumque apud eum, quem malesuadæ gratiæ infelix rapuisset illecebra, transgressionem interdicti extitisse discriminis: cum evidens Catholicæ legis omnifaria testetur autoritas, illum interitus omnium fuisse vestibulum, quem divinæ præceptionis sedulum liqueat corrupisse mandatum. Aliaque quamplurima, quæ sermo respuit, lex refutat; quæ perexosum sit recordari, etiam sub dispositione plectendi: quæ maturato remedio et celeritate festina oportet intercipi; ne corroborato usu nequitiae adolescentibus vix valeant coerceri. Siquidem aures mansue-

tudinis nostræ recens fama perstrinxerit, intra sacratissimam urbem nostram aliaque loca, ita pestiferum virus quorundam inolevisse pectoribus, ut interrupto directæ credulitatis tramite, scissis in partes studiis asserendi, materia impacatæ dissensionis inducta sit; novoque scandali fomite concitato, beatissimæ Ecclesiæ acta nutet et attentata tranquillitas (aliis id, aliis aliud ancipiti interpretatione sectantibus) et absoluta sanctorum apicum claritas, ac dilucide quod sequi universitas debeat explanans, (pro captu versipellis ingenii profanam novorum authorum momentibus quæstionem) Palladi parens carissime atque amatissime."

"Ob quam rem illustris autoritas tua, victura in omne ævum lege, nos statuisset cognoscat, ut pulsus ex urbe primitus capitibus dogmatis execrandi, Celestio atque Pelagio, si qui hujus de cætero sacrilegii sectatores quibuscunque locis potuerint reperiri, aut de pravitate damnata aliquem rursus proferre sermonem: a quocunque correpti, ad competentem judicem pertrahantur; quos, sive clericus sive laicus fuerit, deferendi habeat potestatem, et sine præscriptione aliqua perurgendi, quos relicta communis scientiæ luce novæ disputationis tenebras introferre deprehenderit; contra apostolicam scilicet disciplinam evangelicamque claram et sine errore sententiam, vafra rudis sectæ calliditate pugnantes, involventesque splendentem fidem veri ambagibus disserendo. Hos ergo repositos ubicunque de hoc tam nefando scelere conferentes, a quibuscunque jubemus corripere, deductosque ad audientiam publicam, promiscue ab omnibus accusari; ita ut probationem convicti criminis stylus publicus insequatur, ipsis inexorati exilii deportatione damnatis. Decet enim originem vitii a conventu publico sequestrari; nec in communi eos celebritate consistere, qui non solum facto nefario detestandi, verumetiam exemplo venenati spiritus sunt cavendi. Juvat autem per omnem pene mundum, qua imperium nostrum extenditur, hujusmodi promulgata diffundi: ne scientiæ fortasse dissimulatio pastum præstet errori; atque impune se quisque putet audere, quod condemnatum vigore publico sese finxerit ignorare. Datum

pridie Calendas Maias, Ravennæ, DD. NN. Honorio XII. et Theodosio VIII. Augustis consulibus.”

EXEMPLAR^d EDICTI PROPOSITI A PALLADIO PRÆFECTO
PRÆTORIO.

Junius Quartus^e Palladius, Monachus et Agricola, iterum præfecti prætorio, edixerunt :

“ IN Pelagium atque Celestium, Catholici dogmatis fidem scævnis tractatibus destruentes, sententia principalis invaluit, ut venerabili urbe submoti bonorum concilio multerentur. Hoc igitur omnes admoneri oportet edicto, ne quis sinistra persuasionis erroribus credulum præstet assensum. Et si sit ille plebeius, ac clericus, qui in caliginis hujus obscœna reciderit; a quocunque tractus ad judicem, sine accusatricis discretione personæ, facultatum publicatione nudatus, irrevocabile patietur exilium. Nam superna majestas, ut colligit ex secreti ignoratione reverentiam, ita ex inepta disputatione injuriam.”

Proximo post datam imperatoriam sanctionem die, ejus adhuc inscii CCXIV. illi patres, qui ex omnibus Africæ provinciis Carthaginem convenerunt, octo anathematismis Pelagii et Celestii hæresim perculerunt: quorum primi duo peccatum originale spectant, tres intermedii necessitatem gratiæ, postremi totidem justitiæ inhærentis imperfectionem. Eos quoque, licet notos atque apud omnes pervulgatos, velut trophæum de Pelagiana perfidia constitutum, lectorum oculis visum est subjicere.

CONCILIIUM CONTRA HÆRESIM PELAGII ET CELESTII.

“ Gloriosissimis imperatoribus Honorio XII. et Theodosio VIII. consulibus, Calendis Maiis, Carthagine in secre-

^d Magdeburgens. centur. 5. col. 849. Salmas. Eucharist. de eccles. suburbi-car. pag. 291, 292. Baron. ann. 420. sec. 4. loco non suo.

^e Quarto legit Salmasius, de primatu papæ, cap. 5. pag. 68.

tario basilicæ Fausti, cum Aurelius episcopus in universali concilio consedisset, adstantibus diaconis: placuit omnibus episcopis, quorum nomina et subscriptiones inditæ sunt, in sancta synodo Carthaginensis ecclesiæ constitutis;

I. Ut quicumque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret sive non peccaret moreretur in corpore (hoc est, de corpore exiret, non peccati merito sed necessitate naturæ) anathema sit.

II. Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati quod lavacro regenerationis expietur (unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur) anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait apostolus; *Per^f unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*: nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur; ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

III. Item placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei, qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur; anathema sit.

IV. Item quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere et quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valcamus; anathema sit. Cum enim dicat apostolus; *Scientiæ^g inflat, charitas vero ædificat*: valde impium est, ut credamus ad eam quæ

^f Rom. cap. 5. ver. 12.

^g 1 Cor. cap. 8. ver. 1.

inflat nos habere gratiam Christi, et ad eam quæ ædificat non habere: cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus; ut ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est; *Qui^h docet hominem scientiam*: ita etiam scriptum est; *Charitasⁱ ex Deo est*.

V. Item placuit, ut quicumque dixerit ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jube-mur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam; tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata; anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur: ubi non ait, Sine me difficilius potestis facere; sed ait, *Sine^k me nihil potestis facere*.

VI. Item placuit, quod ait sanctus Johannes apostolus, *Si^l dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est*; quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem non^m oportere dici nos non habere peccatum, non quia vere ita est; anathema sit. Sequitur enim apostolus, et adjungit: *Siⁿ autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus, qui remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate*. Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim apostolus dicere; Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extolimus et humilitas in nobis non est: sed cum ait, *Nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est*; satis ostendit, eum, qui dixerit se non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

VII. Item placuit, ut quicumque dixerit in oratione Dominica ideo dicere sanctos, *Dimitte^o nobis debita nostra*, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores; et ideo non dicere unumquemque sanctorum, *Dimitte mihi debita mea, sed Dimitte nobis debita nostra*,

^h Psal. 94. (al. 93.) ver. 10.

ⁱ 1 Johan. cap. 4. ver. 7.

^k Johan. cap. 15. ver. 5.

^l 1 Johan. cap. 1. ver. 8.

^m Sive, oportere dici nos habere peccatum.

ⁿ 1 Johan. cap. 1. ver. 9.

^o Matth. cap. 6. ver. 12.

ut hoc pro aliis potius quam pro se justus petere intelligatur; anathema sit. Sanctus enim et justus erat apostolus Jacobus, cum dicebat: *In^p multis enim offendimus omnes*. Nam quare additum est, *omnes?* nisi ut ista sententia conveniret et psalmo, ubi legitur; *Non^q intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Et in oratione sapientissimi Salomonis: *Non^r est homo, qui non peccat*: et in libro Job: *In^s manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam*. Unde etiam Daniel sanctus et justus cum in oratione pluraliter diceret: *Peccavimus^t, iniquitatem fecimus*, et cætera, quæ ibi veraciter et humiliter confitetur: ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hæc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit; *Cum^a orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Domino Deo meo*. Noluit dicere, peccata nostra, sed populi sui dixit, et sua: quia futuros istos, qui tam male intelligunt, tanquam propheta, prævidit.

VIII. Item placuit, ut quicumque ipsa verba Dominicæ orationis, ubi dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, ita volunt a sanctis dici, ut humiliter non veraciter hoc dicatur; anathema sit. Quis enim ferat orantem, et non hominibus sed ipsi Domino mentientem? qui labiis sibi dicit dimitti velle, et corde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere."

Atque ita tandem Pelagius et Celestius, ut ad Optatum hoc tempore scripsit Augustinus^v, "Conciliorum episcopaliū vigilantia, in adjutorio Salvatoris qui suam tuetur Ecclesiam, et a duobus venerabilibus antistitibus apostolicæ sedis papa Innocentio et papa Zosimo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano orbe damnati sunt." Cui addendum et illud Possidii^w de Pelagianistis, ut appellat. "Quoniam iidem perversi sedi apostolicæ per

^p Jacob. cap. 3. ver. 2.

^r 3 Reg. cap. 8. ver. 46.

^t Dan. cap. 9. ver. 5.

^v Augustin. ep. 157.

^q Psalm. 143. (al. 142.) ver. 2.

^s Job, cap. 37. ver. 7.

^u Ibid. ver. 20.

^w Possid. de vita Augustini, cap. 18.

suam ambitionem eandem perfidiam persuadere conabantur; instantissime etiam conciliis Africanis sanctorum episcoporum gestum est, ut sancto papæ urbis Romæ, et prius venerabili Innocentio et postea sancto Zosimo ejus successori, persuaderetur quam illa seeta Catholica fide et abominanda et damnanda fuisset. At illi tantæ sedis antistites, suis diversis temporibus eodem notantes atque a membris Ecclesiæ præcedentes; datis literis ad Africanas, orientis et occidentis ecclesias, eos anathematizandos et devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt."

Nam a Zosimo quoque jam prolata est in hæresiarchas sententia: "duobus^x istis, Pelagio scilicet et Celestio, aut si id recusaverint omnino damnatis." Unde de Zosimo Prosper, in libro contra Cassianum: "Africanorum^y conciliorum decretis beatæ recordationis papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, et ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteris omnium armavit antistitum:" et de Pelagio Augustinus, in libro de peccato originali ad Albinam, Pinianum atque Melaniam; "Fefellit^z judicium Palæstinum: propterea ibi videtur esse purgatus. Romanam vero ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non potuit: quamvis et hoc fuerit utcumque conatus; sed ut dixi, minime valuit. Recoluit enim beatissimus papa Zosimus, quid imitandus prædecessor ejus de ipsis senserit gestis^a. Attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum adversus ejus errorem pro veritate Catholica studia consonantia concorditer flagrare cernebat: inter quos diu ille vixerat, et quos ejus dogmata latere non poterant; qui Celestium ejus esse discipulum sic noverant, et ut fidelissimum et firmissimum possent de hac re testimonium perhibere." Et iterum, "Visus est ad tempus aliquid dicere quod fidei Catholice conveniret: sed illam sedem usque in finem fallere non

^x Augustin. de peccat. original. cap. 22.

^y Prosper contra Collator. cap. 41.

^z Augustin. de peccat. original. cap. 8.

^a Palæstinæ synodi. Vid. supr. cap. 9. pag. 305.

prævaluit. Post rescripta quippe Africani concilii, in quam provinciam quidem doctrina illa pestifera serpendo pervenerat, sed eam non tam late occupaverat alteque pervaserat, alia quoque ipsius in urbe Roma (ubi diutissime vixerat, atque in his fuerat prius sermonibus contentionibusque versatus) cura fidelium fratrum prolata patuerunt: quæ literis suis quas conscripsit per orbem Catholicum perferendas papa Zosinus execranda, sicut legere potestis, attextit."

In ea epistola Catholicam de divinæ gratiæ opitulatione sententiam Zosimus sic expressit: "Quod^b tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor et protector orandus est. Superbum est enim, ut quicquam sibi humana natura præsumat." Et de peccato originali, "Fidelis^c Dominus in verbis suis, ejusque baptismus re ac verbis, id est, opere, confessione et remissione vera peccatorum, in omni sexu, ætate, conditione generis humani eandem plenitudinem tenet. Nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur; nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus: sicut scriptum est; *Si^d vos filius liberaverit, vere liberi eritis*. Per ipsum enim renascimur spiritualiter, per ipsum crucifigimur mundo: ipsius morte, mortis ab Adam omnibus nobis introductæ, atque transmissæ universæ animæ, illud propagatione contractum chirographum rumpitur; in quo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius."

Cum universali illa ad omnes totius orbis episcopos epistola, speciales ad Africanos antistites, de inimicorum gratiæ damnatione, a Zosimo missæ sunt literæ: quibus illi respondentes hanc^e de divina gratia sententiam in Encyclica ipsius epistola positam præcipuo honore sunt venerati. "Nos instinctu Dei (omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum et coe-

^b Celestin. P. ad Gall. episcop. capitul. 9.

^c Augustin. epist. 190. ad Optat.

^d Johan. cap. 8. ver. 36.

^e Celestin. ad Gall. episcop. capitul. 9. Prosper, contra Collatōr. cap. 10.

piscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus." Ad quod Africani episcopi, in rescripto suo: "Illud vero," inquit, "quod in literis tuis, quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti; sic accepimus dictum, ut illos, qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens, amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? et tamen instinctu Dei factum esse, fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti. Ideo utique, quia *præparatur^f voluntas a Domino*; et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum, *Quotquot^g enim spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt*: ut nec nostrum decesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium."

Neque ad Africanos solus de hac re scripsit Zosimus episcopus, sed etiam Sixtus presbyter Romanus, Celestini postea in eodem episcopatu factus successor: quem^h cum prius "fama jactaret inimicis Christianæ gratiæ favisse; nunc priorem anathema eis in populo frequentissimo pronunciasset eadem fama non tacuit." Duas ille de hoc negotio in Africam misit epistolas: brevissimam unam per Leonem acoluthum, Aurchio Carthaginensi episcopo directam; in qua tamen suum "vigorem adversus eorum errorem satis indicavit:" prolixior alteram per Firmum presbyterum ad Augustinum et Alypium perlatam; in qua apertius et latius quid de illo perniciosissimo dogmate sentiret explicavit. Ad posteriorem hanc duabus epistolis respondit Augustinus: brevi una per Albinum acoluthum, longa alia per ipsum Firmum presbyterum missa; quem, cum rebus gestis Romæ præsens adfuisset, Sixtus "non solum advectorem scriptorum suorum, verumetiam narratorem testemque factorum esse voluit."

In priore, quæ inter Augustinianas ordine CXCI. numeratur, ita rescripsit magnus ille doctor: "Quid gratius

^f Prov. cap. 8. ver. 35. juxta LXX. ^g Rom. cap. 8. ver. 14.

^h Augustin. epist. 191. ad Sixtum. op. tom. 2. pag. 715.

legi vel audiri potest, quam gratiæ Dei tam pura defensio adversus inimicos ejus, ex ore ejus qui eorundem inimicorum magni momenti patronus ante jactabatur? Aut unde uberiores Deo debemus agere gratias, quam quod ejus sic defenditur gratia ab eis quibus datur, adversus eos, quibus vel non datur, vel ingratum est quod datur, quia ut eis gratum sit, occulto et justo judicio Dei non datur? Quapropter Domine venerabilis, in Christi charitate suscipiende sancte frater, quamvis optime facias, cum de hac re scribis ad fratres, apud quos scilli de tua solent efferre amicitia: tamen hæc cura major tibi restat, ut non solum salubri severitate plectantur, qui errorem illum Christiano infestissimum nomini audent garrere liberius, sed etiam ii diligentissime caveantur vigilantia pastorali propter infirmiores et simpliciores dominicas oves, qui eum pressius quidem ac timidius, sed tamen insusurrare non cessant; *penetrantesⁱ domos*, sicut ait apostolus, et cætera quæ sequuntur exercitata impietate facientes: nec illi negligendi sunt, qui usque ad profundum silentium suppressunt timore quod sentiunt, sed tamen eandem perversitatem sentire non desinunt. Nonnulli quippe eorum, antequam ista pestilentia manifestissimo etiam sedis apostolicæ judicio damnaretur, vobis innotescere potuerunt, quos nunc repente reticuisse perspicias; nec utrum sanati sint sciri potest, nisi cum non solum dogmata illa falsa tacuerint, verumetiam illis vera contraria, eo quo illa solent studio defensaverint: qui tamen lenius profecto sunt tractandi. Quid enim eos terri opus est, quos satis territos ipsa taciturnitas monstrat? Nec ideo tanquam sani prætereundi sunt diligentia medicinæ, quorum vulnus in abdito est. Etsi enim terrendi non sunt, tamen docendi sunt: et quantum existimo, facilius possunt: dum in eis timor severitatis doctorem adjuvat veritatis, et opitulante Domino, gratia ejus intellecta atque dilecta etiam loquendo expugnent quod jam loqui non audent."

In posteriore quæ numero est CXCIV. accuratissima adversus Pelagianos instituitur disputatio; ex cujus principio de sermone reliquo lector judicium facere poterit: "Sunt enim, inquit, quidam qui justissime damnatas impietates

ⁱ 2 Tim. cap. 3. ver. 6.

adhuc liberius defendendas putant: et sunt qui occultius penetrant domos: et quod in aperto jam clamare metuunt, in secreto seminare non quiescunt. Sunt autem qui omnino siluerunt, magno timore compressi, sed adhuc in corde retinent quod ore jam proferre non audent: qui tamen esse possunt fratribus ex priore ipsius dogmatis defensione notissimi. Proinde alii severius sunt coercedi, alii vigilantius investigandi, alii tractandi quidem lenius, sed non segnus sunt docendi: ut si non timentur ne perdant, non tamen negligantur ne pereant. Quod enim putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adiutorio Dei hominem habere consenserint; non intelligunt non se firmare humanum arbitrium, sed impellere ut per inania feratur, non in Domino tanquam in petra stabili collocetur. Paratur enim voluntas a Domino: Quod autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant quod sine ullis præcedentibus meritis, cuius vult miseretur, et quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit: parum attendunt quod debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste gloriatur; atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis et offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret: si autem gratia, utique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata. Sed injustum est, inquit, in una eademque mala causa hunc liberari, illum puniri. Nempe ergo justum est utrumque puniri. Quis hoc negaverit? Agamus ergo gratias Salvatori, dum nobis non redditum cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum cognoscimus. Si enim omnis homo liberaretur, utique lateret quid peccato per justitiam deberatur; si nemo, quid gratia largiretur."

Interea Pinianus vir nobilis, Severi expræfecti filius, socrus illius Albina et uxor Melania (senioris Melaniæ, cujus superius^k mentio facta est, neptis) Hierosolymis habitantes, "cum^l Pelagio cgerunt, ut quæcunque ad-

^k Supr. cap. 8. pag. 247, 248.

^l Augustin. de gratia Christi, cap. 1.

versus cum dicerentur scripto damnaret:" quibus ille, quod ad gratiæ necessitatem attinet, hac interposita protestatione, satisfacere conatus est, "Anathema^m qui vel sentit vel dicit gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solum per singulas horas aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam: et qui hanc conantur auferre, pœnas sortiuntur æternas:" deinde, ut de originali peccato errorem suum obtegeret, exⁿ libello fidei suæ Romam ad Innocentium misso illis recitavit; "iisdem sacramenti verbis debere baptizari infantes, quibus et majores." Ea occasione, ad versipellis hæretici dolos aperiendos, editi sunt ab Augustino libri illi duo, de gratia, et originali peccato: quos scriptos testatur ipse, "posteaquam^o Pelagiana hæresis cum suis authoribus ab episcopis ecclesiæ Romanæ, prius Innocentio deinde Zosimo, cooperantibus conciliorum Africanorum literis, convicta atque damnata est." Indeque est, quod in libri posterioris capite decimo septimo ait; "in tam nefandi erroris authores, episcopalia concilia, et apostolicam sedem, universamque Romanam ecclesiam, Romanumque imperium, quod Deo propitio Christianum est, rectissime fuisse commotum, donec respiscant^p de Diaboli laqueis." Et in epistola CXCVI. ad Asellicum: "Hoc genus hominum capita sibi invenerat Pelagium et Celestium, impietatis hujus assertores acerrimos. Qui recenti judicio Dei, per diligentes et fideles servos ejus, etiam Catholica communione privati sunt; et propter cor impœnitens adhuc in sua damnatione persistent."

Scripserant ad Julianam quoque virginis Demetriadis matrem Augustinus et Alypius, "ut contraria gratiæ Dei dogmata devitaret:" ad quos ita rescripsit illa, "Quod me hortatur reverentia vestra, ne aures indulgeam his hominibus qui pravis tractatibus venerandam fidem sæpe corrumpunt; gratias uberes ago tam piæ admonitioni.

^m Augustin. de gratia Christi, cap. 2.

ⁿ Id. de peccato Original. cap. 1. et 5.

^o Id. retractat. lib. 2. cap. 50.

^p 2 Tim. cap. 2. ver. 26.

Sed noverit sacerdotium vestrum, longe me ac domunculam meam ab hujusmodi personis esse discretam: omnisque familia nostra adeo Catholicam sequitur fidem, ut in nullam hæresim aliquando deviaverit, nec unquam lapsa sit; non dico in eas sectas quæ vix expiantur, sed nec in eas quæ parvos habere videntur errores." Hujus literæ ad Augustinum et Alypium, tum apud Hipponem simul constitutos, quum pervenissent: alia inde ad eandem scripta epistola (quæ inter Augustinianas numero habetur CLXXXVIII.) Pelagianorum non parvum esse errorem docuerunt; et venenum in Pelagii libello ad Demetriadem occultatum patefecerunt. "In quo," inquit, "libro quamvis nec ipsius nec tuæ reverentiæ nomen expresserit; tamen a matre^a virginis ut ad eam scriberet se postulatum esse commemorat. In quadam vero epistola sua idem Pelagius, ubi et nomen suum aptissime ponit, nec nomen sacræ virginis tacet, dicit ad eam se scripsisse; et ejusdem sui operis testimonio probare nititur se gratiam Dei, quam vel tacere vel negare asseritur, aptissime confiteri." Hoc enim a Pelagio factum in epistola apologetica Innocentio directa, sed, illo defuncto, successori ejus Zosimo tradita, ostendit Augustinus^r: ex quo liquet, ante Zosimi pontificatum (superiore anno inceptum, et in hujus fine terminatum) hanc ad Julianam epistolam conscriptam non fuisse.

De prostrata etiam in occidente Pelagiana hæresi, in orientem scripserunt Augustinus et Alypius ad Hieronymum; ut et de Aniano Pelagiano, qui epistolæ illius ad Ctesiphontem responderat. Ad hos Bethleemo per Innocentium presbyterum rescripsit Hieronymus: "Cooperatoribus^s et adjutoribus vobis, hæresis Celestiana jugulata est: quæ ita infecit corda multorum, ut cum superatos damnatosque esse se sentiant, tamen venena mentium non omittant; et quod solum possunt, nos oderint, per quos putant se libertatem docendæ hæreseos perdidisse. Quod autem quæritis, utrum rescriperim contra libros Aniani

^a Supra pag. 280.

^r Augustin. de gratia Christi, cap. 30, 34, 37.

^s Inter Hieronymianas, epist. 81. op. tom. 4. par. 2. pag. 645. inter Augustinianas, 202. op. tom. 2. pag. 763.

pseudodiaconi Celedensis, qui copiosissime pascitur, ut alienæ blasphemiae verba frivola subministret: sciatis me ipsos libros in schedulis missos a sancto fratre nostro Eusebio presbytero suscepisse, non ante multum temporis; et exinde vel ingruentibus morbis, vel dormitione sanctæ et venerabilis filiæ vestræ Eustochii, ita doluisse, ut propemodum contemnendos putarem. In eodem enim luto hæsitat, et exceptis verbis tinnulis atque emendicatis, nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus; ut dum epistolæ meæ respondere conatur, apertius se proderet, et blasphemias suas omnibus patefaceret. Quicquid enim in illa miserabili synodo Diospolitana dixisse se denegat, in hoc opere confitetur. Nec grande est ineptissimis næniis respondere. Si autem Dominus vitam tribuerit, et notariorum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis respondebimus: non ut convincamus hæresim mortuam: sed ut imperitiam atque blasphemiam ejus nostris sermonibus confutemus. Meliusque hoc faceret sanctitas vestra: ne compellamur contra hæreticum nostra laudare.”

Hic ille hæresim Celestianam jugulatam esse dicit, non (ut dicere eum fingit Bernardus Lutzenburgius[†], eumque secutus, licet id ipse dissimulet, Thomas Dempsterus[‡]) “Pelagium seculi gladio et totius orbis autoritate damnatum esse:” quod licet verum sit, tamen ab Hieronymo nusquam scriptum reperitur. Responisionis vero adversus se editæ authorem hic non obscure facit Hieronymus ipsum Pelagium; verba tantum, quibus sensa sua expresserit, ab Aniano pseudodiacono mutuatum. Eam ab Eusebio presbytero accepisse se ait: Cremonensi utique illo, socio ipsius intimo, cui in Matthæum et Hieremiam commentarii ab eo sunt dicati. Eundem etiam Eusebium illum fuisse putat Baronius[§], cujus habetur epistola ad Cyrillum Alexandrinum scripta contra Valerianum Pelagianum: quin et hoc in loco Hieronymum emendandum esse conjicit, et pro Aniano pseudodiacono Celedensi, *Valerianum*

[†] Bernard. Lutzenburg. catalogo hæreticor. lib. 3.

[‡] Dempster. histor. ecclesiastic. Scotor. lib. 15. num. 1012. Ex Gelasio; infra.

[§] Baron. ann. 417. sec. 16.

pseudodiaconum Cenetensem^x reponendum. In ecclesiæ certe nomine “absque dubio depravatum esse textum” asserit; “cum de ecclesia Celedensi nusquam fiat mentio.” Atqui ad Marcum presbyterum Celedensem scripta legitur decima quinta ipsius Hieronymi epistola: et Celidam civitatem in Cyrenaica provincia Ptolemæus^y collocat. Neque vel Celedensis, vel Cenetensis, vel alterius alicujus ecclesiæ diaconum Valerianum illum fuisse ostendi potest; quem “servum Ariminensis possessionis illustrissimi Valerii comitis” extitisse, Eusebius^z in illa ad Cyrillum epistola nobis indicavit: clarissimi utique illius comitis Valerii, qui “profanis^a istis novitatibus potestate, curando et instando, efficaciter” restitit.

Huic^b illustrissimo comiti cum^c scripsissent Pelagiani, Catholicos “damnatores esse nuptiarum operisque divini, quo ex maribus et fœminis Deus homines creat; quoniam dicunt eos, qui de tali commixtione nascuntur, trahere originale peccatum:” ad eundem Augustinus, post^d damnationem Pelagii et Celestii, de nuptiis et concupiscentia librum edidit; quo nuptiarum bonum discrevit a concupiscentiæ carnalis malo, quo bene utitur ad filios procreandos pudicitia conjugalis. Atque hic primum Juliani Pelagiani episcopi contra Augustinum erupit furor; qui et^e patrem illius Memorium episcopum, et ipsum adolescentem in diaconatus ordine constitutum, non vulgari amore fuerat prosecutus. Post patris mortem in hæresim incidisse, illa Augustini ad eum verba indicant: “Ego^f vero parentes tuos tanquam Catholicos Christianos honorabiles habeo; eisque gratulor, quod ante defuncti sunt, quam hæreticum te viderent.”

^x Provinciæ Istriæ. I. in subscriptionib. epistolæ syn. Agathonis P. ann. 680. in Act. 4. sextæ synodi. fin. pag. 54.

^y Ptolem. Geograph. lib. 4. cap. 4.

^z Supra, cap. 9. pag. 306.

^a Augustin. de nupt. et concupiscent. lib. 1. cap. 2.

^b Ann. CCCCXIX.

^c Augustin. de nupt. et concupiscent. lib. 1. cap. 1. et retractat. lib. 2. cap. 53.

^d Id. ad Bonifac. lib. 1. cap. 5.

^e Id. epist. 101. ad Memorium; et integri operis contra Julian. lib. 1. cap. 2.

^f Id. imperfecti operis contra Julian. lib. 1. cap. 66.

Baronio^g et pater et filius Capuanus videtur fuisse episcopus: quod de patre sine auctore ille opinatur, de filio unius Gennadii inductus testimonio; quum tamen in Sigeburgensi^h Gennadii exemplari pro Capuano habeatur Campanus: quomodo et ab Honorio Augustodunensi, Vincentio Bellocacensi, Johanne Trithemio et Bernardo Lutzenburgio lectum fuisse apparet. Tametsi vero antiquis proprie Campanos illos fuisse dictos non nesciam, quos ætas posterior Capuanos appellavit: latius tamen accipiendum hic Campanorum nomen, vel illud Bedæ suaserit, initio libri primi expositionis in canticum Salomonis, "Julianum Celandensem episcopum a Campania" fuisse asserentis. In Romano quoque septuaginta episcoporum sub Gelasio habito concilio Celandensis invenitur idem nominatus: in Prosperi autem chronico, et Petri diaconi libello de incarnatione et gratia Domini ad Fulgentium, duarum primarum literarum facta metathesi, Eclanensis; quod ad Æculanum Hirpinorum propius accedit. Sed ut inter Campanos potius quam Hirpinos Juliani sedem inquiramus, non Bedæ solum nos ducit autoritas, sed etiam Prosperi ab eodem^l citatum testimonium, cui^k et Campania probe erat cognita, et Campanus ipse Julianus. Celennam vero in Campania locum fuisse, notavit Servius^l, in illud Æneid. VII.

Quique Rufas Batulumque tenent, atque arva Celennæ.

eodemque Celenam Coloniam, ex Vespasiani nummo, retulit in Thesauro geographico Abrahamus Ortelius.

Scripserat autem Julianus in Canticum Salomonis commentarios, præfixo de amore libello: sub^m obtentu, quasi hunc a fœdissima foret voluptate secreturus, re autem vera suam confirmaturus hæresim: in quo inter alia, asserit, "sanctum nobis ac generosum amorem, ab ipso lucis exordio, natura conciliante insitum, et ad ultimam usque

^g Baron. ann. 419. sec. 50.

^h Suffrid. Petr. in Gennad. de vir. illustr. cap. 45.

^l Bed. histor. ecclesiastic. lib. 1. cap. 10. Vid. supra, cap. 8. pag. 252.

^k Prosp. de dimidio tempor. cap. 6.

^l Ubi Celennam vocat.

^m Bed. in Cantic. lib. 1.

senectutem solis viribus animi innixum, sine ullo damno sui persistere vigoris:" eundemque, "sicut de corpore trahere quod est perturbatus et rapidus, ita de animo quod sit sublimis atque continuus;" ideoque, "quamdiu nihil de genituali voluptate desiderat, quasi ad solius animi moveri arbitrium, et in actibus suis habere jocunditatem, ut perturbationis immunem, ita etiam libertate gaudentem:" atque sic demum concludit, "Cum igitur sapientis animus, qui voluptatem subjicit dignitati amoris et incitat et ordinat appetitum, nunquam fines transit officii, sed ad eam magnitudinem atque pulchritudinem studiis procedit ac meritis, ut generosum ejus ignem gratia sancti Spiritus incipiat ventilare: tunc sit illa charitas, quæ non propinquos solum aut cives, sed ipsum genus humanum gremio suo conatur amplecti."

Éditus ab eodem quoque liber est de bono constantiæ: in quo virtutis illius laudes ita celebrat: "Hæc est constantia, quæ maxime asserit arbitrii potestatem ac bonum, ejusque naturæ et humani animi motus liberos; dum ostendit omne mentis bonum voluntarium, nec ulli unquam casui obnoxium. Ipsa enim armat egregium cujusque et accendit animum; dum illum libertatis suæ semper admonet, dumque omnes ab eo repellit metus." Et post multa, quibus libertatem nostræ voluntatis prædicat, ait, "Etenim, sicut præclare a doctissimis atque orthodoxis disputatum est, nemini vere unquam noceri nisi a seipso potest: nec est prorsus aliquid quo quisquam invitatus fiat miser. Quid tandem virtus timebit, nisi defectum sui, quo homini in æternum nocetur?" Et, ne gratiæ in tota hac disputatione prorsus oblitus videretur, "Divinæ," inquit, "gratiæ est, armare et firmare constantiam, quæ cæteras possit custodire virtutes; et contra omnia quæ resistunt, defendere virtutem." Ubi tamen, ut recte a Bedaⁿ est observatum, "cautissimo usus est verbo, ut non diceret eam donare, quasi antea non habitam, nobis constantiam; sed potius juvare et firmare, quasi a nobis jam exortam."

Verum apertissime hæreticæ malignitatis virus in qua-

ⁿ Bed. in Cantic. lib. 1.

tuor libris idem prodidit, quos contra Augustini illum unicū de nuptiis et concupiscentia evulgavit; Turbantio cuidam episcopo tunc Pelagiano, postea^o vero ab illo errore liberato, nuncupatos. In quos ita præfatus^p ille est, “ Doctores nostri temporis, et nefariæ quæ adhuc fervet seditionis authores, ad hominum quorum sanctis studiis uruntur contumelias et exitium, quoniam iter aliud non patebat, decreverunt per ruinam totius Ecclesiæ pervenire: non intelligentes quantum his contulerint honoris, quorum ostenderunt gloriam nisi cum Catholica religione non potuisse convelli. Nam si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Celestianus et Pelagianus vocatur: quo simplices sermone perterriti, ut ab invidia nominis exuantur, etiam sanam fidem deserunt; credituri proculdubio, nec liberum esse in hominibus arbitrium, nec Deum nascentium conditorem, quando illud quod prius affirmaverant, utrumque deseruerint. Ne igitur vocentur hæretici, fiunt Manichæi: et dum falsam verentur infamiam, verum crimen incurrunt; instar ferarum, quæ circundantur pinnis, ut cogantur in retia. Quibus quoniam deest ratio, in verum exitium vana formidine contruduntur.”

Addit deinde, “ laborare^q illam partem rationis inopia, quæ in disserendo cum terrorem surrogat, nullum a prudentibus impetrat, sed cœcum a meticulosus extorquet assensum:” terrorem nimirum imperatorio edicto illis incussum subindicans: in quo tamen audacissimus hæreticus pro suis potius quam pro Catholicis pronuntiatum fuisse cavillatus est. Nempe^r in rescripti sui præfatione Pelagium Celestiumque incusaverat imperator, quod Deo omnipotenti “ tam trucem inclementiam sævæ voluntatis assignarent,” ut quum in mundi initio hominem condere deliberaret; “ mortem præmitteret nascituro:” dicentes, “ non hanc insidiis vetiti fluxisse peccati, sed exegisse penitus legem immutabilis constituti.” Illud enim, “ Statutum^s

^o Augustin. operis imperfecti contra Julian. lib. 1. cap. 1.

^p Ibid. cap. 71. et de nup. et concupiscent. lib. 2. cap. 3.

^q Apud eund. contra Julian. lib. 3. cap. 1.

^r Supra pag. 321.

^s Heb. cap. 9. ver. 27.

est hominibus semel mori," valitulum censuerunt, etiamsi Adamus nunquam peccavisset. Quia vero orthodoxi etiam tenebant cum apostolo, postquam "per^t unum illum hominem peccatum in mundum hunc intrasset, et per peccatum mors;" originalis peccati reos nasci omnes, indeque esse "natura^u filios iræ:" in eos edicti verba retorqueri potuisse putavit sophista, ut qui ipsi etiam sentirent, prius damnatum esse hominem quam natum. Quem non alia Augustinus^w (illius enim hæc verba sunt, non, ut citata sunt a Baronio^x, Juliani) dignari hic voluit responsione quam ista: "Si pro vobis potius ab imperatore responsum est, cur non in medium prosilitis, et hoc ultro publicis potestatibus allegatis; vos esse monstrantes, quorum Christianus princeps approbavit fidem? Verum si Dei legem non sicut sese habet, sed sicut vobis placet, intelligitis: quid mirum si et de lege imperatoris hoc facitis?"

Ad pontificis vero Romani iudicium quod attinebat, Zosimum^y prævaricationis accusare non est veritus, et brevi post insecutam de constituendo illius successore dissensionem populi Romani (aliis Bonifacium presbyterum, aliis Eulalium archidiaconum eligentibus) ultioni Dei tribuere. De iudiciis denique generatim est conquestus, partis suæ homines apud eos "non^z potuisse agere causam suam: quia nemo de rebus dubiis bene consultat, nisi qui ab odio, amicitia, inimicitia, ira vacuum pectus attulerit; quales non fuisse dixit, qui de hac causa iudicaverunt, quia prius eam cœperunt odisse quam nosse," adjungens præterea, "non numerandas sed ponderandas esse sententias; et ad aliquid inveniendum multitudinem nihil prodesse cœcorum in causa iudicandi, amoto strepitu turbarum, de omni ordine conversationis hominum, sive sacerdotum, sive administrantium, sive præfectorum, ad discussionem talium rerum non sola nomina, sed eligendam esse prudentiam; et honorandam esse paucitatem, quam ratio eru-

^t Rom. cap. 5. ver. 12.

^u Ephes. cap. 2. ver. 3.

^w Aug. contra Julian. lib. 3. cap. 1.

^x Baron. ann. 418. sec. 23.

^y Aug. contr. Julian. lib. 1. cap. 4. et lib. 6. cap. 12.

^z Ibid. lib. 3. cap. 1. et lib. 2. cap. 10.

dit libertasque sublimat:" hisque omnibus consideratis, " majoris sibi esse apud Deum gloriæ, destitutam veritatem tueri." Hæc arrogantissimus Julianus.

Post^a consulatum Honorii XII. et Theodosii VIII. octavo Calendas Junias, iterum Carthagine in secretario basilicæ Fausti habitum est CCXVII.^b episcoporum Africanorum plenarium concilium: in quo præcedentia^c concilia Africana, tempore Aurelii Carthaginensis episcopi celebrata (et in iis anathemata^d contra Pelagianos hoc ipso in loco superiori anno promulgata) recitata et confirmata sunt; atque ex iis codex^e canonum Africanæ ecclesiæ compositus: qui quidem codex, et in eo octo illi contra Pelagianos editi anathematismi, Justiniani imperatoris temporibus, a Dionysio exiguo sub Africani concilii nomine codicis^f canonum occidentalis ecclesiæ est insertus; posteaque in secundo Trullani concilii universalis canone, ut membrum codicis^g canonum orientalis ecclesiæ, approbatus.

In hoc præterea plenario totius Africæ concilio peculiariter aliquid adversus Pelagianos fuisse constitutum; partim ex verbis illis Augustini^h colligimus: " quod papæ Zosimo de Africano concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius orbis episcopos, missum; et quod posteriori concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem breviter constituimus:" partim ex Prosperiiⁱ illo carmine:

In causam fidei flagrantius Africa nostra
Exequeris: tecumque suum jungente vigorem
Juris apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, et lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu,
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.
Nec sola est illic synodorum exerta potestas,
Cui quos non possunt ratione evincere nostri,
Vi premerent: discussæ artes, virusque reiectum est

^a Cod. canon. eccles. African. a Justello edit. pag. 33.

^b Ibid. pag. 34, 338. et 341.

^c Ibid. pag. 54, 58. et 106.

^d Ibid. pag. 289, 290.

^e Excus. Paris. ann. 1614.

^f Excus. Mogunt. ann. 1525. et Paris. ann. 1609.

^g Græce excus. Paris. ann. 1540. Græce et Latine Tiguri, ann. 1559.

^h August. ep. st. 215. ad Valentium.

ⁱ Prosp. de ingratis, cap. 2.

Hæretici sensus : nullumque omnino relictum,
 Docta fides quod non dissolveret argumentum.
 Condita sunt et scripta manent, quæ de cataractis
 Æterni fontis fluxere undante meatu,
 Et tercentenis procerum sunt edita linguis :
 Sic moderante suam legem bonitate severa,
 Ut qui damnato vellent de errore reverti,
 Acciperent pacem; pulsus qui prava tenerent.
 An alium in finem posset procedere sanctum
 Concilium, cui dux Aurelius ingeniumque
 Augustinus erat ?

Cum enim duas illas synodos de cunctis Africæ urbibus convenisse significet: vix aliæ commode poterunt hic intelligi, quam plenariæ illæ duæ, hoc et præcedente anno Carthagine congregatæ; quibus utrisque et Aurelium præfuisse, et Augustinum interfuisse constat: quarum posterioris cœtui frequentiori cum facile concipere possimus LXXXVI. episcopos præsentibus adfuisse, qui à priori abfuerunt, et sententiam tamen contra Pelagianos ab ea latam una cum reliquis confirmarunt: eos, prioris concilii CCXIV. patribus adnumeratos, trecentorum procerum summam a Prospero constitutam conficere potuisse, nullo negotio intelligimus. Nam duorum illorum conciliorum ante triennium habitorum, ad quæ nos ducit Baronius^k, (Carthaginiensis episcoporum LXVIII. cui præfuit Aurelius, sed non interfuit Augustinus; et Milevitani episcoporum LXI. cui interfuit Augustinus, sed minime præfuit Aurelius) vel utrumque secum, vel utrumvis cum horum quæ diximus altero compositum, ægre hic nobis satisfecerit: tum quia provincialia ambo illa fuerint non nationalia, tum quia pauciorum numero episcoporum, quam ut Prosperi calculo complendo possint sufficere.

Pios hos Aurelii et Augustini in reprimendis Pelagianis conatus, lege contra eos renovata corroboravit imperator Honorius: ut ex ejusdem rescripto, eodem tenore ad utrumque dato, cognoscitur; quod, una cum adjuncta Aurelii ad Byzacenæ et Arzugitanæ provinciæ episcopos

^k Baron. ann. 416. sec. 8. Vid. Voss. histor. Pelagian. lib. 1. fin. cap. 45.

epistola, ab historicis Magdeburgensibus¹ et Baronio^m ex MSS. codicibus editum, hic subjicimus.

IMPERIALISⁿ EPISTOLA, AD AURELIUM CARTHAGINIENSEM
EPISCOPUM.

Imperatores Honorius et Theodosius Augusti, Aurelio episcopo salutem.

“Dudum quidem fuerat constitutum, ut Pelagius et Celestius nefandi dogmatis repertores ab urbe Roma, veluti quædam Catholicæ veritatis contagia pellerentur, ne ignorantium mentes scæva persuasione perverterent. In quo secuta est clementia nostra iudicium sanctitatis tuæ, quo constat eos ab universis justæ sententiæ examinatione esse damnatos. Sed quia obstinati criminis pertinax malum, ut constitutio geminaretur, coegit: recenti quoque sanctione decrevimus, ut si quis eos in quacunque provinciarum parte latitare non nesciens, aut propellere aut prodehere distulisset, præscriptæ pœnæ velut particeps subjaceret. Præcipue tamen, ad quorundam episcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum disputationes vel tacito consensu adstruunt, vel publica oppugnatione non destruunt: pater earissime atque amantissime, sanctitatis tuæ auctoritatem cavere conveniet, quatenus in abolitione præposteræ hæresis, omnium devotio Christiana consentiat. Religio itaque tua competentibus scriptis universos faciat admoneri, scituros definitione testimonii tui, hanc sibi definitionem esse præscriptam, ut quicumque damnationi supra memoratorum (quo pateat mens pura) subscribere impia obstinatione neglexerint, episcopatus amissione mulctati, interdicta in perpetuum (expulsi civitatibus) communionem priventur. Nam cum ipsi nos juxta synodum Nicænam confessione sincera, conditorem rerum omnium Deum, imperiique nostri veneremur authorem; non patietur sanctitas tua, sectæ detestabilis homines in injuriam

¹ Centur. 5. col. 846, 847.

^m Baron. ann. 419. sec. 57, 58.

ⁿ Cujus et Photius in bibliotheca meminit, num. 53.

religionis nova et inusitata meditantes, secretis tractatibus occultare sacrilegium publica semel autoritate damnatum. Una enim eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint." Et alia manu. "Divinitas te per multos annos servet incolumem, pater carissime atque amantissime. Data V. Idus Junias, Ravennæ, Monaxio et Plinta consulibus."

EPISTOLA^o SANCTI AURELII CARTHAGINIENSIS EPISCOPI, AD OMNES EPISCOPOS PER BYZACENAM ET ARZUGITANAM PROVINCIAM CONSTITUTOS; DE DAMNATIONE PELAGII ET CELESTII HÆRETICORUM.

Dilectissimis ac desiderabilibus fratribus ac consacerdotibus, Donatiano primæ sedis, Januario, Felici, Palatino, Primiano, Gaiano, et alii Gaiano, Januario, Victorino, et cæteris per tractum provinciæ Byzacenæ et Arzugitanæ constitutis, Aurelius episcopus.

"Super Celestii et Pelagii damnatione eorumque dogmatibus, participem sanctam dilectionem vestram in plenario concilio fuisse commemini; dilectissimi ac desiderabiles fratres. Sed quoniam pro honore Dei, in cujus manu cor regis est constitutum, gloriosissimorum principum Christianorum fidem rectam et Catholicam custodientium accessit autoritas, quam per humilitatem meam universis coepiscopis meis voluit intimari: idcirco honorabilem fraternitatem vestram missis exemplaribus instruere festinavi, ne quid mali in aliqua parte provinciæ, ex supradictorum serpentina persuasione ab universali Ecclesia totius orbis exclusa, fortasse subrepat. Ob hoc ergo tam necessaria constitutio Christianorum principum charitatem vestram latere non debuit, et ad me ab eis datæ literæ: quarum simul exemplaribus lectis, quemadmodum subscribere unusquisque vestrum debeat, dilectio vestra cognoscat; sive quorum synodalibus gestis subscriptio jam tenetur, sive qui non potuistis eidem plenario totius Africæ interesse

^o Habetur in parte 2. col. Isidori Mercatoris, edit. Paris. ann. 1525. fol. 177.

concilio : quo, cum in supradictorum hæreticorum damnatione omnium vestrum fuerit integrata subscriptio ; nihil omnino sit, unde ullius^p dissimulationis, vel negligentiae, vel occultae^q forsitan pravitatis aliqua videatur merito remansisse suspicio." Et alia manu. " Opto fratres, bene vivatis, mei memores. Data Calendis Augusti, Carthagine, Monaxio et Plinta consulibus."

Istam de subscriptione tam necessariam constitutionem episcopi Pelagianæ ægerrime tulerunt : quorum decem^r et octo communem Thessalonicam miserunt epistolam, " ad loci illius episcopum sua calliditate tentandum, et ad suas partes, si posset fieri, traducendum." Id enim agebant, " ut^s in auxilium suum, contra Manichæorum (ut loquebantur) profanitatem, consensionem orientalium episcoporum exposcerent : nihil aliud nitentes, nisi ut horribili hæresi objecta, cujus se adversarios confingebant, laterent inimici gratiæ in laude naturæ." Romanos enim clericos asserebant, " jussionis^t terrore percussos, non erubuisse prævaricationis crimen admittere ; ut contra priorem sententiam suam, qua gestis Catholico dogmati affuerant, postea pronunciarent malam hominum esse naturam : " reliquos etiam universe, " sub^u nomine gratiæ, ita fatum asserere ; ut dicant, quia nisi Deus invito et reluctanti homini inspiraverit boni et ipsius imperfecti cupiditatem, nec a malo declinare, nec bonum possit arripere : " denique " toto^w penitus occidente non minus stultum quam impium dogma susceptum" : et " de simplicibus episcopis, sine congregatione synodi in locis suis sedentibus, extortam subscriptionem esse."

Romam quoque utramque tentandam putaverunt : veterem per Julianum, novam per Celestium. Et a Juliano quidem missa est epistola, " ad^x eos seducendos, qui Ro-

^p Al. *illis*.

^q Al. *occultata*.

^r Augustin. ad Bonifac. lib. 1. cap. 1. op. tom. 10. pag. 411.

^s Id. ad Bonifac. lib. 2. cap. 1. Ibid. pag. 431.

^t Ibid. cap. 3. pag. 433.

^u Ibid. cap. 5, et 8. pag. 436, et 442.

^w Ibid. lib. 4. cap. ult. pag. 490.

^x Augustin. contra Julian. imperfecti operis lib. 1. cap. 18. op. tom. 10. pag.

mæ possent tali suasione seduci:" quam scriptam ab eo fuisse post editos libros quatuor adversus Augustini de nuptiis et concupiscentia commentarium, ipse ibidem indicat. Ita enim probra Catholicis objecta exorsus est hæreticus: "Dicunt^y illi Manichæi, quibus modo non communicamus, id est, toti isti cum quibus dissentimus; quia primi hominis peccato, id est, Adæ liberum arbitrium perierit, et nemo jam potestatem habeat bene vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur. Dicunt etiam istas, quæ modo aguntur, nuptias a Deo institutas non fuisse, quod in libro Augustini legitur; contra quem ego modo quatuor libellis respondi: cujus Augustini dicta inimici nostri in veritatis odium susceperunt:" deinde, cum suorum antitheses subjecisset: "Contra^z hæc nos quotidie disputamus, et ideo nolumus prævaricatoribus adhibere consensum; quia nos dicimus liberum arbitrium in omnibus esse naturaliter, nec Adæ peccato perire potuisse; quod Scripturarum omnium autoritate firmatur. Dicimus has, quæ nunc in orbe terrarum, a Deo nuptias institutas; nec reos esse conjuges, sed fornicatores et adulteros condemnandos, &c," ita tandem epistolam concludit: "Nemo^a ergo vos seducat, nec se negent impii ista sentire. Sed si verum dicunt, aut audientia detur, aut certe isti ipsi episcopi, qui nunc dissident, damnent, quæ supra dixi, cum Manichæis se ista tenere; sicut nos ista damnamus, quæ de nobis jactant: et sit plena concordia. Quod si nolunt: scitote eos esse Manichæos, et ab eorum vos abstinete consortiis."

Constantinopoli suorum nomine legatione functus est Celestius: quem ibi debellatum fuisse notavit Augustinus^b. Duos urbs illa consuevit habere episcopos: Novatianorum unum, Catholicorum alterum: anno CCCCXIX. die^c Augusti XXVI. Monaxia et Plinta consulibus, e vita excessit Novatianorum episcopus Chrysanthus: qui ab im-

^y Apud August. lib. 1. ad Bonifacium, cap. 2. et 5. op. tom. 10. pag. 413. et 415.

^z Ibid. cap. 15. pag. 424.

^a Ibid. cap. 24. pag. 430.

^b Aug. contra Julian. lib. 3. cap. 1. pag. 554.

^c Socrat. hist. ecclesiast. lib. 7. cap. 17.

peratore aliquando “ vicarius^d in insulis Britannicis constitutus, in illarum administratione permagnam laudem consecutus fuerat.” Catholicis præsidebat ex Armenia Sebastenus Atticus: cujus zelum in Pelagianis ab urbe illa propulsandis ita commendat, in epistola ad Nestorium, papa Celestinus: “ Ἐφ’ ἡμέρας^e τινὰς τῆς ζωῆς ἡμῶν μετὰ τὸ ἀνόσιον καὶ πολλὰκις κατακριθὲν δόγμα Πελαγίου καὶ Κελεστίου, ἡ καθολικὴ πίστις εἰρήνευσεν, ὅποτε ἐκείνους, μετὰ τῶν ἐπομένων τῇ δόξῃ αὐτῶν, ἦτε ἀνατολῇ καὶ ἡ δύσιν ἀκουτίῳ συμφωνούσης ἀποφάσεως ἐπληξεν αὐτίκα ὁ τῆς ἀγίας μνήμης Ἀττικὸς, ὁ διδάσκαλος τῆς καθολικῆς πίστεως, καὶ ἀληθῶς τοῦ μακαρίου Ἰωάννου καὶ εἰς ταῦτα διάδοχος, οὕτως ἐκείνους ἐδίωξεν ὑπερ τοῦ κοινοῦ βασιλέως, ὥστε αὐτοῖς μήτε τοῦ ἐκεῖ ἐστᾶναι ἄνεσιν συγχωρηθῆναι. Aliquantis diebus vitæ nostræ, post nefandum et sæpe damnatum dogma Pelagii atque Celestii, Catholica fides quicquam habuit; quando eos, cum suæ opinionis sequacibus, telis unitæ sententiæ oriens occidensque percussit. Denique sanctæ recordationis Atticus, Catholica magister fidei, et vere beati Johannis etiam ad ista successor, eos ita persecutus est pro rege communi, ut iis nec standi quidem illic copia præstaretur.” Cujus rei testes postea citat ille commentarios^f inde ab Attico ad se missos.

Addit Prosper^g, non solum Pelagianorum legatos repulsam tulisse ab Attico, sed Ephesios^h quoque et Siculos pari studio eosdem a suis sedibus exegisse.

Quid loquar et curam, magna quam gessit in urbe
Constantinopoli docto bonus ore sacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide? de qua tunc impia corda,
Quamvis se obducta tegerent velamine forma
Judicii et tacita tulcrant tormenta repulsæ.

^d Βικάριος τῶν Βρεττανικῶν νήσων καταστάς, ἰθανμάσθη ἐπὶ ταῖς διοικήσεσι. Socrat. hist. eccles. lib. 7. cap. 12.

^e Act. concil. Ephesin. part. 1. cap. 18. pag. 276. edit. Roman.

^f Ὅτι ἐκείθεν πρὸς ἡμᾶς παρὰ τοῦ τότε ἐπισκόπου τοῦ καθολικοῦ Ἀττικοῦ τὰ ὑπομνήματα ἀπεστάλη. Ibid. pag. 280.

^g Prosp. de ingratis, cap. 2.

^h Ante exortam novam Semipelagianorum progeniem, ut ex initio cap. 4. colligo. Unde factum, ut ad Ephesini concilii tempora istud non retulerim, cum Baronio ann. 431. sec. 100.

Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
 Clara Ephesos, non passa suis consistere tectis
 Vasa iræ, et morbi flatu, et semina mortis :
 Quaque fide tellus etiam Trinacria fervens,
 Agmen vipereum propriis exegerit oris.

Ut recte scripserit Gelasius, non solum “divinisⁱ humanisque legibus damnatum Pelagianæ pestilentia virus;” ejusque fautores, “tam^k ecclesiasticis constitutis, quam imperialibus etiam percussos fuisse præceptis:” sed eam quoque “perversitatem^l toto orbe damnatam: nec tantum Ecclesie Catholice legibus, sed principum quoque Romanorum eo tenore damnatam, ut nec usquam terrarum vendi locum sectatores ejus habere sinerentur. Quæ omnia, inquit, tam gestis Ecclesie per singulas quasque regiones de eorum pravitate confectis, quam censurae publicæ sanctionibus edocentur.” Quibus addendum est illud Prosperi, in epistola ad Demetriadem: “Restiterunt quidem huic impietati recta innumerabilia corda sanctorum; et non solum docti quique pontifices, verumetiam universales Ecclesie plebes, apostolice sedis exemplo, insaniam novi dogmatis horruerunt: sed invenerunt quosdam viperina consilia, quibus doctrinae suæ virus infunderent, et quorum linguas per dolos falsæ rationis arment.” Et Possidii, in vita Augustini: “Hoc^m tale de illis Ecclesie Dei Catholice prolatum iudicium, etiam piissimus imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere constituit. Unde nonnulli ex eis ad sanctæ matris Ecclesie gremium, unde resilierant, redierunt, et adhuc alii redeunt, innotescunt et prævalescente adversus illum detestabilem errorem rectæ fidei veritate.”

Honoriiⁿ etiam exemplum secutum esse hic Constantium, in regni consortium ab eo assumptum, ostendit Photius^o: “Ἐγραψε (inquit) μετὰ ταῦτα καὶ Κωνσταντῖνος, ὁ

ⁱ Gelas. P. ep. 6. ad Honorium, tom. 2. concil. pag. 239. edit. Colon. ann. 1618.

^k Id. epist. 7. ad Piceni episcopos: pag. 239, 240.

^l Id. epist. 5. ad Honorium. pag. 238.

^m Possid. vit. August. cap. 18.

ⁿ Ann. CCCCXX.

^o Phot. bibliothec. num. 53.

Πλακιδίας ἀνὴρ Οὐαλεντινιανοῦ δὲ τοῦ μικροῦ πατῆρ, περὶ τοῦ ἐξορισθῆναι Κελέστιον τὸν αἰρετικόν. ἔγραψε δὲ τὴν κατ' αὐτοῦ ψῆφον πρὸς Οὐολοσιανὸν ἑπαρχὸν πόλεως. Scripsit posthæc et Constantius (ita enim legendum) Placidiaë maritus, Valentiniani vero minoris pater, ut exilio mulctaretur Celestius hæreticus. Scripsit adversus eum sententiam ad Volusianum præfectum urbis." Addit vel ille, vel illius potius interpolator, Volusianum hunc avunculum fuisse S. Melaniaë (junioris scilicet:) qui cum Ethnicorum errores sectaretur, paulo^p ante obitum conversus, a S. Proclo Constantinopoli baptizatus fuerit. Imperatorium vero decretum, a Volusiano per edictum publice propositum erat hujusmodi.

Imperator^q Constantius Volusiano præfecto urbis.

" QUUM tum præterita superstitionis, tum recentis plena vanitatis jamdudum corrigi jusserimus; quotidianis insinuationibus majora fieri nunciantur. Et quoniam discordia animos commovet populorum: ea quæ jamdudum jusseramus, præcipimus iterari. Unde his lectis, Eximietas tua, omnes qui Dei invident pietati, diligenter inquireat, et eos faciat statim e muris urbis expelli; ita tamen, ut ne intra centesimum quidem lapidem habeant licentiam consistendi. Celestium quoque magis ac magis ex urbe pelli mandamus. Constat enim, iisdem e medio sublatis gratiam et concordiam tenere veterem firmitatem. Sane deinceps si tale quicquam fuerit nunciatum, officium præstantiæ tuæ capitali sententiæ subdendum esse cognosce. Non enim patimur impunitum esse, præcepta nostra executionis negligentia protelari. Vale parens carissime atque amantissime." Et adjuncta subscriptio. "Impleatur quod jussimus; quia hoc famæ^r tuæ expedit."

^p Vita S. Melaniaë, apud Metaphrast. et Surium, die 31. Januarii.

^q Baron. ann. 420. sect. 2. 3. Salmas. Eucharistic. de ecclesiis suburbicar. pag. 283.

^r Quia Christianæ religioni, ut 'Ελληνόφρων, minus favisse putabatur. Vid. epistolas 132, 133, 135, 136, 137. tomo 2. oper. Augustini.

EXEMPLAR EDICTI PROPOSITI A VOLUSIANO PRÆFECTO
URBIS.

* Volusianus præfectus urbi edixit.

“ HACTENUS Celestium, divinæ fidei et quietis publicæ turbatorem, judiciis amica reis secreta^s subdlexerunt. Jam leges etiam et edicta persequuntur absentem. Cui, quod primum est, æternæ urbis negatur habitatio; ut si vel in proximis fuerit diversatus, debitum non evadat exitium. Pro merito etiam temeritatis atque ausus sui, cunctos hujus edicti cautione præmonemus, ne quis iniquo noxius latebram putet esse præbendam: ne cum hujusmodi sit posita pœna, supplicium ac stylum necesse sit proscriptionis incurrere, quisquis reum divinis humanisque legibus apud se putaverit occultandum.”

Romanæ ecclesiæ præfuit eo tempore Bonifacius: de quo Prosper^t: “ Sanctæ memoriæ papa Bonifacius piissimorum imperatorum Catholica devotione gaudebat; et contra inimicos gratiæ Dei non solum apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis: et cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum beati Augustini episcopi responsa poscebat.” Duas^u enim Pelagianorum epistolæ illi refellendas misit per Alypium; unam Juliani Romanis, alteram ab eodem octodecim pseudepiscoporum nomine Thessalonicensi episcopo directam. Eis Augustinus quatuor libris respondit, Bonifacio inscriptis: quorum primo prioris, tribus reliquis posterioris epistolæ refutatio continetur: ubi prævaricationis crimen Zosimo et Romanis clericis objectum ita conatur diluere: “ Pelagianum^w spe falsa putaverant, novum et execrabile dogma Pelagianum vel Celestianum persuaderi quorundam Ro-

* *Al. sacra subdiderunt.*

^t Prosp. contra Collator. cap. 21.

^u Augustin. 1. ad Bonifac. lib. 1. cap. 1. op. tom. 10. pag. 411. et retractat. lib. 2. cap. 61. tom. 1. pag. 62. Vide et imperfecti operis contra Julian. lib. 2. cap. 178. tom. 10. pag. 1024.

^w Augustin. ad Bonifac. lib. 2. cap. 3. op. tom. 10. pag. 433.

manorum Catholicis mentibus posse: quando illa ingenia quamvis nefando errore perversa, non tamen contemptibilia (cum studiose corrigenda potius, quam facile damnanda viderentur) aliquanto lenius, quam superior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractata sunt. Sed si, quod absit, ita tunc fuisset de Celestio vel Pelagio in Romana ecclesia iudicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis et cum ipsis papa Innocentius damnaverat, approbanda et tenenda pronunciarentur: ex hoc potius esset prævaricationis nota Romanis clericis inurenda. Nunc vero cum primitus beatissimi papæ Innocentii literæ episcoporum literis respondentes Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere, damnaverunt; successor quoque ejus sanctus papa Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de parvulis sentiunt, nunquam dixerit, nunquam scripserit; insuper etiam Celestium se purgare molientem ad consentiendum supradictis sedis apostolicæ literis crebra interlocutione constrinxerit: profecto quicquid interea lenius actum est cum Celestio, servata duntaxat antiquissimæ et robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit elementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis. Et quod ab eodem sacerdote postea Celestius et Pelagius repetita autoritate damnati sunt; paululum intermissæ, jam necessario proferendæ, ratio severitatis fuit, non prævaricatio prius cognitæ vel nova cognitio veritatis."

De fati calumnia placide primum respondet: "Nec^x sub nomine gratiæ fatum asserimus; quia nullis hominum meritis Dei gratiam dicimus antecedi. Si autem quibusdam omnipotentis Dei voluntatem placet fati nomine nuncupare; profanas quidem verborum novitates evitamus, sed de verbis contendere non amamus:" deinde, justo zelo exardescens: "Itane^y vero, filii superbiæ, inimici gratiæ Dei, o novi hæretici Pelagiani, quisquis dicit, gratia Dei omnia hominis bona merita præveniri, nec gratiam Dei meritis dari, ne non sit gratia, si non gratis datur, sed debita merentibus redditur; fatum vobis videtur asse-

^x Augustin. ad Bonifac. lib. 2. cap. 5. op. tom. 10. pag. 436.

^y Ibid. cap. 6. pag. 437.

rere?" Ac demum, occasione congregationis synodi, cuius illi mentionem iniecerant, ita totum opus concludit: "Is-torum^a superbia, quæ tantum se extollit adversus DEUM, ut non in illo velit sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur; ut propter illos orientis et occidentis synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur: cum potius vigi-lantia et diligentia pastorali, post factum illis competens sufficiensque iudicium, ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint; sive ut sanentur atque mutantur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur: adjuvante pas-tore pastorum, qui ovem perditam et in parvulis quærit, qui oves sanetas et justas gratis facit; qui eas quamvis sanctificatas et justificatas, tamen in ista fragilitate atque infirmitate pro quotidianis peccatis, sine quibus hic non vivitur, etiam cum bene vivitur, quotidianam remissionem, et ut petant providenter instruit, et petentes clementer exaudit."

Eodem^a quoque tempore per Alypium misit Valerius comes excerpta quædam ex primo Juliani Pelagiani libro; in quo primum caput libri Augustini de nuptiis et concu-piscentia ille oppugnaverat: quibus, libro altero de eodem argumento ad Valerium scripto, responsum opposuit Au-gustinus. Postea^b vero, Claudio episcopo mittente, integri libri quatuor Juliani ad Augustinum pervenerunt: quibus ille sex libris, eidem Claudio dicatis, accuratissime re-spondit; in primis duobus præcedentium doctorum testi-moniis Julianum manichæismi Catholicos insimulante[m] redarguens, quatuor reliquos illius singulis objiciens. Neque inter doctores a se citatos præmittere voluit ille Hieronymum; licet "de^c illo jactitare soleret Pelagius,

^a Augustin. ad Bonifac. lib. 4. cap. ult. pag. 492.

^b Id. de nupt. et concupiscent. lib. 2. cap. 1, 2. op. tom. 10. pag. 301. et retractat. lib. 2. cap. 53. tom. 1. pag. 59.

^c Id. in epist. ad Claud. præfix. priori operi contr. Julian. tom. 10. pag. 495. item posterioris operis imperfecti lib. 1. præfat. et cap. 2. pag. 874, 875. ac retractat. lib. 2. cap. 62. tom. 1. pag. 62.

^d Id. prioris operis contra Julian. lib. 2. cap. ult. op. tom. 10. pag. 551.

quod ei tanquam æmulo inviderit:" sed tali producendum censuit ornatum testimonio: "Nec^d sanctum Hieronymum, quia presbyter fuit, (non episcopus) contemnendum arbitreris; qui Græco et Latino insuper et Hebræo eruditus eloquio, ex occidentali ad orientalem transiens ecclesiam, in locis sanctis atque in literis sacris usque ad decrepitam vixit ætatem; cujus nobis eloquium ab oriente usque in occidentem ad instar lampadis resplenduit. Hic omnes, vel pene omnes, qui ante illum ex utraque parte orbis de doctrina ecclesiastica scripserant, legit; nec aliam de hac re tenuit promisitque sententiam."

De eodem, Idatius in chronico: "Pelagianorum sectam, cum ejusdem auctore, adamantino veritatis malleo contrivit:" et Prosper, in^e carmine de ingratis:

Tunc et Bethlæi præclari nominis hospes,
Hebræo simul et Graio Latîoque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundi que magister,
Hieronymus libris valde excellentibus hostem^f
Dissecuit: noscique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ.

Idemque in chronico, Theodosio IX. et Constantio III. consulibus, hoc est, anno æræ nostræ Christianæ CCCCXX. pridie Calendas Octobres, mortuum illum fuisse notat. Unde, cum inter doctores ecclesiasticos tunc defunctos Hieronymum connumeret Augustinus^g: ante hujus anni finem libros illos contra Julianum ab eo scriptos non fuisse inferimus, vel etiam ante annum sequentem, qui ab eo quo primum adversus Pelagianos scribere ille cœpit erat omnino decimus.

Decennalis autem illius certaminis, quo cum illis continenter ab Augustino pugnatum est, ita meminit in ejusdem vita Possidius: "Adversus^h Pelagianistas novos nostrorum temporum hæreticos et disputatores callidos (arte magis subtili noxia scribentes, et ubicunque poterant publice et

^d Aug. prioris operis contra Julian. lib. 1. cap. 7. op. tom. 10. pag. 219.

^e Prosp. de ingr. cap. 2.

^f Pelagium.

^g Augustin. prioris operis contra Julian. lib. 2. cap. ult. op. tom. 10. pag. 551.

^h Possid. vit. August. cap. 18.

per domos loquentes) per annos ferme DECEM laboravit; librorum multa condens et edens, et in ecclesia populis ex eodem errore frequentissime disputans:" cui et nuperiⁱ vitæ Augustini descriptoris de libris hisce testimonium adjicere non pigebit: "Hoc sane constat, quod quemadmodum aliis a se scriptis libris præstitisse scriptoribus cæteris judicatur, ita hisce quos contra Pelagium elaboravit, seipsum omnino superasse videatur. Ad quorum excellentiam D. Prosper hisce versibus alluisse videtur:" quibus ut clarissimo de prostrata post decennale bellum malorum hac Iliade ἐπιτυχίῳ, caput hoc concludendum putavimus.

Istius^k ergo inter cunctos qui de grege sancto
 Insanas pepulere feras, industria major,
 Majus opus, totum præstantius imbuit orbem.
 Nam quocunque gradum convertit callidus hostis,
 Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
 Hujus ab occurso est præventus; mille viarum
 Insidiis aditum non reperientibus ullum.
 Cumque foris rabies avidorum exclûsa luporum
 Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes;
 Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
 Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
 Istius ore viri fecit Deus: istius ore
 Flumina librorum mundum effluxere per omnem;
 Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum
 Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

ⁱ Cornel. Lancillot. vit. Augustin. lib. 3. cap. 17.

^k Prosp. de Ingrad. cap. 3.

CAP. XI.

De Celestii et Juliani novis conatibus, et Pelagianæ partis antistitibus, ex Italia Celestini pontificis, ex Gallia Valentiniani III. Cæsaris opera fugatis. De Semipelagianismi seminibus a Johanne Cassiano inter Massilienses primum jactis. De Fastidio Britannorum episcopa, Timotheo hæresiarcha, Agricola Pelagiano, Severo Sulpicio, et Leporio Pelagii discipulo. De Germani et Lupi in Britanniam adventu, et rebus ab eis ibidem gestis: eaque occasione de Albani reliquiis nonnulla interjecta. De Semipelagianismo inter Massilienses et Lirinenses caput attollente; et a B. Augustino atque Prospero editis scriptis refutato. Ut Nestoriani cum Pelagianis conspiraverint; et utrique, tum a concilio universali Ephesino, tum a Celestino Romano pontifice, damnati fuerint.

QUIEVIT deinceps Pelagius in oriente: sed socii illius Celestius et Julianus in occidente non prius res turbare desierunt, quam a Romano pontifice Celestino ex Italia finibus sunt depulsi. “Venerabilis memoriæ pontifex Celestinus,” inquit Prosper^a, “cui ad Catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen judicii, sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum; Celestium, quasi non discussonegotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi: adeo et præcessorum suorum statuta, et decreta synodalia, inviolabiliter servanda censebat; ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari.” Julianus vero novis etiam scriptis damnatam hæresim tutari conatus, quatuor illis libris, quos contra Augustini de nuptiis et concupiscentia priorem librum prius scripserat, octo addidit alios, posteriori libro oppositos. Huic enim unico, non (quod opinati sunt alii, et in his Baronius^b) sex illis quibus priorem suum librum de-

^a Prosp. contra Collator. cap. 41.

^b Baron. ann. 419. sec. 51.

fenderat Augustinus, Julianum respondere hic voluisse, non alium testem hic proferre opus fuerit, quam ipsum Augustinum, in posterioris responsionis præfatione de Valerio comite ita scribentem: “Vir illustris misit mihi in chartulis nonnullas sententias decerptas ex opere Juliani hæretici Pelagiani (in quo opere libris quatuor respondisse sibi visus est illi uni, quem de nuptiis et concupiscentia me scripsisse memoravi) missas sibi a nescio quo, qui eas, ut voluit, ex primo Juliani libro decerpendas putavit: quibus ut quantocius responderem idem Valerius poposcit. Et factum est, ut sub eodem titulo etiam secundum librum scriberem: contra quem Julianus alios octo nimia loquacitate conscripsit. His nunc respondeo; ejus verba proponens, eisque subjungens responsionem meam.”

In horum octo librorum primo, in sanctissimum Ecclesiæ doctorem ita declamitat petulantissimus hæreticus: “Quousque^c simplicitate, qui hæc loqueris, religiosorum pectorum et imperitis auribus perstabis illudere? quem ad finem sese impudentia effrænata jactabit? Nihil te cum hæc scriberes censura doctorum virorum, nihil reverentia futuri judicii, nihil ipsa literarum monumenta moverunt? Patere jam fallaciam tuam, et deprehensam teneri non vides? Quid in primo, quid in secundo opere conscripseris, quem nostrum ignorare arbitraris? Libuit enim prorsus et decuit his te compellare modis, quibus in paricidam publicum eloquens consul infremuit.” Et quasi alius ab Augustino introductus fuisset Deus, quam quem Catholica semper agnovit et venerata est Ecclesia; ita contra illum, vel contra ipsum Deum potius, latrat novus iste orator, non loquitur. “Amolire^d te itaque cum tali Deo tuo de Ecclesiarum medio. Non est ipse cui patriarchæ, cui prophetæ, cui apostoli crediderunt; in quo speravit et sperat Ecclesia primitivorum, quæ conscripta est in cælis. Non est ipse quem credit judicem rationabilis creatura;

^c Julian. posterioris operis contra Augustin. lib. 1. sec. 20. pag. 121. edit. Paris. ann. 1616.

^d Ibid. sec. 43. pag. 50, 51.

quem Spiritus sanctus juste iudicaturum esse denunciat. Nemo prudentium pro tali Domino suum unquam sanguinem fudisset: nec enim merebatur dilectionis affectum, ut suscipiendæ pro se onus imponeret passionis. Postremo iste quem inducis, si esset usquam reus, convinceretur esse non Deus; iudicandus a vero Deo meo, non iudicaturus pro Deo. Ut igitur prima fidei fundamenta cognoscas; noster Deus, Ecclesiæ Catholicæ Deus, substantia nobis ignotus est, et ab aspectu similiter remotus, &c."

"Pro^e hoc Deo meo, quem mihi, qualem credo; omnis creatura et sancta scriptura denuntiat, rectius dixi facerem, si nec librorum te concertatione dignum putarem. Verum quoniam mihi hoc potissimum a sanctis viris nostri temporis confessoribus munus impositum est, ut dicta tua quid habeant ponderis rationisque discutiam: opportunum fuit ostendere prius, non a te credi ei Deo, qui in Catholicorum semper Ecclesia prædicatus est, et usque ad finem ubi illa fuerit prædicabitur. Audi^f igitur, contra ea quæ dixisti, breviter. Non sunt Ecclesiæ Catholicæ pectora, quibus sermotuus convenit, si a pietate et ratione discordant. Sed utrumque committunt, cum nec de Dei æquitate bene æstimant, nec mysteriorum quæ criminantur sapientiam et divitias intelligunt. Non est hæc fides antiquitus tradita atque fundata nisi in conciliis malignantium; inspirata a Diabolo, prolata a Manichæo, celebrata a Marcione, Fausto, Adimanto, omnibusque eorum satellitibus, et nunc a te in Italia, quod graviter gemimus, eructata."

Secundum vero librum, quasi ab alio principio, Julianus sic est exorsus: "Commode^g nobiscum ageretur, si aut apud eruditos iudices negotium veritatis tueri daretur facultas, aut quia hoc interim negatur, vel nullo imperitorum obverberaremur tumultu: et^h quia tollendi in ecclesiarum salutem trophæi damna perpetimur: quod bonæ causæ prudentia cognitorum miris erat delatura suffragiis, si nihil ad contumelias nostras vulgi valeret assensio. De

^e Julian. posterioris operis contra Augustin. lib. 1. sec. 20. pag. 53. edit. Paris. ann. 1616.

^f Ibid. pag. 67.

^g Id. lib. 2. sec. 1. pag. 211.

^h Ibid. pag. 212.

his ergo quas dixi hominum partibus, una vobis prodesset, altera nihil noceret; si aut illa potestatem obtineret, aut ista verecundiam. Verum quia rerum est magna confusio, et stolidorum maxima multitudo; eripiuntur Ecclesiæ gubernacula rationis, ut erecto cornu velificetur dogma popolare," &c. "Delectat^l enim prorsus subantes animas infamare quidquid unquam et usquam sanctorum fuit; ne clarorum operum castigentur exemplis. Delectat prorsus et penitus afficit, causari imbecillitatem naturæ, dicere carnem congenitis obnoxiam esse peccatis, nec in voluntate hominis emendationis effectum locare, sed studiorum crimina officia vocare membrorum. Catholicam hanc fidem esse; ut liberum confiteatur arbitrium, sed per quod homo malum facere cogatur, et bonum velle non possit: vanos vero hominum hæreticosque sermones qui asserant Dominum justum ad bonum opus liberum hominem condidisse, et esse in uniuscujusque potestate recedere a malo ac studiis splendere virtutis; ut his qui flagitia in necessitatem carnis refundunt sollicitudinum et timorum aculeus infigatur. Postremo^k in ecclesiis prædicare tantam vim esse peccati, ut ante membrorum formam, ante initium adventumque animæ, jactis seminibus supervolans, in secretum matris invadat, et reos faciat nascituros; ortuque ipso antiquior expectet culpa substantiam: quæ lex peccati habitans deinceps in membris captivum hominem cogat servire criminibus, non castigatione in turpitudinibus sed misericordia digniorem: quandoquidem quod nos vitia pravæ voluntatis esse dicimus, id in Ecclesia a viris et fœminis magnisque pontificibus originalis passio nuncupatur."

"Quid^l igitur? Horumne^m intuitu, receptui canere debemus, et contumelias nostras ulcisci silentio, ac de conscientia portu aliorum ridere naufragia? Verum contradicit huic odio, primo benignitas quam generi debemus

^l Julian. posterioris operis contra Augustin. lib. 2. sec. 1. pag. 214, 215.

^k Ibid. pag. 216.

^l Ibid. pag. 218.

^m Hæc Juliani verba, nihil fere aut admodum paululum immutata, velut sua usurpavit qui, fictitio Patricij Armacani assumpto nomine, Martem Gallicum nuper edidit: sub finem præfationis lib. 2. pag. 201. edit. ann. 1637.

humano; deinceps spes et fides, quam habemus in Deum, &c." "Hac igitur fidei consolatione gaudentes, imminemus cœpto operi, et disputationum promissa reddamus: non ambigentes hoc ipsum maximam esse præmii partem, quod in ejus dogmatis arce constitimus; quod cum tam multorum livor, sed plurimorum error, oppugnet, tamen ita supra casus evasit ancipites, ut invincibilis cluat possessione victoriæ." "Namⁿ si (ut et superior sermo patefacit, et secuturus docebit) quidquid ratio est, quidquid eruditio, quidquid justitia, quidquid pietas, quidquid testimoniorum sacrorum, huic quod tuemur dogmati suffragatur: nihil aliud inimici nostri toto adipiscuntur conatu, quam ut doctis quibusque imprudentissimi, sanctis contumacissimi, in Deum profanissimi comprobentur." "Ac^o per hoc (si quem in rebus adhuc humanis locum veritas habet, et non ob strepitum iniquitatis totus omnino mundus obsurduit) ratione, disputatione, et apostoli fide atque ipsa ejus sententia teste, perdoctum esse fatebitur, inter Traducianos et Catholicos tantum esse discrimen, quantum inter Paulum et Manichæum, quantum inter sapientiam et stultitiam, quantum inter rationem et insaniam, quantum inter constantiam doctorum et eam fluctuationem, quam nova fœditate perpeteris, ut in iisdem pene versibus quod dixeris neges, quod negaveris asseveres." Sic enim Augustinum compellat homo impudentissimus: cujus idcirco verba hæc describenda putavi, ut in hoc speculo contempleretur lector consimiles nostrorum temporum ardeliones, Thrasoni huic adeo geminos, ut in eos hujus spiritus quasi per Pythagoricam quandam *μετεμψύχωσιν* inimigrasse videatur.

Quinque primos Juliani libros Roma ab Alypio se accepisse Augustinus^p indicat, quum binos retractationum libros jam absolvisset; et ad quarti refutationem progressum esse, priusquam de hæresibus ad Quodvultdeum cœ-

ⁿ Julian. posterioris operis contra Augustin. lib. 2. sec. 1. pag. 220.

^o Ibid. pag. 302, 303.

^p Augustin. epist. ad Quodvultdeum, præfix. libro de hæresib. op. tom. 8. pag. 1.

pisset scribere: adeoque in instituto suo ad ipsum usque dierum suorum finem perseverasse, neque inter impetus obsidentium Vandalorum hunc respondendi laborem intermisisse, ostendit Prosper in chronico. Imperfectum tamen opus ab eo relictum fuisse, ex Possidii liquet indiculo: ejusque altercationis primam tantum partem, Claudii Menardi opera e tenebris erutam, in manibus habemus, libros duos integros, tam opponentis Juliani, quam respondentis Augustini, nobis exhibentem: ubi hæretici convitia breviter et modeste ita depellit sanctus pater: "Convitiare^q quantum potes: quis enim convitiosus hoc non potest? Si^r emeris ista convitia; prodigum te dicerem. Gratis tibi adjacent: cur non eis fruaris, quibus maledicum animum pascis? Aliquid^s dicere non potes: tace si potes: sed, quod pejus est, nec hoc potes." Verum alio modo tractandum Julianum censuit Celestinus pontifex: dum et ipsum, et, cui ille octo suos adversus Augustinum libros dedicaverat, Florum, una cum Orentio et Fabio et aliis ejusdem sectæ, episcopatibus suis exiit, et solum vertere coegit: quos, Theodosii imperatoris opem in oriente frustra implorantes, ab œcumenico concilio Ephesino denuo condemnatos videbimus suo loco.

In Galliis interim, dum a Valentiniano III. Cæsare data est opera ut Pelagiani episcopi vel corrigerentur vel inde pellerentur, a Johanne Cassiano sub specie rejecti Pelagianismi, posita sunt fundamenta illius Semipelagianismi, qui Gallicanam ecclesiam centum amplius annos perturbavit. Valentiniani lex, Aquileiæ anno CCCCXXV. ad Armatium præfectum prætorio Galliarum data, fuit hujusmodi: "Diversos^t episcopos, nefarium Pelagiani et Cælestiani dogmatis errorem sequentes, per Patroclum sacrosanctæ legis antistitem præcipimus conveniri. Et, nisi intra viginti dies ex conventionis tempore (intra quos deliberandi tribuimus facultatem) errata correxerint seseque Catholicæ fidei reddiderint; Gallicanis regionibus

^q Augustin. operis imperfecti contra Julian. lib. 1. op. tom. 10. pag. 879.

^r Id. ibid. pag. 901.

^s Id. ibid. lib. 2. pag. 992.

^t Concilior. Galliæ, tom. 1. pag. 54. Et append. Cod. Theodosian. edit. Paris. ann. 1631. pag. 16.

expelli, atque in eorum loco sacerdotium fidelibus subrogari: quatenus præsentis erroris macula de populorum animis tergeatur, et futuræ bonum disciplinæ justioris instituat.

Erat iste Patroclus Arelatensis^u archiepiscopus: quem anno proxime sequente “a tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatum” occubuisse, testis est Prosper in chronico. Successor illi datus est Honoratus, primus Lirinensis cœnobii abbas: cui post biennium vita functo in sede Arelatensi substitutum esse Hilarium, docet in hujus vita Honoratus Massiliensis episcopus. Ex quibus intelligimus, Honorato sub initium anni CCCXXIX. mortem obcunt (die enim Januarii XVI. in martyrologiis consignata habetur illius memoria) Hilarium, et Patroclo sub finem anni CCCXXVI. occiso in Arelatensi cathedra suffectum fuisse Honoratum. Quum autem esset hic abbas, undecimam; quum episcopus, decimam octavam collationem scripsit Cassianus: ut ex præfatione utriusque præfixa liquet. Unde illud est consequens, circa annum CCCXXVI. scriptam fuisse de protectione Dei collationem decimam tertiam: in qua, primas Pelagii imitatus artes, non sub sua, sed sub Chæremonis abbatis persona, mediam quandam de gratia et libero arbitrio insidiosè proposuit sententiam.

“In libro,” inquit Prosper^w, “cujus prænotatio est, de protectione Dei, vir quidam sacerdotalis ordinis, qui disputandi usu inter eos quibuscum degit excellit, abbatem quendam introducit de gratia Dei et libero arbitrio disserentem, cujus se ostendit per omnia probasse ac suscepisse sententiam. Ut jam non cum illo nobis sit negotium, qui forte tales opiniones suas aut negando refutaret, aut corrigendo dilueret: sed cum isto, qui ad instrumentum inimicorum gratiæ Dei talem studuit proferre doctrinam. Qui tamen inter initia disputationis a veritatis pietate non

^u Hic potissimum huic rei præfectus: quia primas totius Gallicanæ diœceseos fuit; provincia ejus primatus ei tributus est, primas totius diœceseos Gallicanæ foret. Salmas. *ibid.* ex Canon. 18. concilii Arelatensis 2.

^w Prosp. lib. contra Collatorem, cap. 2.

dissonat; et justo honorari præconio mereretur, nisi præcipiti lævoque progressu ab inchoata rectitudine deviare.

Ex sequentibus enim illius definitionibus illa Prosper^x deducit porismata.

I. "Quod Adam peccante, anima ejus læsa non fuerit; sanumque in eo manserit, unde peccavit (siquidem scientiam boni, quam acceperat, non amisit:) nec potuerunt posterius ejus id perdere, cujus damnum nec ille pertulerit."

II. "Inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta, ut possit qui voluerit judicio naturali Dei gratiam prævenire, et adjutorium ejus, quo facilius ad perfectionem perveniat, promereri: quia nullus sit laudis ac meriti, qui donatis bonis non propriis adornatur."

III. "Cavendum esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referantur, quasi per se nihil boni possit agere ipsa humana natura: cum tanta sit virium ejus integritas, ut contra ipsum Diabolum sævitiamque ejus usque ad extrema supplicia, sine auxilio Dei, valeat dimicare."

IV. "Hanc possibilitatem in omnibus esse hominibus naturalem, sed non omnes ingeneratis sibi uti velle virtutibus: tantam autem circa universos homines bonitatem esse Creatoris, ut alii ab eo quia sponte veniant suscipiantur laudati, alii quia resistunt attrahantur iuviti; atque ideo volentium susceptor, nolentium vero salvator sit."

V. "Cum pars Ecclesiæ ex gratia, pars autem ex libero justificetur arbitrio; gloriosiores sint quos natura provexerit, quam quos gratia liberarit: quia ad omne opus bonum tam libera sit voluntas in Adæ posteris, quam in Adam fuit ante peccatum."

Unde Collatorem Prosper^y sic adoritur, "Doctor Catholice, cur professionem tuam deseris? cur ad fumosam falsitatis caliginem, relicta serenissimæ veritatis luce, de-

^x Prosp. contra Collator. cap. 40. Vid. Didac. Alvarez. de auxiliis gratiæ, lib. 1. disput. 2. a sec. 18. ad fin. Henrici Cuykii censorias notas in libros Casiani. Et Theophili Raynaudi defensionem Valeriani, cap. 3. sec. 3, 4, 5. cap. 4. sec. 15, 16.

^y Prosp. ibid. cap. 4. 5, 6.

volveris? Quod in petentibus, quærentibus, pulsantibus-que miraris, cur non eidem gratiæ, quæ desideratur, adscribis? Vides bonos conatus, pia studia; et dubitas esse Dei dona? Latuerit opus gratiæ donec fides insita cogitationis clauderetur arcano: at ubi supplex oratio, ubi diligens inquisitio, ubi apparet crebra pulsatio; quare non ex qualitate operis summistrationem intelligis incitantis? Et satis te contra Pelagianorum calumnias præcavere existimas, si quod in universitate vocatorum sentiendum est, id nobis in portione concedas. Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia est. Illi in omnibus justis hominum operibus, liberæ voluntatis tuentur exordia. Nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia. Tu informe nescio quid tertium et utrique parti inconveniens reperisti; quo nec inimicorum consensum acquireret, nec in nostrorum intelligentia permaneret."

"Quomodo autem non advertis, te in illud damnatum incidere, quod velis nolis convinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari; cum aliquid præcedere boni operis, ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia: præcipue cum omnibus ejusmodi, et accipere^z, et venire^a, et intrare dicantur. In quo superfluum imo impium est, sic velle meritis ante gratiam existentibus locum facere, ut non ex toto verum sit, quod ait Dominus; *Nemo^b venit ad me, nisi pater, qui misit me, attraxerit eum*: si cujusquam hominis sine Dei illuminatione esset credenda conversio; aut ullo modo se voluntas hominis ad Deum sine Deo posset extendere: qui eum vocatum ad filium trahit, non resistantem invitumque compellit; sed ex invito volentem facit, et quibuslibet modis infidelitatem resistantis inclinat: ut cor audientis, obediendi in se delectatione generata, ibi surgat, ubi premebatur; ibi discat, ubi ignorabat; inde fidat, unde diffidebat; inde velit, unde nolebat. *Etenim^c*

^z Matth. cap. 7. ver. 7, 8.

^b Johan. cap. 6. ver. 44.

^a *invenire.*

^c Psalm. 85. ver. 12. al. 84. ver. 13.

Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum."

Hinc in concilio Romano LXX. episcoporum sub Gelasio habito, opuscula Cassiani presbyteri Galliarum apocrypha censentur: eaque "a Catholicis cautissime legenda, maxime de libero arbitrio et gratia," notat Ado Viennensis in chronico. "De libero enim arbitrio a beato Prospero jure culpatus est: unde monemus, ut in rebus talibus excedentem sub cautela legere debeatis", inquit, ante Adonem, in divinarum lectionum institutione, capite vigesimo nono Aurelius Cassiodorus: et post eum, in proœnio librorum de causa Dei contra Pelagium, Thomas Bradwardinus: "Hæresis Pelagiana per patres orthodoxos extincta, a Cassiano iterum suscitatur: quam et Prosper prospere castigavit." Ob resuscitatum enim hunc Pelagianismum ita ab illo increpatum Cassianum invenimus.

"Cum^d de sanctarum origine voluntatum, et fidei charitatisque principiis, inter nostros et Pelagianos quæstio versaretur, non ancipiti victoria nec dubio diremptum est fine certamen; ut adhuc nobis de iniquissima hujus fœderis tui pace tractandum sit. Prostrata est inimica acies, bellum confectum est; victores sumus per illum *quæ fecit potentiam in brachio suo, qui dissipavit superbos mente cordis ipsorum, &c.* Quid de elisarum argumentationum ratiunculis fracta studes arma colligere? Quid cineres extincti dogmatis refovendo, deficientis fumi nidorem in redivivam flammam conaris accendere? Non est periculum libero arbitrio ex gratia Dei; nec voluntas aufertur, cum in ipsa bene velle generatur. Nam si ideo non putanda est nostra, qui formatur, regitur, ordinatur, imbuitur; spoliantur libertate *filiis Dei, quia aguntur spiritu Dei*: perdunt vigorem rationalis animi, et omni voluntariæ devotionis laude privantur, quibus datur *spiritus sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, ac ti-*

^d Prosp. contra collator. cap. 11, et 12.

^e Luc. cap. 1. ver. 51.

^f Rom. cap. 8. ver. 14.

^g Esai. cap. 11. ver. 2, 3.

moris Domini. Prorsus qui his reformationibus se non putant indigere, de veteris morbi consuetudine in phrenesim transeunt: respicientes remedium, clamant, insaniunt, reluctantur. Sed si re promissionis sunt filii, quiescent et sanabuntur."

Floruit his temporibus apud Britannos Fastidius: de quo in scriptorum ecclesiasticorum catalogo Gennadius: "Fastidius Britannorum episcopus, scripsit ad Fatalem quendam de vita Christiana librum unum, et alium de viduitate servanda, sana et Deo digna doctrina": et Johannes Trithemius, "Fastidius episcopus Britannorum, vir in Scripturis sanctis eruditus, et verbi Dei prædicator egregius, vita quoque et conversatione illustris, sermone et ingenio clarus, scripsit nonnulla devota opuscula: de quibus fertur ad Fatalem volumen quoddam sana doctrina conscriptum de doctrina Christiana, et de viduitate servanda liber unus. Claruit sub Honorio et Theodosio principibus, anno Domini CCCXX." In quibusdam Gennadii codicibus, de fide, in aliis, quos in suo catalogo Honorius Augustodunensis est secutus, de vita Christiana scripsisse legitur: ex qua diversitate lectionis factum, ut Trithemius de doctrina Christiana, Jacobus Philippus Bergomensis^b de vita Christi (pro Christiana) librum ab eo editum retulerit.

Et quia Britannorum vel, ut alia legunt exemplaria, Britanniarum episcopum a Gennadio appellatum scioli quidam adverterunt, Britanniarum primatem^c fuisse inde collegerunt: quumque non alibi quam Londini^k primam sedem collocatam eo tempore fuisse sibi persuasissent, Londinensem fuisse illum archiepiscopum concluderunt. "Londinensis, ut fertur, metropolites erat: scripsitque, de vita Christiana librum unum; de doctrina spiritus librum unum; de viduitate servanda librum unum; admonitiones pias, librum unum; et alia nonnulla": inquit Johannes Balæus^l. Johannes Pitsius^m paulo confidentius, "in præ-

^b Philip. Bergom. supplement. chronic. lib. 9. ad annum Christi 413.

^c Vid. Christ. Broweri notas ad Venant. Fortunat. lib. 3. epigram. 11.

^k Vid. supr. cap. 5. pag. 123.

^l Balæ. cent. 1. cap. 41.

^m Pits. de Britannia script. ætat. 5.

mium virtutum ad archiepiscopatum Londinensem evectum" fuisse asserit; et "composuisse, de fide et vita Christiana, librum unum; de doctrina Deo digna vel spirituali, librum unum; admonitionum piarum, librum unum et alia non pauca." Dempsterusⁿ præterea, ex indiculo popularis cujusdam sui, chronicon Scotorum scripsisse eum refert: utpote "e montibus Scotiae occidentalis, qua parte Hiberniam despectant, oriundum:" quæ omnia flocci non sunt facienda: cum de Fastidio nihil aliud in antiquioribus monumentis scriptum inveniatur, quam quod a nobis ex Gennadio est productum.

Timotheum etiam quendam contra divinam et humanam in Christo naturam impie inter Britannos disputavisse, prodiderunt recentiores^o; vulgato Sigeberti Gemblacensis chronico decepti, in quo ad annum Christi CCCCXXXVIII. ita legimus: "In Britannia Timotheus quidam continentiae et religionis imagine multis illudens, eos in errorem suæ hæresis induxit: dicens Christum verum quidem Deum, et verum hominem de virgine Maria natum fuisse; sed mentiens, dicendo, quod divina natura conversa sit in humanam naturam." Verum in emendatiori chronico, quod ex Gemblacensi exemplari ab Auberto Miræo editum est, pro Britannia habetur hic Bithynia: quam lectionem etiam Gennadianus hæreticorum indiculus confirmat; in quo Timotheanorum hujusmodi reperitur descriptio, "Timotheani dicunt filium Dei verum quidem hominem ex virgine Maria natum; sed non ita unam reddidisse personam, ut non in unam redacta sit naturam, conflatorium quoddam fuisse volentes interiora virginis, per quod duæ naturæ, id est, Deus et homo, in unam resolutæ et compactæ massam, unam Dei et hominis exhibuerint formam: immutata videlicet naturarum proprietate efficientium coitionem. Et ad confirmandam hujuscemodi impietatem, quæ Deum asserit a sua versum natura, cogunt Evangelistæ testimonium, dicentis, *Et verbum caro factum est*: quod ita interpretantur; Divina natura in humanam

ⁿ Dempster. histor. Scotor. lib. 6. num. 530.

^o Jo. Balæ. centur. I. in appendic. cap. 44, et 45. Camden. Britann. pag. 60.

^p Johan. cap. I. ver. 14.

versa est. O abolitionem, illi inviolabili impingentem substantiæ! Hujus impietatis initiator Timotheus, apud Bizam Bithyniæ modo exulans civitatem, continentis et religiosæ vitæ imagine multis illudit.”

Timotheanorum descriptionem istam, ad calcem libri de hæresibus ad Quodvultdeum adjectam, in MS. Gemblacensi invenisse se testantur Lovanienses operum Augustini editores: unde verisimile fit, Gemblacensi Sigeberto occasionem datam suspicandi, Pelagianæ hæresi, quæ in Augustini catalogo novissima recensetur, tempore fuisse proximam Timotheanam istam, Nestoriana et Eutylichiana superiorem: quum tamen certum sit, non alium Timotheanorum ducem a Gennadio hic intellectum, quam Ælurum illum Timotheum, Eutylichianæ hæreseos interpolatorem et Chalcedonensis concilii hostem acerrimum; qui “extincto^q ab Alexandrinis Proterio episcopo, tumultuante adhuc plebe, aut voluit aut passus est se ab uno episcopo, in locum occisi episcopi, fieri episcopum:” de quo, in scriptorum catalogo, ut in hæreticorum indiculo, hoc itidem ab eo est adjectum; “Vivere adhuc in exilio jam hæresiarcha dicitur et habetur.”

Sed non ut a Timotheana, ita etiam a Pelagiana hæresi Britanniam immunem præstare possumus. Nam “totam fere Britanniam Pelagianam pestem occupavisse,” in S. Lupi vita legimus: quam tamen neque ab ipso Pelagio, quantumvis ibi nato, neque a vicino Celestio, sed ab Agricola quodam Pelagiano eo advectam fuisse accepimus. Narrat quidem Claudius Menardus^r, “Agricolæ Britanno Scoto, totam insulam turbanti Celestium, Italiæ finibus extrusum, adiutorem accessisse.” Sed tam de Celestii in Britanniam adventu, quam de Agricolæ patria, sine teste ille loquitur. Quare ab antiquioribus historiæ veritas est exquirenda; imprimisque horum temporum scriptore Prospero: cujus de Celestino Romano pontifice verba sunt ista, “Nec^s signiore cura ab hoc eodem morbo (Pelagiano) Britannias liberavit, quando quosdam inimicos

^q Gennad. catalog. scriptor. ecclesiast. cap. 72.

^r Menard. not. in Augustini contra Julian. opus imperfectum.

^s Prosp. contra Collator. cap. 41.

gratiæ, solum^t suæ originis occupantes etiam ab illo secreto exclusit oceani; et ordinato Scotis episcopo, dum Romanam insulam studet servare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.”

Hæc in chronico magis explicate idem repetit: anni CCCXXIX. Florentii et Dionysii consulatu signati, historiam sic enarrans: “Felice^u ad patriciam dignitatem provento, Aetius magister militum factus est. Agricola Pelagianus, Severiani episcopi Pelagiani filius, ecclesias Britanniae dogmatis sui insinuatione corrumpit. Sed actione Palladii diaconi, papæ Celestinus Germanum Antisiodorensem episcopum vice sua mittit: et, deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigit^w:” et ad annum ab hoc alterum de Palladio adjiciens, “Ad Scotos in Christum credentes ordinatur a papa Celestino Palladius; et primus episcopus mittitur.” Unde duas fuisse Palladii legationes in Britanniam, perperam colligit Baronius^x: quum priore anno, agente tantum Palladio, Germanum huc a Celestino missum fuisse Prosper indicet. Ut simul etiam concidat, quod Menardus retulit; eodem anno CCCXXIX. Palladium primum, tum Germanum Lupumque Britannica legatione fuisse functum.

Accedat huc et Bedæ narratio: “Hæresis^y Pelagiana per Agricolam illata, Severiani episcopi Pelagiani filium, fidem Britanniarum fœda peste commaculaverat. Verum Britanni, cum neque suscipere dogma perversum, gratiam Christi blasphemando, ullatenus vellent, neque versutiam nefariæ persuasionis refutare verbis certando sufficerent; inveniunt salubre consilium, ut a Gallicanis antistitibus auxilium belli spiritualis inquirant. Quam ob causam collecta magna synodo quærebatur in commune, qui illuc ad suc-

^t “Pelagius enim Britannus cum esset, ex Britannia complures allegerat sibi discipulos.” Baron. ann. 429. sec. 1.

^u Prosp. chronic. ab Arn. Pontæo edit. et ab Henr. Canisio, tomo 1. antiqu. lection. ex MS. Augustano, et ab Andr. du Chesne, tomo 1. rerum Francicarum scriptorum.

^w Al. *redegit*. chron. integr. *redigit*. rectius.

^x Baron. ann. 429. sec. 6. et ab eo deceptus Alphonsus Ciaconius, in vita Celestini. P.

^y Lib. 1. histor. ecclesiast. cap. 17.

currendam fidei mitti deberent : atque omnium iudicio eligebantur, apostoli sacerdotes, Germanus Antisiodorensis et Lupus Treassinæ civitatis episcopi, qui ad confirmandam fidem gratiæ cœlestis Britannias venirent. Qui cum prompta devotione preces et jussa sanctæ Ecclesiæ suscepissent; intrant oceanum, &c.”

Severianum illum Johannes Balæus^z Severum Sulpitium Aquitanum fuisse affirmat : qui B. Martini vitam edidit ; atque Agricolam istum “ in Britannia genuisse ex Britannia matre, dum Pelagianum illic spargeret dogma.” Verum non a patre, sed a filio Pelagianum dogma in Britanniam illatum fuisse Prosper et Beda dicunt : ac patrem episcopum fuisse addunt, quum illum Aquitanicum, qui magistri sui Martini vitam scripsit, presbyterum tantum faciat, qui res illius ignorare non potuit, Massiliensis Gennadius. “ Hic^a tamen in senectute sua a Pelagianis deceptus et agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit ; ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret :” ut de hoc ipso presbytero refert idem Gennadius, et post eum Ado Viennensis, Matthæus Florilegus, Johannes Trithemius, et alii. Britannos quoque, juxta Sulpitii Severini regulam, LXXXIV. annorum cyclum in Paschate designando observasse, auctor est Aldhelmus^b. Ut quod de Sulpitio Severo hic dicitur, aliqua saltem probabilitatis specie niti videatur.

At nullam verisimilitudinis vel speciem quidem obtinet, quod a Balæo est additum, Agricolam hunc eundem cum Leporio fuisse ; de quo Gennadius : “ Leporius^c adhuc monachus^d ; postea presbyter, præsumens de puritate vitæ (quam arbitrio tamen et conatu proprio, non Dei adjutorio obtinuisse crediderat) Pelagianum dogma cœperat sequi, sed a Gallicanis doctoribus admonitus, et in Africa per Augustinum emendatus, scripsit emendationis suæ libellum ; in quo et satisfacit de errore, et gratias agit de emendatione : simul et quod male senserat de incarnatione

^z Balæ. centur. I. cap. 45.

^a Gennad. catalog. script. ecclesiastic. cap. 19.

^b Aldhelm. epist. ad Geruntium ; inter Bonifacianas. num. 41.

^c Gennad. catalog. cap. 59.

^d *Laicus*. Ado in chronic. ætat. 6. vid. supr. cap. 8. pag. 256.

Christi corrigens, Catholicam sententiam tulit; dicens, manentibus in Christo duabus naturis, unam credi filii Dei personam:" et Facundus Hermianensis^e, "Cum quidam Leporius presbyter apud Gallias, depravatus a vera et antiqua Ecclesiæ fide, eadem docere præsumeret quæ postea Nestorius docuit, atque inde pro tali errore depulsus, in Africam docendus veniret; ille instructus, ut docet apostolus, in spiritu mansuetudinis a spiritualibus patribus Aurelio Carthaginiensi, et Augustino, atque aliis Africanis episcopis, pravissimam novitatem sui dogmatis abdicavit. Scripsit autem libellum satisfactionis idem Leporius ad Gallos episcopos; quem memorati venerabiles patres Aurelius atque Augustinus et cæteri sic probaverunt, ut ad faciendam veritatis fidem, etiam suas ei subscriptiones adjicerent:" et, cui ille probe notus erat, Johannes Cassianus^f, "Leporius tunc monachus, modo presbyter, qui ex Pelagii institutione vel potius pravitate descendens, apud Gallias assertor prædictæ (incerti nominis) hæreseos aut inter primos aut inter maximos fuit, a nobis admonitus, a Deo emendatus, ita male conceptam persuasionem magnifice condemnavit, ut non minus pene admiranda sit correctio illius, quam illæsa multorum fides: quia primum est, errorem penitus non incurrere; secundum, bene repudiare. Is ergo in se reversus, non solum in Africa, ubi tunc erat atque nunc est, (anno videlicet CCCCXXX.) tam errorem suum cum dolore, quam sine pudore confessus est; sed etiam ad omnes admodum Galliæ civitates flebiles confessionis ac planctus sui literas dedit: quas ita exorsus est: *Quid in me primum, o Domini mei venerandi et beatissimi sacerdotes, accusam nescio; quid in me excusam, non invenio. Sic imperitia cum superbia, sic stulta simplicitas cum persuasionem noxia, sic fervor cum intemperantia, sic (ut verius dicam) cum sui diminutione debilis fides, simul in me omnia recepta viguerunt; ut tot et tantis simul sit et obedisse confusio, et hæc*

^e Facund. de trib. capitulis, ad Justinianum imp. lib. 1. cap. 4.

^f Cassian. de incarnat. Christi, lib. 1. cap. 4, 5.

eadem ab animo potuisse rejicere, mihi stupenda sit gratulatio."

Nam quod anno Christi CCCCVI. quo Pelagiana ipsa hæresis, Leporianæ hujus parens, lucem vix aspexerat, "Leporium episcopum Uticensem in Bætica, prius monachum ex familia S. Augustini, mutavisse perditam suam priorem sententiam, admonitum a S. Augustino præceptore suo," in chronico suo narrat commentitius Dexter; ejusdem est ponderis, cujus illa a Balæo et Pitsio de eodem prodita: in Britannia natum, presbyterum et monachum in magno illo Bannochorensi cœnobio factum, per Gallicanos episcopos Germanum et Lupum, in Britanniam a Celestino missos, admonitum a Pelagiano errore resipuisse; et præter erroris sui palinodiam, duo quoque alia opuscula edidisse, de incarnatione Domini et de duabus in Christo naturis: quum Leporium Gallum fuisse constat, et in Gallia hæresim suam sparsisse, indeque a Proculo Massiliensi episcopo et Cylinnio exturbatum in Africam cum sectatoribus suis concessisse, atque ibi ab Aurelio^g, Augustino, Florentio et Secundino in viam revocatum, emendationis suæ sive satisfactionis libellum ad episcopos Galliæ scripsisse; quem cum aliis quibusdam veterum scriptorum opusculis dogmaticis in lucem a diligentissimo Sirmondo^h emissum habemus. Ad alia vero illa opuscula quod attinet: alterius "de confessione naturarum Christi insignem facere mentionem Johannem Cassianum libro primo de ejus incarnatione," affirmat Balæus; ibidemque extare "contra Timotheum hæreticum de incarnatione Verbi epistolam, a Leporio scriptam," Pitsius asserit. Verum unius tantum satisfactionis libelli, sive palinodiæ, Cassianus meminit: indeque de Verbi incarnatione et duabus in Christo naturis, excerpta quædam retulit; non quidem contra Timotheum, (quem illo ætate posteriorem fuisse jam ostendimus) sed contra semetipsum edita, quod duas in Christo personas ante Nestorium adstruere præsumpsisset.

^g Vid. eorum epistol. ad Proculum et Cylinnium: tomo 1. concilior. Galliæ.

^h Paris. ann. 1630.

Germani, ut ad eum jam accedamus, primas fuisse partes in liberandis a Pelagiana peste Britannis, omnes consentiunt: sed quorum opera munus hoc illi sit impositum, inter optimos auctores aliquantula videtur esse dissensio. Prosper enim (ut vidimus) Celestino Romano episcopo hanc laudem tribuit, Palladio diacono ad curam hanc suscipiendam incitato. Constantius vero et cum eo Beda, Paulus diaconus, Freculphus, Erricus Antissiodorensis et Ado Viennensis, curantibus episcopis Gallicanis, ad opem Britannis ferendam, Germanum simul cum Lupo missum fuisse affirmat: quæ Baronius¹ ita inter se conciliare nititur, “ Cum autoritate Prosperi satis liqueat, S. Germanum episcopum in Britanniam a Celestino missum esse legatum; Constantius vero ac post eum Beda tradant a synodo Gallicana id factum: potuit quidem utrumque facile contigisse; vel ut quem mittendum synodus illa delegisset, pontifex comprobasset; vel quem sibi ad eam provinciam legare deberet, ipse Celestinus arbitrio Gallorum episcoporum reliquisset. Certe quidem clades ipsa illata Britannorum Ecclesiæ ab ipsorum gentile Pelagio, ac ejus discipulis, prius innotuit episcopis Galliarum legatione Catholicorum antistitem Britannorum, ut ex Constantio liquet. Qui igitur legibus imperatorum undique (ut dictum est) exagitati Pelagiani fuere; in insula illa inprimis, ex qua Pelagius auctor impietatis oriundus erat, latebras captare curarunt: ubi affectato ex more titulo sanctitatis, in se populi oculos convertentes, in eos paulatim cum prædicatione Christianæ vitæ perfectionis quam se profiteri jactabant, venena hæresis instillarunt; quæ adeo eorum præcordiis inhæserunt, ut jam medicinam nullam admitterent, suorumque pastorum lupos arcentium vocem contemnerent: unde opus fuit, e vicinis Galliis, imo e longe posita Romana ecclesia adversus ingruentia mala auxilium implorare. Sed non unus Germanus episcopus tantum suscepit onus subeundum; verum additus est illi collega vir sanctissimus, Lupus episcopus Trecensis: amboque, sicut Paulus et Barnabas, in evangelium segregati.”

¹ Baron. ann. 429. sec. 10.

Duabus in Britannia legationibus functum fuisse Germanum, rerum ipsius scriptores tradiderunt: indeque in poemate de vita illius conscripto, Erricus Antissiodorensis hac ad eum usus est apostrophe:

Tuque o, cui toto discretos orbe Britannos
Bis penetrare datum, bisque intima cernere magni
Monstra maris.

Priorem hanc fuisse constat: in qua collegam habuit ille Lupum; quem Claudius Menardus fratrem, Petrus Equilinus^k cognatum illius, sua tantum fide, nuncupat. Fratrem vero Lupi fuisse Vincentium Lirinensem ex Eucherio novimus, primos Latinæ suæ patres ita commemorante: “Digna quæ Honorato auctore fundata sit: quæ tanti instituti tantum nacta sit patrem, apostolici spiritus vigore, et vultus honore radiantem. Digna quæ illum suscipiens, ita emitteret; (ad Arelatensem scilicet cathedram:) digna quæ præstantissimos alat monachos, et ambiendos proferat sacerdotes. Hæc nunc successorem ejus tenet Maximum, nomine clarum, quia post ipsum meruit adscisci. Hæc habuit reverendi nominis Lupum, qui nobis illum ex tribu Benjamin^l lupum retulit. Hæc habuit germanum ejus Vincentium, interno gemmam splendore perspicuam. Hæc nunc possidet venerabilem gravitate Caprasium, veteribus sanctis parem.”

Hæc Eucherius, in libello de laude eremi ad Hilarium tum scripto, quum se ille Lirinensi insulæ, “derelictis^m episcopatus Honorati (ut de se narrat ipse Hilarius) principiis, secreti amore reddidisset.” Unde intelligimus eo tempore utrumque fratrem, “post desudatas militiæ Lirinensis excubias;” ut in epistola ad Lupum loquitur Sidoniusⁿ, alio sese transtulisse: licet anno CCCCXXIX. “Vincentium ex Palatino factum esse monachum Lirinensem,” in Pseudo-Dextri legamus chronico. Lupum certe, qui Hilarii hujus sororem Pimeniolam uxorem duxerat, “cum jam septimus conjugii annus volveretur,” sub Ho-

^k Petr. de Natalib. lib. 6. cap. 156.

^l Gen. cap. 49. ver. 27.

^m Hilar. Arelatens. in serm. de vita Honorati.

ⁿ Sidon. Apollinar. lib. 16. ep. 1.

norato abbate gymnasium Lirinense ingressum esse, “cumque annum unum illic egisset” ad urbis Trecensis episcopatum fuisse raptum, indeque “exacto biennii spatio” in Britanniam cum Germano profectum esse, antiquus vitæ illius scriptor clare indicat. Quod eorum anachronismos refutat qui, Prosperi rationibus desertis, post annum CCCCXXIX. legationem hanc a Germano et Lupo susceptam fuisse opinantur. Ut^o enim in ipso extremo anno CCCCXXVI. quo Honoratum a Lirinensi præfectura ad Arelatensem archiepiscopatum evectum fuisse ostendimus, Lupum monasticam sub eo vitam profiteri cœpisse admittamus; triennium inde numeratum anni CCCCXXIX. terminos excedere nos nequaquam patietur. Et cum anno abhinc altero concilium Ephesinum habitum fuisse constet; corrigendum inde quod a Sabellico^p est scriptum: “misse Celestinum, secundum hæc quæ Ephesi facta sunt, Germanum antistitem Altisiodorensem in Britanniam; ad Pelagianam hæresim, quæ passim tota insula inoluerat, prædicatione tollendam.”

Porro eorum, quibus Britannicæ hujus legationis obediendi munus est impositum, tam sancta erat apud suos existimatio, ut Apollinaris Sidonius^q S. Anianum Aurelianensem, velut maximum consummatissimumque pontificem commendaturus, “Lupo parem Germanoque non impari” dixisse, satis esse putaverit: et ad ipsum Lupum scribens, “Patrem patrum, et episcopum episcoporum, et alterum seculi sui Jacobum,” compellere nihil dubitaverit. Nactus est autem rerum suarum buccinatorem S. Germanus Lugdunensem presbyterum Constantium, cui octo primos epistolarum suarum libros dicavit idem Sidonius: et ut “virum^r singularis ingenii, salutaris consilii, in tractatibus publicis cæteros eloquentes, seu diversa sive paria decernat, præstantioris facundiæ dotibus antecellentem,” prædicat. Quæ ille vero soluta oratione

^o Ad annum 436. refertur in Roberti Antisiodorensis chronologia, fol. 61. a. ad annum 450. Et a Johanne de Garlandia.

^p Sabellic. Enncad. 8. pag. 323.

^q Sidon. lib. 8. epist. 15.

^r Sidon. lib. 6. epist. 1.

^s Id. lib. 9. epist. 16.

libris duobus, ea libris sex Erricus Antissiodorensis^t monachus versu expressit; qui Colinaei typis anno MDXLIII. Parisiis habentur excusi. Ejusdem præterea de miraculis S. Germani, quæ in ejus vita ommissa sunt, libros duos, una cum sermone de transitu illius, in bibliotheca Bodleiana et Sarisburiensis ecclesiæ MSS. vidi: in quorum præfatione primum illum *βίόγραφον* hoc ornat elogio: “Constantius Lugduni impense doctissimus, impulsu vel precibus S. Patientis ejus tunc urbis episcopi, librum de vita et virtutibus beati Germani mira sententiarum elegantia copiosoque delectu verborum excellentissime edidit; cum per ora cunctorum Sancti recens adhuc spiraret memoria, pluresque qui eum degentem in seculo viderant superessent.”

Prioris hujus legationis initia Constantius sic exponit: “Eodem^u tempore ex Britanniiis directa legatio Gallicanis episcopis nunciavit, Pelagianam perversitatem in locis suis late populos occupasse, et quamprimum fidei Catholicæ debere succurri. Ob quam causam synodus numerosa collecta est: omniumque judicio duo præclara religionis lumina universonum precibus ambiuntur, Germanus et Lupus apostolici sacerdotes, terram corporibus, cælum meritis^w possidentes. Et quanto laboriosior necessitas apparebat, tanto eam promptius heroes devotissimi susceperunt; celeritatem negotii fidei stimulis maturantes.” Tum de Genovefa virgine in itinere Deo dicata, et sedata in oceano oborta tempestate, narrationem persequitur: de illa pariter consentiente Genovefæ, de hac Lupi vitæ scriptore anonymo. Hujus enim profectionis vitæ Genovefæ scriptor^x ita meminit: “Proficiscentes ad Britannias, præclari maximique pontifices, ad Pelagianam hæresim, quæ tunc in locis illis emergerat, reprimendam; ad me-

^t Sigebert. Gemblacens. de illustr. eccles. scriptor. cap. 105. et in chronic. ann. 877.

^u Constant. de vita Germani, lib. 1. cap. 19. MS. in bibliotheca Sarisburiensi et Cottoniana, et apud Surium, tom. 4. Jul. 31.

^w *mentibus*. Baron. male.

^x MS. in bibliotheca Sarisburiensi et Cottoniana: et apud Surium, tom. 1. Januar. 3. sed mutato stylo.

moratam forte parochiam (Nimetodorensē; in qua nata est Genovefa) orandi vel manendi se gratia contulerunt." De Lupo autem, ad Trecensis^y sive Tricassinæ urbis episcopatum jam evecto, agens alter; "Exacto," inquit, "biennii^z spatio, cum esset pollens ingenio, clarus eloquio, sanctitate præcipuus, cum S. Germano, totius perfectionis et gratiæ spiritalis pleno, contra hæresim Pelagianam, quæ sanam oppugnabat fidem, in Britanniam profectus est: qui uno spiritu juncti, et pari voluntate concordēs, terribiles oceani fluctus, temporibus hybernis mari se committentes, orationum gubernaculis mitigarunt."

De re in Britannia ab eis gesta, pergit narrare Constantius: "Britanniarum^a insulam, quæ inter omnes est vel prima vel maxima, apostolici sacerdotes raptim opinione, prædicatione, virtutibus impleverunt. Et cum quotidie irruente frequentia stiparentur, divinus sermo non solum in ecclesiis, verumetiam per trivium, per rura, per devia diffundebatur; ut passim, et fideles Catholici firmarentur, et depravati viam correctionis agnoscerent. Erat in illis apostolorum instar et gloria, et autoritas per conscientiam, doctrina per literas, virtutes ex meritis: accedebat præterea tantis auctõribus assertio veritatis. Itaque regionis universitas in eorum sententiam prompta transierat. Latēbant abditi sinistrae persuasionis authores, et more maligni spiritus gemebant perire sibi populos evadentes. Ad extremum diuturna meditatione concepta præsumunt inire conflictum. Procedunt conspicui divitiis, veste fulgentes, circumdati assentatione multorum: contentionisque subire aleam maluerunt, quam in populo, quem subverterant, pudorem taciturnitatis incurrere; ne viderentur se ipsi silentio damnavisse. Illic plane immensa multitudinis numerositas etiam cum conjugibus ac liberis excita convenerat. Aderat populus spectator futurus et iudex. Adstabant partes, dispari conditione dissimiles: hinc divina auctoritas, inde humana præsumptio; hinc fides, inde

^y *Troyes*, in Campania Gallicana.

^z Vita S. Lupi, apud Surium, tom. 4. Jul. 29.

^a Constant. lib. 4. cap. 23.

perfidia; hinc Christus, inde Pelagius auctor. Primo in loco beatissimi sacerdotes præbuerunt adversariis copiam disputandi; quæ sola nuditate verborum diu inaniter et aures occupavit et tempora. Deinde antistites venerandi torrentes eloquii sui cum apostolicis et evangelicis tonitribus profuderunt. Miscebatur sermo proprius cum divino, et assertiones violentissimas lectionum testimonia sequebantur. Convincitur vanitas, perfidia confutatur: ita ut ad singulas verborum objectiones reos se, dum respondere nequeunt, faterentur. Populus arbiter vix manus continet: iudicium cum^b clamore testatur."

Londini conventum hunc habitum fuisse affirmat Hector Boethius^c: addens insuper, Pelagianos, "qui resipiscere contumaciter sprevisent, flammis regionum magistratuum opera esse adustos; cæteros pro admissio delicto pontificum autoritate pœnis adactos, receptos esse in gratiam." Matthæus Florilegus^d Verolamii synodum hanc collectam fuisse scribit. Pro quo faciunt, et antiquæ^e fani Albani membranulæ, quæ eo in loco, ubi S. Germani sacellum etiamnum superest, Germanum pro suggestu verbum divinum effatum fuisse testatur; et ipse Constantius, qui eundem S. Albani sepulchrum aperiri tum jussisse refert, "Germanus, inquit ille^f, omnium apostolorum diversorumque martyrum reliquias secum habens, facta oratione, jussit revelli sepulchrum, pretiosa ibidem munera conditurus: arbitrans opportunum, ut membra sanctorum ex diversis regionibus collecta, quos pares meritis receperat cœlum, sepulchri quoque unius teneret hospitium. Quibus depositis honorifice atque sociatis, de loco ipso, ubi beati martyris effusus fuerat sanguis, massam pulveris secum portaturus abstulit: in qua apparebat, cruore servato, rubere martyrum cædem, persecutore pallente." Hincque natum Andreas Saussaius^g affirmat "S. Albani Britannici profusam longe lateque per Gallias venerationem, quæ in antiquis nitet consignata fere omnium

^b *Tamen* 2.-MISS. Cot.

^d Flor. hist. ad annum. grat. 416.

^f Constant. lib. 1. cap. 25.

^c Boeth. Scot. hist. lib. 8.

^e Camden. in Hertfordshire pag. 293.

^g Martyr. Gall. Jun. 22. pag. 377.

ecclesiarum episcopaliū diptychis: potissimum Bituricensis, Senonensis, Aurelianensis, Augustodunensis, Maeloviensis, Constantiensis, &c."

Cum Constantii vero narratione conferenda hic exhibemus, quæ Albanensis quidam habet monachus; qui sub medium duodecimi post Christum seculi de translatione S. Albani tractatum edidit: "Ad ejus tumbam, cœlesti sanctitate perspicuam, præclarus Dei sacerdos Antissiodorensis Germanus eo in tempore adoraturus accessit: qui Pelagianam hæresim, cum suis auctoribus, in Verulamio civitate damnavit. Associato itaque sibi beato Lupo Trecasinæ urbis episcopo, sepulchrum gloriosi martyris diligenter aperuit; eique omnium sanctorum apostolorum et diversorum martyrum reliquias offerens, ibidemque recondens, solemniter collocavit. De loco autem in quo idem agonista invictus sanguinem fundens occubuit, massam pulveris secum ad natale solum gestaturus collegit: in qua, evoluta tam diuturno tempore, rubebat martyrium insignis athletæ; ad laudem ejus et gloriam, virtute Dei magnifica, servato cruore. Ipsius igitur gloriosi militis Christi passio et mors pretiosa per sanctum pontificem Germanum apud transmarinas nationes celebris in sancta refulsit Ecclesia." Et alius ejusdem loci cœnobita, qui anno MCCLVII. de mausoleo S. Albani tum invento scripsit: Reperta est "quædam urna, quasi recenter a furno figuli extracta, quadam testa cooperta. In qua continebantur quidam parvi asses, quasi de uno vase pretioso propter vetustatem confracto et fere putrefacto; et pulvis terrestris sive incineratus et aliquantulum madidus, quasi sanguine nondum consumpto madefactus. Olla quoque et testa et plumbei panni erant quasi tincti cruore, sed indurato. Quod historiæ quæ de inventione ejus sub S. Germano facta est concordat. Legitur enim quod idem S. Germanus massam pulveris, ad natale solum eam secum portaturus, aperto ejus sepulchro collegit: in quo martyrium insignis athletæ servato magnifico cruore apparebat post tot tempora diuturna. In ipsum igitur pulverem pretiosa caro martyris et sanguis, qui primitus in Anglia fusus fuerat, resolvebantur."

Similiter et Thomas Walsinghamius^h, in S. Albani vestimento apud Elienses conservato, conspecta fuisse narrat “cruoris coagula dense respersa, ita nova, ita recentia quasi pridie fuissent effusa:” ut supra^l retulimus. “Et fas est credere,” inquit, “quod ad honorem Sancti, divino miraculo sanguis ejus sit in hac veste servatus; sicut in pulvere sui sepulchri per multa secula fuerat conservatus: cujus pulveris massam, in qua rubebat adhuc sanguis martyris, S. Germanus Altissiodorensis episcopus secum abstulit, et detulit ad natale secum^k Altissiodoro capellam construens in honorem martyris memorati.” Ædis hujus Antissiodori a S. Germano positæ ita etiam meminit in Antissiodorensi suo chronico Robertus monachus: “Fecit basilicam S. Albani martyris infra muros ipsius urbis, quam in honore ejusdem martyris dedicavit; reliquiasque ipsius, quas secum a Britannii detulerat, ibidem honorifice composuit.” Similiter Erricus Antissiodorensis libro primo de miraculis S. Germani: “Reversus ex Britannii, reliquias antiquissimi preciosique Albani martyris secum detulit; atque infra muros Antissiodori basilicam eis condendis exædificans, præfati martyris nomine dedicavit.” Et Matthæus Florilegus^m, de Albani reliquiis ab Offa Merciorum rege inventis verba faciens: “Martyris corpus, astante Offa rege, in theca lignea, in qua prius a Christi fidelibus, propter barbarorum sævitiam, fuerat tempore discriminis occultatum, reperiunt; cum ipsis sacris omnium apostolorum diversorumque martyrum reliquiis, quas ibi dudum sanctus deposuerat Germanus. Movit hæc inventio tam clerum quam populum universum ad lachrymas: et ob hoc maxime, quod fidem fecit dietis sanctorum patrum, de reliquiis simul cum corpore repertis; quas

^h Walsingham. hist. Edvard. II. ad ann. 1314.

^l Supra cap. 7. pag. 181.

^k solum *Altissiodorum*.

^l Id. ib. Beatus Michomerus, unus discipulorum S. Germani, qui sanctum virum de Hibernia fuerat prosecutus. B. Michomeri apud castrum cui Tharhordori nomen est, distatque ab urbe Antissiodorensi sane decem et octo millibus, deinceps oratorum est constructum: ubi sanctum Dei digne venerantibus divina hodieque beneficia cumulantur. Vid. Vincent. Bellov. in Germano: et Andr. Saussaium in martyrologio Gallicano.

^m Flor. hist. ad ann. 794. Vide supr. cap. 7. pag. 201.

legimus, ad solatium martyris, ejus sacro corpori fuisse conjunctas."

Sed ad Constantii narrationem non tam accedunt scriptores nostri, quam diversi ab ea abeunt Colonienses S. Pantaleonis monachi, qui Albaniⁿ reliquias a Germano Romam perlatas, indeque a Theophania Othonis II. imperatoris conjuge Coloniam deportatas fuisse asserunt. Anno Christi DCCCCLXXXVI. translationem hanc ab illa factam, ex Moguntino suo MS. refert Serarius^o: DCCCCLXXVII. assignant Colonienses; ex quorum traditione, controversiæ inter eos et Anglos anno MCCCXXVII. hac de re obortæ narrationem hanc per-textit Surius^p. " Ubi res innotuit Anglis, constanter illi asserere non dubitarunt, sanctum Albanum martyrem apud ipsos ortum et passum et conditum, eam quam suo sanguine illustrasset insulam nequaquam reliquisse, sed in ea semper permansisse. Ea occasione is, qui per id tempus apud S. Pantaleonem abbatis fungebatur officio, communicato cum fratribus sui monasterii consilio, cum sacræ B. martyris reliquiæ, jam trecentis et quinquaginta annis in ipsorum ecclesia quievissent, atque ab ipsius martyrio 1000. et eo amplius anni fluxissent, ad loculum cum ingenti devotione et reverentia accessit, eoque aperto videt ipse, vident et cæteri fratres, non sine multa admiratione multisque lachrymis, magna omnipotentis Dei virtute clarissimi martyris corpus tot seculis incorruptum conservari; lætanturque singulari Dei beneficio, tanti thesauri se compotes fieri potuisse. Ut autem certius de rei veritate constaret, et fidelium devotio excitaretur, e loculo venerandas extulere reliquias, et, ut Deus laudaretur in sancto suo, publice eas adspectandas proposuere; ac deinde in thecam aliam, auro argentoque et lapidibus pretiosis, quantum eorum sinebant facultates, ornatam reposuere, in qua hodieque reservantur. Tum autem recentes videbantur, ac si non ita pridem pro Christo cæsus esset inclytus martyr.

ⁿ Supra, cap. 7. pag. 179.

^o Serar. Moguntiac. rer. lib. 5. pag. 718.

^p Sur. tom. 3. vit. sanctor. Jun. 22. collat. cum collectione historiarum sanctorum cedit. Lovan. ann. 1485. fol. 88. col. 2. et 218. col. 2, 3.

Caput enim cum barba, cervicem etiamnum sanguinolentam, brachia et manus, scapulasque pelle et carne tectas, pectus cum cratibus laterum, denique spinam dorsi cum renibus invenerunt. Pannus etiam quo sacrum corpus trecentis et quinquaginta annis obvolutum fuerat, instar nivis candidus, et plane incorruptus erat. Cum autem hæ sacræ reliquæ ita ostenderentur, multi paralytici, claudi, curvi, contracti, humi reptantes, gibbosi, cæci, muti, dæmoniaci, manci, febricitantes, aliisque diversis affecti morbis, non pauci etiam mortui et in aquis extincti, quorum omnium numerus quingentos excederet, curati sunt: ut nihil dicamus de jumentis, quibus æque est restituta sanitas."

Eadem, postremo tantum hoc de sanatis jumentis prætermisso, ex Surio repetit Erhardus Winheimius¹: "oculato teste semetipso asseverans, S. Albani caput, cum carne et sanguine, ad præsentem usque diem ita integrum conspici, ac si pridem carnificis gladio amputatum esset." Verum, si miraculorum obtentu dirimenda lis ista foret: proculdubio superiores decederent Albancenses in Anglia cœnobitæ; vel unico illo libro in testimonium advocato, quem circa annum MCLXX. de S. Albani miraculis apud se patris in lucem ediderunt. Libri, quem ex Cottoniana sumptum bibliotheca in manibus jam habeo, hoc est initium: "Miracula quæ per B. Albanum protomartyrem Anglorum virtus divina operari dignata est, quædam ex innumeris commendata literis, et posterorum omnium notitiæ transmittere curavimus:" quorum ne in dubium vocaretur fides, solennis obtestatio est annexa. "Quæ de beato martyre dicturi sumus, nemo falsa aut fabulosa existimet: sed quæ, Deum contestamur, aut ipsi oculis nostris vidimus, aut ab aliis probatæ fidei relatoribus auribus nostris audivimus: alioquin tacere maluissemus sine culpa, quam cum culpa fari composita." Quibus ut cohors auxiliaria paulo post accessit de Amphibali et sociorum ejus translatione scriptio² illa altera: in qua, inter alia, quomodo in eorum occursum a monachis ductus sit Albanus, ut eos

¹ Winheim. sacrar. Agrippin. in Ecclesia, 12.

² Supr. cap. 7. pag. 195. et Matth. Paris. In hist. ann. 1178.

in cœnobio suo exciperet, sic author narrat: “Instituta domi processione, conventus et clerus accedunt; martyribus obviant, corpus Anglorum protomartyris deferentes. Quod ut consueverit aliquoties, prout noverunt ejus portitores, satis existere ponderosum, ea hora tantam sui facilitatem exhibebat, ut, quod miraculi est, alis quam humeris subvehi, volare quam incumbere potius crederetur. Occurrit ergo martyr martyribus, magistro discipulus, hospes quondam hospiti, cœlestis civis æterno concivi: quemque ne viderent eum hostes, clam olim abduxerat, jam palam exceptit revertentem; et in eminentem cum sociis introduxit ecclesiam, quem aliquando solum in tuguriis non valebat exhibere securum.”

Illas tamen Albani reliquias non Colonienses solum in Germania, sed etiam Ottonienses⁸ in Dania, et Elienses in ipsa Anglia sibi vendicarunt: de qua contentione Johannem Timnuthensem et ejus exscriptorem Capgravium in Albani legenda consulere poterit,

Perdere si quis in his dignabitur otia curis.

Nos ad illam omnium sermone atque scriptis celebratissimam victoriam Alleluaticam Germano et Lupo ducibus a Britannis obtentam, sermonem jam convertimus: quam Constantius¹ sic enarrat: “Interea Saxones Pictique bellum adversus Britones junctis viribus susceperunt, quos eadem necessitas in castra contraxerat; et cum trepidi partes suas pene impares judicarent, sanctorum antistitum auxilium petierunt. Qui promissum maturantes adventum, tantum securitatis ac fiduciæ contulerunt, ut accessisse maximus crederetur exercitus. Itaque apostolicis ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam quadragesimæ venerabiles dies, quos religiosiores reddebat præsentia sacerdotum, in tantum ut quotidianis prædicationibus instituti certatim ad gratiam baptismatis convolarent. Nam maxima exercitus multitudo undam lavacri

⁸ Vid. Ælnothum in vita Canuli, cap. 28, 29. et Isac. Pontan. rerum Danicar. lib. 5. in historia regis, 68.

¹ Constant. lib. 1. cap. 28.

salutaris expetiit. Ecclesia ad diem resurrectionis Dominicæ frondibus contexta^u componitur, et in expeditione campestri instar civitatis aptatur. Madidus baptismate procedit exercitus, fides fervet in populo; et contempto armorum præsidio, divinitatis expectatur auxilium.”

“ Interea hæc institutio vel forma castrorum hostibus nunciatur: qui victoriam quasi de inermi exercitu præsumentes, assumpta alacritate festinant: quorum tamen adventus exploratione cognoscitur. Cumque emensa solennitate paschali, recens de lavacro pars major exercitus arma capere et bellum parare tentaret, Germanus ducem se prælii profitetur. Eligit expeditos, circumjecta percurrit: et e regione qua hostium sperabatur adventus, vallem circumdatam editis montibus intuetur; quo in loco novum componit exercitum, ipse dux agminis. Et jam aderat ferox hostium multitudo, quam appropinquare intuebantur in insidiis constituti. Cum subito Germanus signifer universos admonet, et prædicit, ut voci suæ uno clamore respondeant. Securusque hostibus, qui se insperatos adesse confiderent, Alleluja, tertio repetitum, sacerdotes exclamant. Sequitur una vox omnium; et elevatum clamorem, repercusso aere, montium inclusa multiplicat. Hostile agmen terrore prosternitur: et ruisse super se non solum rupes circumdatas, verumetiam ipsam cæli machinam contremiscunt: trepidationique injectæ vix sufficere pedum pernitas credebatur. Passim fugiunt, arma projiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini. Plures etiam timore præcipites, flumen quod sensim venientes transierant, devoravit. Ultionem suam innocens intuetur exercitus, et victoriæ præstitæ otiosus spectator efficitur. Spolia colliguntur exposita, et prædam cælestis victoriæ miles religiosus adipiscitur. Triumphant pontifices, hostibus fuis sine sanguine; triumphant^x victoria fide obtenta, non viribus. Composita itaque opulentissima insula securitate multiplici, superatisque hostibus vel spi-

^u *contexta* MS. Cot. sed al. *contexta*.

^x Sarisb. et antiquior. Cottoniana MS. *triumphant victoria, fide obtenta*.

ritualibus vel carne conspicuis (quippe qui vicissent Pelagianistas et Saxones) cum totius mœrore regionis reditum moliantur."

In^y agro Flintensi, juxta oppidum quod Angli Mold, Cambro-britanni Guid-cruc appellant, hoc gestum aiunt; indeque locum Maes Garmon, quod Campum Germani sonat, hucusque nomen retinuisse: in præterfluente Aleno fluviolo sacro hoc exercitu baptizato. Videndumque annon huc etiam spectet illud Gregorii verba illa, "Cardines quoque maris operiet^z," edisserentis. "Omnipotens enim Dominus," inquit^a, "coruscantibus nubibus cardines maris operuit: quia emicantibus prædicatorum miraculis ad fidem etiam terminos mundi perduxit. Ecce enim pene cunctarum jam gentium corda penetravit: Ecce in una fide orientis limitem occidentisque conjunxit. Ecce lingua Britannia, quæ nil aliud noverat quam barbarum fremdere, jamdudum in divinis laudibus Hebræum cœpit ALLELUIA resonare. Ecce quondam tumidus, jam substratus sanctorum pedibus servit oceanus; ejusque barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiverant, hos pro divina formidine sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: et qui catervas pugnantium infidelis nequaquam metuerat, jam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cœlestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis, virtus ei divinæ cognitionis infunditur; ejusdem divinitatis terrore refrenatur, ut prave agere metuat, ac totis desideriis ad æternitatis gratiam pervenire concupiscat." Etsi enim ad gentis Anglorum conversionem a Beda^b et Johanne^c diacono et Aimoino^d ista trahi non ignorem: quo minus tamen ad illorum accedam sententiam, vel illud me cohibet, quod ante missum ad Anglos Augustinum

^y Non ad Trentam flumen, prout conjectura auguratus est Polydorus. Polyd. Vergil. Anglic. hist. lib. 3. MS. Sarisb. et Cotton. uterque numero 10.

^a Job, cap. 36. ver. 30.

^z Gregor. Moral. in Job. lib. 27. cap. 27. cap. 11. op. tom. 1. pag. 862.

^b Bed. histor. lib. 2. cap. 1.

^c Johan. Diacon. vit. Gregor. lib. 2. cap. 39.

^d De gest. Francor. lib. 3. cap. 74.

expositionem Jobi a Gregorio editam^e fuisse animadvertim.

Quæ a Constantio commemorantur facta hic a Germano et Lupo miracula, apud Bedam^f legi possunt, iisdem pene verbis repetita; et apud Erricum Antissiodorensem^g, carmine heroico expressa. Ab eodem Errico, in^h libri prioris de miraculis S. Germani extremo capitulo, et ante eum a Ninio, addita sunt et alia; autoritatis admodum exiguæ. In iis de subulco (Ketelo vel Cadello) illud est ad regnum evecto: quod ab aliisⁱ aliter, a Ranulpho Cestrensi^k ita relatum legitur, “In legenda sancti Germani habetur, quod dum Vortigernus hospitium sancto Germano negaret, subulcus regis videns sanctos Dei afflictos, hospitium exhibuit, vitulum ad cibum dedit: sed post cœnam Germanus vitulum resuscitavit. In crastino vero, ex Dei mandato, Germanus, Vortigernum de regno deposuit, et subulecum prædictum cunctis stupentibus regem constituit; ac extunc Britannorum reges ex genere subulci prodierunt. Gildas tamen in historia sua dicit ista contigisse, non de Vortigerno sed de rege Powisiæ nomine Benty; cujus successores in illa parte Cambriæ prodierunt de genere illius subulci.” Galfridus Monemuthensis^l per Germanum et Lupum “multa miracula ostendisse Deum” ait, “quæ Gildas in tractatu suo luculento dictamine peraravit:” ubi, num librum de victoria Aurelii Ambrosii Gildæ attributum, ad quem alibi^m nos remittit, an Ninii potius historiam intelligat, quæ passim falso Gildæ nomine circumfertur, viderint illi quibus priorem tractatum videre contigit; ad posteriorem respexisse Ranulphum, res ipsa loquitur: quo referendum et illud Johannis de Garlandia distichon in libro secundo de triumphis Ecclesiæ.

^e Gregor. Regest. lib. 1. epist. 43. indict. 9. ann. 591. et lib. 5. epist. 49. indict. 13. ann. 595.

^f Bed. histor. lib. 1. cap. 17, 18, 19.

^g Erric. vit. German. lib. 3.

^h Ibi habetur sequens tantum de subulco.

ⁱ Vincent. Specul. historial. lib. 20. cap. 11. Jo. Januens. in legenda aurea, cap. 102. Anton. chronic. tit. 11. cap. 17. sec. 3. Jo. Fordon. in Scotichronico. Johan. Leyden. chronic. Belg. lib. 2. cap. 1.

^k Ranulph. polychronic. lib. 5. cap. 1.

^l Histor. Britannic. lib. 6. cap. 13.

^m Histor. Britan. lib. 4. cap. ult. vid. supr. pag. 126.

Gildas historicus miracula plurima scripsit,
Quæ tunc per sanctos facta fuere duos.

In Constantii de Alleluatico illo triumpho narratione difficultas adhuc explicanda superest: qua ratione Saxones cum Britonibus belligerantes hic inducantur, quum eorum in insulam adventus Germani legatione tempore videatur fuisse posterior. Eum nodum Matthæus Florilegus^a et Carolus Sigonius^o, cum solvere non potuissent, dissecuerunt; Scotorum pro Saxonum in historia substituto vocabulo. Beda^p, Paulus^q diaconus et Freculphus^r, a Prosperi rationibus in tempore legationis Germani designando recedentes, post adventum Anglorum sub Marciano imperatore victoriam hanc partam fuisse statuerunt. Antiquitatum patriarum scientissimus Camdenus^s contra, in prima Germani profectioe Prosperi chronologia retenta, ex Ninii interpolatore Anglorum adventum in annum proxime præcedentem conjicit; Bedæ et Anglo-Saxonicorum omnium scriptorum de sui adventus tempore sententia hic neglecta.

Sed absque istis diverticulis facillimus patebit exitus, si consideraverimus, longe prius quam appulisset huc Hengistus, frequenter Saxonas irrupere consuevisse in Britanniam. Nam in principio imperii Valentiniani I. Saxonas, non minus quam Pictos et Scotos, Britannos ærumnis vexavisse continuis auctor est Ammianus Marcellinus^t, et sub Honorio Augustino de Stilichone ita canentem introducit Claudianus^u Britanniam:

Illius effectum curis, ne bella timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne littore toto
Prospicerem dubiis venturum SAXONA ventis.

Et ad insulam ab eorum impetu defendendam, institu-

^a Flor. histor. ann. 448.

^o Sigon. de Occidental. imper. lib. 12. ann. 429.

^p Bed. in lib. de sex ætatib.

^q Paul. diac. in addit. ad Eutrop. lib. 15.

^r Freculph. chronic. tom. 2. lib. 5. cap. 16.

^s Camden. Britann. pag. 95.

^t Ammian. histor. lib. 26.

^u Claudian. lib. 2. de laudib. Stilichonis.

tum fuisse comitem litoris SAXONICI per Britanniam, notitia imperii indicat: quo præsidio, abductis hinc Romanis legionibus, jam cessante; non mirum, si e Saxonico illo litore crebras incursiones perpessa fuerit Britannia: quod etiam in hujus historiæ enarratione innuunt ipsius Pauli diaconi illa verba, “ Ecce autem adhuc ibidem sanctis episcopis existentibus, valida Saxonum Pictorumque manus Britanniam ADVEHITUR.” Ut de Vortigerni consiliariis Saxonas huc invitantibus, non sine causa Gildas exclanaverit, “ O altissimam sensus caliginem! O desperabilem crudamque mentis hebetudinem! Quos propensius morte cum abessent tremebant, sponte, ut ita dicam, sub unius tecti culmine invitabant *stulti principes* (ut dictum^w est) *Taneos, dantes Pharaoni consilium insipiens.*”

Galfridus Monemuthensis^x, per horum consortium, ipsius Vortigerni temporibus, Christianam religionem ita hic corruptam fuisse narrat; ut “ jam nesciretur quis Paganus esset, quis Christianus: quia Pagani filias et consanguineas eorum sibi associaverant.” Et, “ in tempore illo (si hunc audimus) venit sanctus Germanus Altissiodorensis episcopus, et Lupus Trecasensis episcopus, ut verbum Dei Britonibus prædicarent.” Similia habet Johannes Timmuthensis in vita S. Dubricii: licet hæc ad Ambrosii Aurelii tempora referat: “ Corrupta namque fuerat Christianitas eorum, tum propter Paganos quos rex in societatem eorum posuerat, tum propter Pelagianam hæresim cujus venenum ipsos multis diebus affecerat. Beatorum igitur virorum prædicatione restituta est inter eos veræ fidei religio; quia multis miraculis quotidie præclarebant:” additque, Vortimerum^y Vortigerni filium, victoria adversus Anglos potitum, cœpisse “ ecclesias jubente sancto Germano renovare.” Nec dissimiliter in Scotorum historia de eodem Vortimero Hector Boethius^z: “ Ad Christi templa deinde restituenda, ad reparandam Ethnicorum crudelitate labefactatam religionem, toto conatu animum intendit. Nam Saxonum feritate Britanniam pervagante,

^w Esai. cap. 19. ver. 11.

^x Histor. Britannic. lib. 6. cap. 13.

^y Histor. Britannic. lib. 6. cap. 14.

^z Boeth. histor. Scot. lib. 8.

alii Britonum gentis a vera pietate alienati ethnico more litabant dæmonibus; alii et multo plures ritum eum averſati, Pelagianam hæresim ſemel abjuratam denuo ſunt amplexi. Sed ut utroque errore Britannia purgaretur, Germanus Altissiodorensis et Lupus Trecentis, multa ſanctitatis et doctrinæ celebritate antistites, e Gallia Vortimeri regis opera acciti, multos ac pios impendere ſudores."

Johannes Gerbrandus Leydenſis^a circa annum Domini CCXC. Diocletiano imperante Britanniam "fidem Chriſti deſeruiſſe," atque "iterum idola colere cœpiſſe" ſcribit; "et in Paganismo uſque ad prædicationem S. Germani epiſcopi Altissiodorensis, illuc ex Burgundia venientis, perduraviſſe;" ejuſque demum opera, "totam Britanniam iterum ad cultum Chriſti ſecundo rediſſe." Ex hoc quidem tempore Chriſtianam fidem graviter hic laboraſſe, argumento eſſe poterit Britannici exercitus multitudo illa, quam certatim ad gratiam baptiſmatis percipiendam convolaſſe retulit Conſtantius. Sed inde a Diocletiani temporibus Britannos infideles permanniſſe, quæ in octavo capite a nobis ſunt producta manifeſtæ convincunt falſitatis: quibus addere libet, quod nunc in mentem venit, Prudentii^b illud, de B. Cypriano ſcriptis ſuis Britannos pietate Chriſtiana imbuenſe:

—— Gallos fovet, imbuit Britannos,
Præſidet Hæſperix, Chriſtum ſerit ultimis Iberis.

Et authoris libri^c de ſeptem ordinibus Eccleſiæ ad Ruſticum Narbonenſem epiſcopum (ad quem a Leone I. pontifice data etiam habetur epiſtola) ſub ipſum Anglo-Saxonum adventum exarata verba ſequentia: "Preſbyteri hoc in eccleſiis ſuis faciant quod Romæ, ſive quod in oriente, quod in Italia, quod in Creta, quod in Cypro, quod in Africa, quod in Illyrico, quod in Hispania, quod in BRITANNIA, quod etiam ex parte per Gallias fit." De primo

^a Johan. Leydens. chronic. Belgic. lib. 2. cap. 1.

^b Prudent. *περὶ ſτεφάνων*, hymn. 13. ver. 103.

^c Inter opera Hieronymi, tom. 5. pag. 99.

statu Landavensis ecclesiæ scriptus libellus, a Lucii regis temporibus, ait Britannos “ Christianæ religionis fidem sine aliqua pravi dogmatis macula sinceram conservasse, usque dum Pelagiana hæresis orta est. Ad quam confundendam,” inquit author, “ sanctus Germanus episcopus et Lupus a Galliæ antistitibus ad Britannos missi sunt: sæpe tamen ante missis legatis a Britannis ad eos, implorantibus auxilium contra tam execrabile periculum; quia tam pravæ doctrinæ hæreticorum non acquiescebant, neque tamen confundere valebant:” tum de episcopis ab eis in pluribus locis Britannæ consecratis, et Dubricio dextralis Britannæ archiepiscopo constituto, ea subjicit quæ in quinto^e capite ex eo recitavimus. Similiter et Johannes de Garlandia, libro quarto de triumphis Ecclesiæ, post fidei Christianæ a Lucio introductæ mentionem factam:

Floruit ergo fides medio tunc tempore longo:
Sed Vortigerni tempore læsa fuit.

Et libro secundo Germani et Lupi adventu commemorato:

Tunc Vortigernum sæx Pelagiana tyrannum
Infecit: fæcem tersit amœna fides.

Rogerus Boulus, ut et Cantabrigienses^d commentarii, tradunt Cantabrigiensem academiam magnam cladem per tulisse a Pelagianæ sectæ hominibus, quia Pelagianos oppugnaverat: ait Johannes Caius^e. At quibus cum omnes pene Cantabrigiæ degentes scholastici immaniter trucidati, fusi, fugatique sunt; tandem Vortimerius, Vortigerii regis Britannæ filius, scholasticis, et eorum urbi non levi subsidio adfuit. In istis rerum tumultibus, alii relicta Cantabrigia alio profecti sunt: Germanus vero atque Lupus sancti viri et doctores circuibant omnia, contententes omni studio atque opera, ut Pelagianam hæresim continua prædicatione extinguerent et everterent. Qui cum tandem Glamorgantiam legionum urbem, quæ olim Britannorum lingua Caerleon dicebatur, pervenerant; ibi se firmarunt,

^e Supra, cap. 5. pag. 102.

^d Supra cap. 8. pag. 253.

^e Cai. antiquitat. Cantabrig. academ. lib. 1. pag. 143.

^f Id. in hist. Cantabrig. acad. lib. 1. pag. 23.

et sacras literas juxtaque liberales artes docuerunt. Addit quoque Caius^g, “ multos præclaros viros Cantabrigienses” illis junctos idem fecisse. “ Ob quam causam,” inquit, “ haud scio an hæc illa Canteburgia sit et dicatur, quam ad Sabrinam positam Roffensis historia refert: per Sabrinam, Uscam intelligens, credo, quod notior fluuius illa est, in quam se Usca recipit.” Verba Matthæi Florilegi, ex quo Roffensis ille totam suam historiam descripsit, ad annum DCCCXCVI. hæc sunt: “ Paganī noctu recedentes per provinciam Merciorum, non cessabant donec ad villam super Sabrinam, quæ Canteburige dicitur, pervenerunt.” Sic enim legit codex MS. quo ego utor: quum liber editus habeat Quante-brige; et annales mei Anglo-Saxonici ad eundem annum Cwatbrige^h. Est autem ille Glocestrensiū pagus, ad Camum amniculum positus, qua influit in Sabrinæ æstuarium; Fabio Etelwerdoⁱ Cantbrige, hodie Cam-bridge nuncupatus: longe diversus a legionum urbe, olim^k Glamogantiæ, hodie Monemuthensis agri finibus inclusa; in qua fuisse “ gymnasium ducentorum philosophorum, qui astronomia atque cæteris artibus eruditi, cursus stellarum diligenter observabant, et prodigia eorum tempore ventura veris argumentis prædicebant,” retulit Galfridus Monemuthensis^l, ejusque hic secuti fidem, Gervasius Tillesburiensis, Alexander Essebiensis, Tobias Roffensis, Johannes Brampton et Nicolaus Cantelupus: cujus, in historiola Cantabrigiæ, hac de re verba sunt ista: “ Cum a Dei adversariis (Pelagianis) omnes pene Cantabrigiæ habitatores essent destructi; Wortimer filius Wortigerni scholares Cantabrigiæ valida manu defendebat. Ex quibus sanctus doctor Germanus et Lupus coadjutores ad expellendum hæreses et errores adduxerunt, per regni partes viam Dei ostendentes. Et Domino cooperante venerunt ad urbem legionum in Glamorgantia, ubi nedum sacram docuerunt scripturam, verum et alias liberales scientias, experientia rationis et naturæ

^g Cai. in antiquitat. lib. 1. pag. 159, 160. Florent. Wigorn. ad ann. 896. *Quatbrig.* Roger. Hovden. ad ann. 909. *Brige.*

^h Cwætbrice be ȝeƿerne.

ⁱ Ethelwerd. hist. lib. 4. cap. 4.

^k Vid. supr. cap. 5. pag. 102.

^l Hist. Britann. lib. 9. cap. 12.

forma, patriæ et juvenibus manifestaverunt: ita quod astronomia et cæteris artibus eruditi, cursus stellarum diligenter observaverunt via vera; alii autem prodigia ventura eo tempore Britonibus prædixerunt: et alii mundum spernentes cum suis oblectationibus, soli Deo amore supernæ vitæ fideliter inhærentes, per sancta contemplationis desideria sacræ Scripturæ vacaverunt et orationibus: de quibus Tremerinus, Dubricius, Theonotus, Eldadus, David, Swithunus et Dumianus, maxime in expositione sacrarum Scripturarum jugiter Cantabrigiæ laboraverunt." Quo nomine neutiquam legionum urbem ille intellexit, uti suspicari visus est Johannes Caius, sed illam celebratissimam nostris temporibus academiam; quæ nihil illis profecto debet qui confictis hujusmodi fabellis inanem illi antiquitatis gloriam conciliare moliantur.

Doctorum autem horum nomina ex Britannica Galfridi Monemuthensis historia mutuatus est Cantelupus: in qua^m, Aurelii Ambrosii temporibus, in Legionensi archiepiscopatu Tremorino Dubricium successisse, et Eldadam Claudiocestrensem sive Glocestrensem episcopum exitisse legimus; Arthuro vero regnante, Diwanium sive Duvianum (Dumianum hic appellatum) Wintoniensem fuisse episcopum, atque Dubricio in Legionensi archiepiscopatu Davidem, Eldado in Glocestrensi episcopatu successisse Theonum (qui hujus Theonotus est) inde ad Londinensem archiepiscopatum postea translatum. Qui superest Swithunus, ille ipse fuisse videtur, cujus in Davidis Menevensis vita Giraldus Cambrensis meminit: ubi Aidani sive Maidoci Fernensis antistitis discipulum eum fuisse notat, alias "Scolanum dictum, et postmodum in Wintoniensi, ut perhibent, cathedra sublimatum." Longe enim tempore posterior exiit Swithunus ille alter, quem anno demum DCCCXXXVII. Helmstano in Wintoniensi episcopatu successisse notat Florentius Wigorniensis in chronico. Tametsi et hunc Cantabrigiensem fuisse volunt: idque authore Bonagratia de Villa Dei; ex cujus epistola ad nigros mo-

^m Hist. Britan. lib. 8. cap. 7, 10, 12. lib. 9. cap. 15. et lib. 11. cap. 3.

nachos in Anglia, a Thoma Rudburnoⁿ et historiolaë Wintoniensis ecclesiæ scriptore verba producuntur ista: “ Cum a propria exulans patria in Anglia apud sanctissimos ac religiosos monachos totius regni vestri degerem in Wentana urbe, Helmstanum venerabilem abbatem cathedralis ecclesiæ, et venerabilem Swithunum ejusdem ecclesiæ præpositum et in professione sacræ theologiæ in studio Cantebriggensi cathedratum: me inter ærumnosa exilii discrimina speciali remunerandæ recreationis gratia confovebant.”

Jam Oxonienses, ne quicquam Cantabrigiensibus hic cedere putarentur, apud se etiam B. Germanum semestre integrum commoratum esse, et academiæ suæ instituta mirum in modum approbasse volunt. De controversia enim inter veteres et Aluredianos scholasticos anno DCCCLXXXVI. exardescente, hujusmodi apud eos fertur narratio: “ Exorta est pessima ac teterrima Oxoniæ discordia inter Grymbaldum, doctissimosque illos viros quos secum illuc adduxit, et veteres illos scholasticos quos ibidem invenisset: qui ejus adventu leges, modos, ac prælegendi formulas ab eodem Grymbaldo institutas, omni ex parte amplecti recusabant. Per tres annos haud magna fuerat inter eos dissensio; occultum tamen fuit odium, quod summa cum atrocitate postea erupit, ipsa erat luce clarius. Quod ut sedaret, rex ille invictissimus Ælfrodus de dissidio eo, nuntio et querimonia Grymbaldi certior factus, Oxoniam se contulit, ut finem modumque huic controversiæ imponeret, qui et ipse summos labores hausit, causas et querelas utrinque illatas audiendo. Caput autem hujus contentionis in hoc erat positum. Veteres illi scholastici contendebant, antequam Grymbaldus Oxoniam devenisset, literas illic passim floruisse, etiamsi scholares tunc temporis numero erant pauciores quam priscis temporibus; plerisque nimirum sævitia ac tyrannide paganorum expulsis. Quinetiam probabant et ostendebant, idque indubitato veterum annalium testimonio, illius loci ordines ac instituta a nonnullis piis et eruditis hominibus

ⁿ Rudburn. hist. major. lib. 3. cap. 2.

fuisse sancita; ut a D. Gilda, Melkino, Nennio, Kentigerno, et aliis, qui omnes literis illic consenuerunt, omnia ibidem felici pace et concordia administrantes: ac divum quoque Germanum Oxoniam advenisse, annique dimidium illic esse moratum. Quo tempore per Britanniam iter fecit adversus Pelagianorum hæreses concionaturus, ordines et instituta supradicta mirum in modum comprobavit. Rex ille inaudita humilitate utramque partem accuratissime exaudivit; eos piis, ac salutaribus monitis etiam atque etiam hortans, ut mutuam inter se conjunctionem et concordiam tuerentur. Itaque hoc animo discessit rex, quosque ex utraque parte consilio suo esse obtemperaturos, et instituta sua amplexuros sperans. At Grymbaldus hæc iniquo animo ferens, statim ad monasterium Wintoniense ab Ælfredo recens fundatum proficiscebatur. Deinde tumbam Wintoniam transferri curavit, in qua proposuerat post hujus vitæ curriculum ossa sua reponenda, in testudine quæ erat facta subter cancellum ecclesiæ Divi Petri in Oxonia: quam quidam ecclesiam idem Grymbaldus extruxerat ab ipso fundamento, de saxo summa cura perpolito."

Narrationem hanc se "in principiis ac fine multorum veterum librorum, nominatim vero Rossi et Richardi Cluniacensis, seorsim antiquissima manu scriptam sæpe legisse" affirmat Brianus Twynus^o; et "legi in optimo manuscripto Asserii exemplari" non modo retulit Camdenus^p, sed etiam relatoris a quo hoc accepit (neque enim ipse exemplar ejusmodi unquam viderat) secutus fidem, Francofurtensi Asserii, de rebus gestis Ælfredi, editioni inserendam curavit: quod a doctissimo viro factum nollem. Nam ut exemplar penes Henricum Savilium Eboracensem aliquando extitisse demus, cui erraticum hoc fragmentum insertum fuerit (quemadmodum consimile B. Hieronymi elogium in^q principio Gennadiani catalogi descriptum, intra Marcellini comitis chronicon MS. quo usus est Cus-

^o Twyn. antiquitat. academ. Oxon. apolog. lib. 2. sec. 81.

^p Camden. in Oxfordshire. pag. 267, 268.

^q Suffrid. Petr. in edit. catalogi Hieronym. ct Gennad. pag. 124, 125. ex MS. Martiniano.

pinianus^r locum reperit:) quis optimum fuisse illud præstabit? quum antiquissimum antigraphum, si non ipsius, quod omnino videtur, Asserii, certe proximis ab eo temporibus, characteribus Saxonice exaratum, adhuc in Cottoniana bibliotheca conservetur; in quo istorum omnium neque vola extat neque vestigium.

Exemplar quidem illud, in D. Lumlæi bibliotheca a se visum, " plurimis in locis imperfectum et chartulis appenditiis recenter scriptis suffultum" fuisse, notavit Twynus. Sed quæ in chartulis illis continebantur, ex codice aliquo Asserii de rebus gestis Ælfredi haudquaquam sunt desumpta; sed ex aliis annalibus qui, quod multa ex Asserio ad verbum haberent transcripta, sicut habet etiam Florentii Wigorniensis chronicon, ipsi Asserio a recentioribus perperam sunt tributi. Ut immerito in suspicionem vocatus sit hic a Twyno Matthæus Cantuariensis archiepiscopus, quasi veritatis aut charitatis odio aliquid omisisset; quum culpandus potius fuerit, quod ex incertis illis annalibus complura editioni suæ addidisset, et cum Asserianis non satis recto iudicio commiscuisset. Nam quod ad narrationis hujus statuminandam fidem ex S. Germani vita producitur, Constantium Lugdunensem universitatis Britannicæ regionis meminisse; contra mentem authoris huc pertractum esse, ut admoneam nihil opus est: per regionis enim universitatem, non aliud quam universam regionem intellexisse illum, res ipsa loquitur. Neque paulo rarius modo, sed ne omnino quidem uspiam, universitatis nomen pro academia illo seculo usurpatum ostendi poterit; quum circa Henrici III. Anglorum regis tempora illum loquendi morem demum invaluisse, ipse Camdenus^s annotaverit.

"S. Briocus patria Anglus," Andreæ Saussaium in martyrologio Gallicano, ad diem Aprilis ultimum, hic loquentem audis, " e provincia Corticiana, nobili editus stirpe, a sancto Germano Antissiodorensi, fidem ibi disseminante orthodoxam, in Galliam abductus inque pietatis disciplinis feliciter institutus, postquam alte documenta salutis imberat, patrios ad lares rediit, parentes suos vera fide in-

^r Jo. Cuspinian. in Cassiodori Fastos consular. pag. 517.

^s Camden. ut supra.

formavit, quam circumquaque prædicans plurimum propagavit. Hinc Dominici talenti amplius multiplicandi cupidus, concessit in Armoricam; Conanum Trecorensem comitem affinem suum irradiando superno evangelicæ veritatis lumine, divino lavacro abluit: adunatisque religiosæ vitæ cultoribus cœnobium construxit, sedisque pontificalis illic crepundia cōferente Conano fundamenta collocavit; ubi a metropolita Turonensi suscepto pontificalis ordinis honore, maximo virtutum splendore præfuit annis ferme triginta. Deinde Andegavum profectus, ob rei sacræ incrementa, ibidem puram exhalavit animam." Hæc Sausaius de S. Brioco urbis Briocensis, vulgo S. Brieu, ab ejus nomine nuncupatæ in Britannia Armorica primo episcopo: quem alii non Britannum (id enim Sausaius voluit, quum patria Anglum fuisse scripsit) sed Hibernum, e territorio Corcagiensi oriundum¹; neque Germani Antissiodorensis sed Germani Parisiensis, in schola^u ipsius episcopali, discipulum fuisse tradiderunt: qua in re, quid fuerit causæ cur ab aliorum sententia is discesserit, in commentariis quos pollicetur Apodicticis ut ostendat expectamus.

In anonymo^w de ecclesiasticorum officiorum origine, noningentis abhinc annis scripto libello, Germanum et Lupum ordinem cursus Gallorum, sive Gallicanam liturgiam^x, a Johanne Cassiano et Lirinensis cœnobii patribus acceptum, in Britanniam induxisse legimus: "Beatissimus Cassianus," inquit author, "qui Lirenensi^y monasterio beatum Honoratum habuit comparem, et post ipsum beatus Honoratus primus abba, et sanctus Cæsarius episcopus, qui fuit in Arelate, et beatus Porcarius abba qui in ipso monasterio fuit, ipsum cursum decantaverunt. Qui beatum Lupum et beatum Germanum monachos in eorum monasterio habuerunt: et ipsi sub normam regulæ ipsum cursum ibidem decantaverunt. Et postea in episcopatus^z ca-

¹ Camden. in Hibernia, pag. 739.

^u Claud. Hemeræus de academia Parisiensi cap. 1. pag. 5.

^w MS. in bibliotheca Cottoniana.

^x *De cursibus ecclesiasticis unum librum condidi*: inquit Gregor. Turonens. hist. lib. 10. cap. ult.

^y *In Lirinensi.*

^z *episcopatu cathedram.*

thetra summi honoris, pro reverentia sanctitatis eorum, sunt adepti: et postea in Britanniis vel Scotiis prædicaverunt, quæ vita beati Germani episcopi Antisiodorensis et vita beati Lupi adfirmat.”

Primus Lirinensis cœnobii abbas fuit Honoratus: a quo et hodie locus insulæ S. Honorati nomen retinet. Sub eo Lupum nostrum, una cum fratre germano Vincentio et qui sororem illius in uxorem duxerat Hilario, monasticam vitam professum fuisse jam^a diximus. Cassianum enim et Germanum, licet eodem tempore vixerint, Lirinenses fuisse monachos alibi nusquam legimus: et de Germano repugnat Constantius, qui illum ex Antissiodorensis civitatis præfecto, Antissiodorensis ecclesiæ presbyterum et mox episcopum ordinatum fuisse confirmat. Unde Gabriel Pennottus^b Germanum *nec ante episcopatum, nec postea, vitam monasticam professum fuisse* concludit. Sub finem anni CCCXXVI. Honorato in Lirinensis cœnobii præfectura Maximus, eidemque sub initium anni CCCXXIX. defuncto in Arelatensi archiepiscopatu successor datus est Hilarius. Circa idem etiam tempus evecto ad Reicensem episcopatum Maximo, in Lirinensis monasterii regimine successisse Faustum, ex scriptore vitæ S. Caprasii colligimus: qui transiisse eum ait, “*ex hac vita die Calendarum Juniarum, in sacra Lerinensi insula, circa annos humanæ redemptionis triginta supra quadringentos;*” præsentibus Fausto, Theodoro, Maximo, et Hilario: quo tempore Faustum^d presbyterum fuisse et abbatem, reliquos episcopali dignitate decoratos, Honoratus Massiliensis in vita Hilarii Arelatensis clare confirmat. Post Faustum Lirinensis abbas fuit Porcarius: a quo Cæsarium, post annum Christi quingentesimum ad Arelatensem cathedram adscitum, monasticis disciplinis Lirini fuisse institutum, ostendit in hujus vita discipulus ipsius Cyprianus^e.

Istâ curiosius a nobis temporibus sunt distincta, partim

^a Pag. 175.

^b Pennot. hist. clericor. canonicor. lib. 2. cap. 35. sec. 4.

^c Vincent. Barral. chronolog. Lerinens. part. 1. pag. 193.

^d Ibid. pag. 108.

^e Ibid. pag. 230.

ut anonymi scriptoris locus lumen inde acciperet, neque ex eo aliquis Germanum ac Lupum a Porcario et Cæsario in Britanniam missos fuisse suspicaretur; partim etiam ut Semipelagianismi hoc tempore emergentis origo plenius intelligeretur. Nam dum Gallicani antistites in vicina Britannia Pelagianismi flammam extinguere laborabant, e mediis ipsorum visceribus erupit nova Semipelagianorum progenies, qui crassioribus aliquot Pelagii erroribus repudiatis, in reliquis contra Augustinum ejus partes defendendas susceperunt: de quibus, qui orienti tum malo strenue se opposuit, Prosper Aquitanicus^f:

Quid prodest verbis commentum Pelagianum
Respuere et sola damnatos plectere voce:
Cum, paucis squalida sublatis de cute nervis,
Intima viperei foveantur viscera sensus?
O bene quod diri erroris malus ille magister
Nullo prælevit lethalia pocula melle;
Sed non ambigua infectum feritate venenum
Protulit, et gustu virus detexit amaro.
Nam si argumenti primordia non onerasset
His, quæ discipuli dempserunt callidiores;
Innumeras dubio cepisset plasmate mentes.

Sed et “in istis (ut appellat) Pelagianæ pravitatis reliquiis, non mediocrem virulentiae fibræ nutriri,” in epistola ad B. Augustinum hoc tempore de eis scripta, confirmat idem: in qua et primarium locum, e quo scaturigo illa emanavit, designat quum ait, “Multi^g servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant patrum opinioni et ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti:” et tempus etiam, quum postea addit, “Nam unum eorum præcipuæ autoritatis et spiritalium studiorum virum, sanctum Hilarium Arelatensem episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ; et de hoc, quod in querelam trahit, jampridem apud sanctitatem tuam sensum suum per literas velle conferre;” quem locum viri docti

^f Prosp. de Ingratis, cap. 38.

^g Vid. Theophili Raynaudi Defens. Valeriani, cap. 4. sec. 18.

frustra sollicitant; et codicum autoritate destituti, ex conjectura conantur emendare, eaque non una, sed varia atque multiplici. Episcopi enim nomen tollit hinc Baronius^h, et Hilarium Arelatensem tantum legit. Alii vel Hilarium simpliciter legendum putant, quum neque patriæ, neque commorationis neque officii ratione Arelatensis ille dici potuerit, priusquam civitatis illius factus fuisset episcopus, vel pro Arelatensis substituendum esse Narbonensis vocabulum (ut intelligatur Hilarius ille Narbonensis, ad quem octava Zosimi et tertia Bonifacii I. epistola scripta est) vel pro Hilario denique reponendum esse Honoratum, proximum illius in Arelatensi archiepiscopatu antecessorem: quomodo in commentariis epistolarum Pauli ad Timotheum legit Claudius Espensæus.

Vulgatam vero lectionem sine dubio corruptam esse asserit clarissimus Vossius^l: sed admodum dubiis ad hoc inductus argumentis. Primum, quod Prosperi “epistola illa exarata sit anno CCCCXXVI. Hilarius autem aliquot demum annis post Arelatensis episcopus factus sit.” At probandum primo fuerat, non sumendum pro certo atque concesso; dicto illo anno exaratam fuisse a Prospero hanc epistolam. Nam quod a Baronio^k huc affertur, de absolutis duobus retractationum libris priusquam acceptæ ab Augustino fuissent istæ literæ, opinionem hanc convellit potius quam confirmat. Præterea, inquit vir doctissimus, “Augustinus Prosperum et Hilarium vocat filios dilectissimos. At qui scriberent ad coepiscopos, eos fratres solent appellare. Saltem Prosperum nondum fuisse episcopum, omnes consentiunt. Quocirca si Hilarius summi sacerdotii honore fuisset ornatus, Prospero absque dubio præponeretur. Nunc contra factum videmus, et ab Augustino libro de prædestinatione, et a Celestino epistola ad Gallos.”

Et quidem ex eo quod, tum a Celestino tum ab Augustino filius appelletur, non frater, et Prospero ab utroque postponatur, colligi posse facile concedimus, Hilarium illum qui ad Augustinum scripsit, et Augustini causam apud

^h Baron. ann. 426. sec. 20.

^l Voss. histor. Pelagian. lib. 6. thes. 14.

^k Baron. ann. 426. sec. 19.

Celestinum egit, episcopum non fuisse. Imo laicum fuisse potius, illa epistolæ ipsius verba subindicare videantur. “Sunt ex parte tales personæ, ut his consuetudine ecclesiastica laicos summam reverentiam necesse sit exhibere.” Verum nos hoc ad Hilarium illum trahendum pernegamus, cujus Prosper in sua meminit epistola. Neque enim id ullo modo concedendum putamus Baronio¹, unum et eundem Hilarium utrobique intelligi; illumque ipsum ad Augustinum de Pelagianæ hæreseos reliquiis scripsisse epistolam, qui postea Arelatensis creatus sit episcopus. Nam ut de tempore quo scripta fuit hæc epistola nihil nunc dicamus; quum post mortem Augustini idem Hilarius Romæ causam illius coram Celestino tutatus est, alterum Hilarium Arelatensem cathedram possedissee, ex annorum episcopatus illius calculo planum efficitur. Deinde noster hic Hilarius Augustini se discipulum fuisse profitetur. Arelatensem vero illum, non Augustini sed Honorati fuisse alumnum, nemo dubitaverit, qui vel Honoratum Massiliensem in vita Hilarii, vel ipsum etiam Hilarium in vita Honorati Arelatensis magistri sui perlegerit. Denique Arelatensem illum suum inter eos qui in doctrina de prædestinatione ab Augustino dissenserunt annumerat Prosper; quum alter ille ad Augustinum scribens, a partibus illius hic se stetisse protestatus fuerit, easdemque illo jam mortuo apud Celestinum contra adversantes istos una cum Prospero graviter defenderit. “Nolo,” inquit ille ad Augustinum, “Sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de iis quæ nunc edidisti ego dubitem. Sufficiat mihi poena mea, quod a præsentia tuæ deliciis exulatus, ubi salubrius tuis uberibus nutriebar, non solum absentia tua crucior, verumetiam pervicacia quorundam, qui non tantum manifesta respuunt, sed etiam non intellecta reprehendunt. Cæterum hac suspitione in tantum careo, ut potius infirmitatem meam, qua tales parum patienter fero, notabilem putem.”

Atqui id certum esse objectat Johannes Latius^m, “ne-

¹ Baron. ann. 426. sec. 20. et in Martyrolog. Romau. Mai. 5. vid. Theophili Raynaudi defensionem Valeriani, cap. 4. sec. 2.

^m Jo. Latii histor. Pelagian. lib. 2. cap. 3. pag. 130.

minem tum fuisse eo nomine episcopum Arelatensem. Nam Herote expulso, Arelatensem sedem occupavit Patroclus, qui demum anno CCCCXVII. occisus est; cui successit Honoratus, et aliquanto post Hilarius: ita ut superstite Augustino nullus hoc nomine repèriatur Arelatensis episcopus." Verum enimvero, si aliquanto post annum CCCCXVII. Honorato in Arelatensi cathedra successit Hilarius, colligendum potius fuerat, superstite adhuc Augustino Arelatensem episcopatum obtinuisse Hilarium. Honoratum sane brevi tempore Arelatensibus præfuisse, in ejus vita diserte testatus est ipse Hilarius: illudque tempus biennii spatio, in Hilarii vita, circumscribit Honoratus Massiliensis. E vita excessisse illum decimo sexto die Januarii, ex Petro Equilinoⁿ et martyrologiis liquet: ineunte, ut jam ostendimus, Christianæ nostræ epochæ anno CCCXXIX. Inde ad vicesimum octavum, qui supremus Augustino fuit, Augusti diem supra integrum annum numerantur menses septem, et dies duodecim. Sic igitur, quæ ante triennium inter Massilienses suos zizania sparserat Johannes Cassianus, in eodem illo agro adolescere jam cœperunt: autoritatis suæ umbram illis exhibente Hilario ad Arelatensem, et Maximo ad Reiemensem episcopatum nuper promoti. Quo Prosperi illud referendum, in dicta ad Augustinum epistola: "Possumus quidem ad non credendum esse constantes, sed ad autoritatem talia sentientium non sumus pares: quia multum nos et vitæ meritis antecellunt, et aliqui eorum adepto NUPER summi sacerdotii honore supereminent." Neque otiosus hic etiam fuisse putandus est Faustus Britannus, Lirinen-sis tum abbas, postea dux factus totius Semipelagianorum exercitus: de quo in tertio decimo capite plenius videbimus.

Horum doctrinæ capita^o, in literis^p ad Augustinum hac de re scriptis, recensent Prosper et Hilarius: .cujus summa huc redit; "Quantum ad Deum pertinet, omnibus pa-

ⁿ Petr. de natalib. lib. 2. cap. 86.

^o Vid. Johan. Latii histor. Pclagian. lib. 2. cap. 2. et Theophili Raynaudi defensionem Valeriani, cap. 4.

^p Tomo 10. oper. Augustini, pag. 779, 783. et in Georgii Cassandri operib. pag. 640. et 645.

ratam vitam æternam, quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi qui sponte Deo crediderint, et auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint." Quare autem a priore sententia, "quam^q a præceptoribus hauserant, et magistri eorum in Ecclesia invenerant," hic discesserint; rationem hanc Prosper subjicit: "In istam vero talis gratiæ prædicationem hi, quorum contradictione offendimur, cum prius meliora sentirent, ideo se vel maxime contulerunt: quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, et ab ipsa ut possint esse donari, necessitate concederent, Deum secundum propositum et consilium voluntatis suæ, occulto judicio et opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam; quia nemo nisi per gratiam justificetur, et nemo nisi in prævaricatione nascatur. Sed refugiunt istud fateri, divinoque ascribere operi sanctorum merita formidant; nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum, nec augeri posse, nec minui: ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant; ac superflua sit industriæ ac laboris indictio, cujus studium cessante^r electione frustrandum sit. Ita demum enim posse unumquemque ad correctionem, aut ad profectum vocari; si se sciat sua diligentia bonum esse posse, et libertatem suam ab hoc Dei auxilio juvandam, si quod Deus mandat, elegerit. Ac sic, cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, et hominis obedientia: priorem volunt obedientiam esse, quam gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat; et voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem."

Acceptis Prosperi et Hilarii literis respondit Augustinus, editis de prædestinatione sanctorum, et de bono vel potius dono perseverantiæ, libris duobus: quos ut "admirandos" commendat Baronius, "inspiranteque^t divino spi-

^q Voss. histor. Pelagian. lib. 4. part. 2. pag. 433.

^r Al. *cassante*.

^t Baron. in martyrolog. Roman. Mai. 5.

¹ Id. ad. ann. 426. sec. 21.

ritu" conscriptos. "Divinos plane libros" vocat Theophilus Raynaudus^u: "quos D. Augustini cygneas voces et testamentum jure quis dixerit." Eisdem etiam Romanus pontifex Hormisda, in fine^w epistolæ ad Possessorem, "Romanam^x testatur suscipere Ecclesiam: et quid de gratia Dei, et libero humano arbitrio, eadem teneat et servet Ecclesia, ex ipsis libris abunde posse sciri asserit." Et tamen Massiliensibus egregium illud opus adeo non satisfacit, ut quindecim, quæ habemus, objectionum excerpta inde capitula, ipso Augustino adhuc vivente, ad doctrinam illius infamandam divulgaverint. Qua de re ad Monimum ita scribit Fulgentius^z: "Non ignoras præterito tempore illi luculentissimo sancti Augustini operi, quod scripsit de prædestinatione sanctorum, a quibusdam Gallis objectum, quod beatus Augustinus in assertione prædestinationis divinæ peccatores non ad solum prædestinatos diceret judicium, sed etiam ad peccatum: cujus dicta, quia ipse celeri præventus est obitu, Prosper vir eruditus et sanctus recta defendit fide et copioso sermone."

Post novum etiam exortum hoc dogma repertus est alius; quem, nescio quid scripti polemici doctissimo seni minitantem, hisce elegis idem Prosper hoc tempore castigavit:

Contra Augustinum narratur serpere quidam
 Scriptor, quem dudum livor adussit edax:
 Qui caput, obscuris conlectum utcunque cavernis,
 Tollere humo miserum perpulit anguiculum.
 Aut^u hunc fruge sua æquorei pavere Britanni;
 Aut huic Campano gramine corda tument.
 Quæ concepta fovet, promat; quæ parturit, edat:
 Seu vetere armatur dogmate, sive novo.
 In quoscunque sinus spirarum torqueat orbes,
 Et fallax multa contegat arte caput:
 Currentem attritos super aspidas et basiliscos
 Declinare senem vipera non poterit.

^u Raynaud. Defens. Valerian. cap. 4. sec. 18.

^w Epistol. Decretal. tom. 1. part. 2. pag. 540. edit. Roman. an. 1591.

^x Jo. Maxentius, in respons. ad epistol. Hormisdæ.

^y Vid. infra cap. 12. pag. 421.

^z Lib. 1. cap. 30.

^a Vid. supr. cap. 8. pag. 252.

ITEM IN EUNDEM.

Quidam doctiloqui libros senis Augustini
 Carpere, et adversum condere fertur opus.
 Usque adeone bonum ingenium, et facundia dives,
 Ostentare artem non aliter potuit ;
 In nova prostratas acies nisi bella cieret,
 Impiaque extinctis hostibus arma daret ?
 Hæc pugna, inceptor, mors est tua : te stylus iste
 Conficit, et verbis perderis ipse tuis.
 Dumque doces quantum valeat mens libera, monstras
 Velle tuum tibi met sufficere ut pereas.
 Verte gradum, fuge perniciem : stratosque rebelles
 Oris apostolici fulmine ubique vide.
 Nec te mutato defendi nomine credas :
 Si pastorem ovium lædere vis, lupus es.

His addidit et Prosper epistolam de gratia et libero arbitrio, Augustino etiamnum superstite, ad Rufinum scriptam: qua virum sanctum a Semipelagianorum vindicat calumniis, " eum liberum arbitrium penitus submovere, et sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem," imo et " duas illum humani generis massas et duas credi velle naturas," indigne clamitantium. " Sed prorsus nihil apud nos tale audierunt," inquit ille, " nihil tale legerunt: quia non fato quicquam geri, sed omnia Dei iudicio novimus ordinari. Nec ex duabus massis, duabusve naturis, sed ex una massa, quæ est caro primi hominis, unam scimus omnium hominum creatam crearique naturam: et eandem per ipsius primi liberum arbitrium, in quo omnes peccaverunt, esse prostratam; nec ullo modo ab æternæ mortis debito liberam, nisi eam ad imaginem Dei secundæ creationis Christi gratia reformaverit, liberumque ejus arbitrium agendo, spirando, auxiliando, et usque in finem præeundo servaverit." Sed quæ de prostrata Pelagiana hæresi, et egregia hic Ecclesiæ a B. Augustino navata opera, in hac leguntur epistola, quæ a nobis etiam diligentius attendantur sunt dignissima: " Has versutias, quibus se filii tenebrarum in similitudinem filiorum lucis transfigurare voluerunt, cum et orientalium episcoporum iudicia, et apostolicæ

sedis autoritas, et Africanorum conciliorum vigilantia deprehenderit; beatissimus quoque Augustinus præcipua utique in hoc tempore portio Domini sacerdotum, copiose et pulchre in multis voluminum disputationibus destruxit: utpote inter multa Dei dona, quibus illum abundantissime spiritus veritatis implevit, habens etiam hanc scientiæ et sapientiæ ex Dei charitate virtutem, ut non solum istam adhuc in suis detruncationibus palpitantem, sed etiam multas prius hæreses invicto verbi gladio debellaret. Cui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, ad illuminationem Ecclesiæ et ad gloriam Christi, qua ipse illustratus est, perfulgenti quidam nostrorum (quod de ipsis multum dolendum est) occultis, sed non incognitis, susurrationibus obloquuntur; et, prout sibi noxias aliquorum aures opportunasque repererint, scripta ejus quibus error Pelagianorum impugnatur infamant: quos tamen novos censores novisse ait, "non solum Romanam Africanamque ecclesiam, et per omnes mundi partes universos promissionis filios cum doctrina hujus viri, sicut in tota fide, in gratiæ confessione congruere: sed etiam in ipsis his locis, in quibus adversus eum querimonia concitatur, esse propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem evangelicæ apostolicæque doctrinæ saluberrimis ejus disputationibus imbuuntur, et quotidie in membris corporis Christi, in quantum ea ipse multiplicat, dilatantur."

Neque hic doctissimi Vossii de ista controversia iudicium silentio prætermittendum arbitror: "Nempe celeberrimi quique," inquit ille^b, "occidentalis ecclesiæ doctores sequebantur Augustinum et Prosperum: cujus de gratia et libero arbitrio prædestinationeque divina, doctrinam ipse etiam sequor, et probo. Ut omnino sententiam meam haud satis assequantur, siqui existimare me arbitrentur, postremæ Augustini sententiæ, qua prædestinationem fide et perseverentiâ priorem facit, tanquam impiæ, vel etiam falsæ, obduci posse ea, quæ ante septennium in opere de controversiis a Pelagio et Massiliensibus excitatis, de pri-

^b Voss. de historicis Latin. lib. 2. cap. 17.

ori Augustini sententia retuli; vel etiam, quæ adduxi ex libris, seu Latinorum, seu Græcorum patrum, qui scripserant ante Pelagii hæresin exortam. Nec enim, iudicio meo, B. Augustinus prioribus patribus repugnat: sed quod de prædestinatione priores fere patres præteribant, hoc addit; atque ubi illi de gratia essent incautius locuti, hoc explicat.”

Dum ista in occidente molirentur Semipelagiani novi; Theodosium imperatorem in oriente sollicitarunt Pelagiani veteres: de quibus in epistola ad Celestinum Romanum episcopum, hæresiarcha Nestorius: “Julianus^c quidam, et Florus, et Orontius, et Fabius, dicentes se occidentaliū partium episcopos, sæpe et piissimum et prædicatissimum imperatorem adierunt, ac suas causas defleverunt, tanquam orthodoxi temporibus orthodoxis persecutionem passi: sæpe eadem et apud nos lamentantes, ac sæpe reiecti, eadem facere non desierunt; sed insistunt per dies singulos, implentes aures omnium vocibus lacrymosis. His quidem ad eos sermonibus, quibus oportuit, usi sumus, cum negotiū eorum veram fidem nesciremus. Sed quoniam apertiore nobis de causis eorum notitia opus est, ne piissimus et Christianissimus imperator noster molestiam sæpe ab his sustineat; ne nos, ignorantes eorum causas, circa negotiū defensionem dividamur: dignare nobis notitiam de his largiri; ne vel quidam ignorando justitiam veritatis, importuna miseratione conturbentur; vel canonicam indignationem beatitudinis tuæ, quæ contra eos pro sectis religionis forte probata^d est, aliud quiddam quam hoc æstiment.”

Idem quoque in aliis ad Celestinum literis ab eodem Nestorio ita inculcatum invenimus: “Sæpe^e scripsi beatitudini tuæ propter Julianum, Orontium, et cæteros, qui sibi usurpant episcopalem dignitatem, et creberrimam aditionem apud piissimum et prædicatissimum imperatorem faciunt, nosque concidunt frequentibus lamentationibus; tanquam temporibus orthodoxis de occidente pro-

^c Act. Concil. Ephesin. part. 1. cap. 16. pag. 275. edit. Roman. ann. 1608. pag. 133. edit. Colon. ann. 1618.

^d *Prolata.*

^e *Ibid.* cap. 17. pag. 275, 276. edit. Roman. 134. Coloniens.

jecti. At hucusque scripta de his a tua veneratione non suscipimus : quæ si haberem, possem eis respondere, daremque compendiosum responsum luctibus eorum. Nunc enim ab incertis dictis eorum non habet quis ad quod se convertat : aliis hæreticos eos vocantibus, et idco de occidentalibus partibus projectos esse dicentibus ; ipsis vero jurantibus calumniam se sustinuisse, et periculum pro orthodoxa fide ex subreptione perpressos. Quorum utrum certum sit, nobis gravis est ignorantia. Nam condolere eis, si vere hæretici sunt, crimen est : et iterum non condolere, si calumniam sustinent, durum et impium est. Dignetur igitur amantissima Dei anima tua informare nos, qui ad utrumque momentum hucusque dividimur, id est, et ad odium, et ad miserationem eorum. Doceri autem volumus, quam de his sententiam teneamus : detinemus enim eosdem viros per dies singulos dissimulantes spe et expectatione beatitudinis tuæ."

Sic vero hac de re rescripsit Celestinus : " Hæreticos^f, de quibus nos, velut eorum quæ gesta sunt nescius, consulere voluisti, sedibus suis, injusta dicentes, expulit justa damnatio. Quos illic invenisse requiem, non putamus esse mirandum. Invenerunt enim impiam prædicationem, cujus comparatione se æstiment innocentes. Hoc loco, quia opportunitas sermonis exposcit, tacere non possumus, quod stupemus. Legimus quam bene teneas originale peccatum ; qualiter ipsam naturam asseris debitoricem, et eum debitum merito reddere, qui descendit de genere debitoris. Quid tecum faciunt, qui sunt hæc negando damnati ? Nunquam sine suspicione, ea quæ sibi sunt adversa, conveniunt. Ejicerentur denique, si tibi quoque similiter displicerent. Cur tamen ea quæ in hos tunc sunt acta, quæruntur ; cum certum sit, illinc ad nos a Catholico tunc antistite Attico gesta directa ? Cur non sanctæ memoriæ Sisinnius ista quæsivit ? quia utique sub decessore suo probaverat eos jure damnatos. Defleant infelices, spe se hominum fuisse deceptos, quibus jam potuit propter communionem sola pœnitentia subvenire. Ecce

^f Act. concil. Ephesin. part. 1. cap. 18. pag. 280. edit. Roman. 137. Colonienis.

scire de his incipis, si qua ante nescivisti. Causam tuam magis modo, quam aliorum, Catholica et festina deliberatione curato: quia convenienter dicimus; *Medice^g, cura teipsum, qui aliis desideras subvenire.*"

Hæc ille, in epistola scripta anno CCCCXXX. tertio Idus Augusti, Theodosio XIII. et Valentiniano III. Augustis consulibus. Indeque de Nestorio Johannes Cassianus; Semipelagianorum quidem coryphæus, sed Pelagianorum, uti videri volebat, maximus adversarius: "Hinc^h illud est, quod intercessionibus suis Pelagianistarum querelas fovet, et scriptis suis causas illorum adserit; quod subtiliter his vel, ut verius dixerim, subdole patrocinator, et consanguineæ sibi improbitati improbo suffragatur affectu: sciens scilicet ejusdem se esse sensus, ejusdem spiritus; et ideo dolens cognatam sibi hæresim ab Ecclesia esse disjunctam, quam scit sibi utique perversitate conjunctam."

Interea divinæ gratiæ adversus utrosque, et Pelagianos et Semipelagianos, assertor ille invictus, beatissimus Augustinus diem suum obiit: "qui spiritu divino," ut Didacus Alvarezⁱ inquit, "potius quam humana industria, et Pelagianorum et Semipelagianorum errorem penetravit, detexit, impugnavit, expugnavit."

— quem Christi gratia cornu
 Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo,
 Accensum vero de lumine, nam cibus illi,
 Et vita, et requies, Deus est: omnisque voluptas
 Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi.
 Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
 Omnia: et in sancto regnat sapientia templo.

quemadmodum de ipso, in libro de ingratis, Prosper cecinit.

Catholicæ de gratia ab eo traditæ doctrinæ summam hanc omnibus commendat Fulgentius; apposito tanto pontifice dignissimo elogio: "Omnes^k, qui vitæ desiderant fieri

^g Luc. cap. 4. ver. 23.

^h Cassian. de incarnat. Christi, lib. 1. cap. 3.

ⁱ Alvarez de auxiliis, lib. 1. disput. 2. sec. 2.

^k Fulgent. de veritat. prædestinat. lib. 2.

æternæ participes, oportet sanctorum patrum divinitus inspiratis informari et adhærere sententiis; qui gratiæ divinæ sic illuminati sunt dono, ut indubitanter assererent in hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oboriri, nisi quod beneficio gratiæ prævenientis infunditur, nihil in melius augeri, nisi quod subsequenti juvamine roboratur, nihil bene consummari, nisi quod eadem operante, atque opitulante perficitur. Hæc itaque Catholicorum patrum apostolicis institutionibus tradita permanet in ecclesiis sine aliqua dubitatione doctrina; quam Græci Latiniq̄ pontifices, sancti spiritus infusione firmati, uno atque indisonabili semper tenuere consensu. In qua B. Augustinus, indutus virtute ex alto, abundantius illis omnibus laboravit: non¹ autem ipse, sed gratia Dei cum illo."

"Ipsius ministerio Dominus uberiorem hujus rei fidelibus suis instructionem præbuit. Quippe adhuc ipso in corpore constituto Pelagiana hæresis adversus gratiam Dei mortiferis ausibus rebellavit. Nec defuit in vita benignitas miserantis Dei, quæ militem suum spiritalis gratiæ armis tanto fortius præcingeret, quanto acrius adversus eandem vasa iræ Diabolus instigaret. Proinde memoratus Dei pontifex turrim fortitudinis ipsam gratiam tenens, et exinde cuncta hostilium machinamenta telorum cœlestis juvaminis virtute confringens, non solum ipse de hoste victoriam referens triumphavit; quin etiam posteris certandi et vincendi ordinem, si quando victa pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit. Sensum quippe Christi habens, tam gratiæ Dei, quam humani arbitrii, et officia discrevit et merita; semper divinis humana subjiciens, et veraciter docens, divinitus homini, et gratuito justificationis donum, et bonæ voluntatis exordium, et plenum tribui glorificationis effectum. Hunc legat omnis, qui salutem æternam adipisci desiderat: humiliter orans misericordiæ Dominum; ut eundem spiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit ut scriberet, et eandem illuminationis gratiam adipiscatur ut discat, quam ille adeptus est ut doceret."

¹ 1 Corinth. cap. 15. ver. 10.

Hujus sanctissimi pontificis obitum ad jam dictum annum, duorum Augustorum consulatu insignitum, ita refert Prosper in chronico; “ Augustinus episcopus per omnia excellentissimus moritur quinto Calendas Septembris; libris Juliani inter impetus obsidentium Vandalorum in ipso dierum suorum fine respondens, et gloriose in defensione Christianæ gratiæ perseverans.” E vita autem excessisse, priusquam Theodosii imperatoris ad eum pervenissent literæ, quibus ad œcumenicum concilium in causa Nestorii indictum accersebatur, ostendit Liberatus^m diaconus: “ Scripsit imperator,” inquit ille, “ et beato Augustino Hipponensi episcopo per Ebagnium Magistrinum, ut ipsi concilio præstaret sui præsentiam. Qui Ebagnius veniens Carthaginem magnam, audivit a Capreolo ipsius urbis antistite, B. Augustinum ex hoc mundo migrasse ad Dominum: acceptisque ab eo ad imperatorem literis, loquentibus de obitu B. Augustini, Constantino-polim, unde venerat, rediit:” et ipse Capreolus in epistolaⁿ ad synodum, “ Domini et filii nostri religiosissimi Theodosii imperatoris literæ ad manus nostras perlatae, ejusmodi erant, quæ beatæ memoriæ fratris et coepiscopi nostri Augustini præsentiam peculiari ratione efflagitabant. Verum cum eæ literæ illum jam tum e vivis excessisse comperissent; ego regiam illam significationem, licet ad prædictum Augustinum præcipue destinata videretur, excipiens, missis ad universas Africæ provincias congruis literis consuetisque sermonibus, synodum cogere volui convenientem: quo nimirum ex fratrum et episcoporum nostrorum numero seligerentur, qui ad venerabilem beatitudinis vestræ synodum destinarentur.”

Imperatoris literas ante dies paschales ad se perlatas non fuisse refert ibidem Capreolus: post mortem scilicet Augustini prope jam octo, ante cœptam vero universalem synodum vix duorum mensium elapso spatio. Anno enim CCCXXXI. quo consulatum gesserunt Bassus et Antio-

^m Liberat. Breviar. cap. 5.

ⁿ Act. concil. Ephesin. Græco-latin. tom. 1. concil. part. 2. pag. 203. edit. Colon. ann. 1618.

chus, die vigesimo secundo Junii in urbe Ephesina, cujus eo tempore episcopus fuit Memnon, convenerunt patres ducenti et decem Cyrillo patriarcha Alexandrino præsidente. Quinto post die eo adveniens Antiochenus patriarcha Johannes, conciliabulum suorum coegit: quod tum quidem episcoporum quadraginta et trium^o; postea vero, quibusdam^p paulatim inde sese subducentibus et ad œcumenicæ synodi partes transeuntibus, triginta et septem paulo plurium, et tandem triginta circiter numero constabat: inter quos et Julianus^q recensetur; non Campanus quidem ille, Pelagianorum pugil, ut Claudio Menardo visum, sed Larissæus^r episcopus. Eorum plerosque tamen cum Juliano Campano sensisse, et Pelagiana Celestianaque hæresi infectos fuisse, non solum Cyrillus in apologetico^s ad Theodosium, sed etiam tota synodus œcumenica cum alibi^t sæpius confirmat, tum in relatione ad imperatores transmissa ita rem concludens: “*Ἀποπονὺ γὰρ συνόδου διακοσίων δέκα ἐπισκόπων, οἷς καὶ πᾶν τὸ πλῆθος τῆς δύσεως τῶν ἀγίων ἐπισκόπων συνεψηφίσατο καὶ δι’ αὐτῶν ἅπαν τὸ λοιπὸν τῆς οἰκουμένης, τριάκοντα μόνους ἀντιμάχεται: ὧν οἱ μὲν ἤδη πάσαι καθηρημένοι τυγχάνουσιν, οἱ δὲ καὶ τῆς τοῦ Κεληστίου κακοδοξίας εἰσὶν, οἱ δὲ καὶ ἀνεθεματίσθησαν ὡς τὰ Νεστορίου φρονήσαντες.* Perabsurdum enim est, ducentorum et decem episcoporum synodo, quibus et universa occidentalium sanctorum episcoporum multitudo et per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta tantum numero sese opponere: quorum alii quidem jam pridem depositi, alii etiam pravæ Celestii doctrinæ sectatores, quidam etiam, ut qui cum Nestorio sentiant, anathemati subditi sunt.”

In hac pseudo-synodo inter alia Celestiana sive Pelagiana dogmata, et illud definitum est: “*de^v Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod Diabolus in cor*

^o Act. concil. Ephesin. Græco-latin. tom. 1. concil. part. 2. pag. 227.

^p Ibid. pag. 288.

^q Ibid. pag. 289, et 307.

^r Ibid. pag. 227.

^s Ibid. pag. 403.

^t Ibid. pag. 253, 288, 292, 302, 303, 307.

^u Ibid. pag. 251.

^v Gregor. I. Regist. lib. 7. epist. 34. op. tom. 2. pag. 883. vid. et lib. 6. epist. 14. pag. 802.

hominis non ingrediatur; et si quis hoc dixisset, anathema esset:” de quo Gregorius I. in epistola ad Anastasium patriarcham Antiochenum, “ Quia^x quidam illam Ephesinam primam synodum in eadem urbe existimant, quæ quondam ab hæreticis traditur esse composita; omnino necesse est ut charitas vestra eandem synodum apud sanctam Alexandrinam atque Antiochenam ecclesiam requirat, et qualiter in veritate habeat, inveniat. Vel, si placet, hinc dirigemus quæ ab antiquitate servata in scripsiis habemus. Illa enim synodus, quæ sub primæ Ephesinæ imagine facta est, quædam in se oblata capitula asserit approbata, quæ sunt Celestii atque Pelagii prædicamenta. Et cum Celestius atque Pelagius in ea synodo sint damnati; quomodo poterant illa capitula recipi, quorum damnabantur authores?”

Nimirum conciliabulum istud œcumenici concilii auctoritatem sibi arrogavit, et pios etiam imperatores eodem quo habitum est tempore in ejusdemmodi errorem induxit: de qua injuria, in relatione^y ad eos missa, ita tum conquesti sunt veræ synodi venerandi patres: “ Κακείνο δὲ οὐ μικρῶς ἡμᾶς ἔθλιψεν, ἐκ συναρπάγῃς γένεσθαι φαινόμενον, τὸ τοὺς ἀποστατήσαντας ἀπὸ τῆς οἰκουμένης συνόδου, τοὺς περὶ Ἰωάννην τὸν Ἀντιοχείας, καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ Κελεσιτιανοὺς καθηρημένους, τοῖς ἡμετέροις ἐντάξει ὀνόμασι, καὶ μίαν πρὸς ἡμᾶς κἀκείνους σάκρον διαπέμψασθαι. Illud non mediocriter nos afflixit (quod ipsum quoque non absque fraudulenta subreptione factam apparet) illos qui ab œcumenica synodo desciverunt, Joannem Antiochenæ ecclesiæ episcopum, et Celestianos qui cum eo sunt, jam damnatos, inter nostra nomina insertos fuisse; unamque ad nos et illos sacram missam esse.”

Pelagiana autem illa decreta in Ephesina pseudo-synodo sancita fuisse videntur, postquam Johannes Antiochenus^z et septem ejus sodales, inter quos erat et Theodoretus Cyri episcopus, inde Constantinopolim, communem causam apud imperatorem acturi, fuissent missi. Hi enim

^x Gregor. I. regist. lib. 9. epist. 49. pag. 963.

^y Act. concil. Ephesin. Græco-latin. pag. 292. edit. Colon.

^z Ibid. pag. 278.

a tutanda Pelagiana factione adeo videri volebant alieni, ut in epistola^a ad Rufum Thessalonicensem præsulē, ob hoc ipsum accusare Cyrillum et Memnonem, atque in ipsis reliquos œcumenici concilii patres, non sint veriti; quod eadem sentientes cum Celestio et Pelagio in communionem recepissent: quum tamen illi cognatam istam Nestorianæ hæresim ita fuerint detestati, ut Cyrillus quidem et Memnon in plena synodo eos^b qui Celestii vel Pelagii placita sequerentur anathematizaverint; tota vero synodus in epistola encyclica ad universos fideles, hanc rationem reddiderit quare ipsius hujus conciliabuli episcopos communi decreto ab omni ecclesiastico communione alienos esse statueret: quandoquidem “cum primis^c Nestorii et Celestii sequi sententias manifeste ex eo sunt deprehensi, quod Nestorium condemnare noluerunt. Πρὸ πάντων μὲν τὰ Νεστορίου καὶ τὰ Κελεστίου φρονήματα ἐπιφερόμενοι σαφέστατα ἀπεδείχθησαν, ἐκ τοῦ μὴ εἶσθαι μεθ’ ἡμῶν Νεστορίου καταψηφίσασθαι:” quasi qui Nestorium non odisset, neque a Celestio animo alieno esse potuisset.

Adjecti sunt ab œcumenicæ synodi patribus et alii duo^d hac de re canones: prior ad metropolitans pertinens: “Εἴ τις ὁ μητροπολίτης τῆς ἐπαρχίας, ἀποστατήσας τῆς ἀγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου προσέθετο τῷ τῆς ἀποστασίας συνεδρίῳ ἢ μετὰ τοῦτο προστεθείη, ἢ τὰ Κελεστίου ἐφρόνησεν ἢ φρονήσῃ, οὗτος κατὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων διαπράττεισθαί τι οὐδαμῶς δύναται, πάσης ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἐντεῦθεν ἤδη ὑπὸ τῆς συνόδου ἐκβεβλημένος, καὶ ἀνεέργητος ὑπάρχων. Si quispiam metropolitans provincię, derelicta sancta et œcumenica synodo, aut accessit ad illorum defectionis consessum aut accedet in posterum, sive cum Celestio sensit aut sentiet; ipse nihil amplius poterit agere adversus provincię episcopos, ut qui jam inde a synodo totius ecclesiasticę communionis expers sit factus, et pror-

^a Act. concil. Ephesin. Græco-latin. pag. 285.

^b Ibid. pag. 247.

^c Ibid. pag. 307.

^d Ibid. pag. 307, 308. et in codice canonum orientalis Ecclesię a Jo. Tilio Paris. ann. 1540. edit. fol. 27. et codice canonum Ecclesię universę, a Justello ibid. ann. 1610. edit. pag. 96, 98.

sus ad functiones inhabilis:" Posterior ad omnes spectans clericos: "Εἰ δὲ τινες ἀποστατήσαιεν τῶν κληρικῶν, καὶ τολμήσαιεν ἢ κατ' ἰδίαν ἢ δημοσίᾳ τὰ Νεστορίου ἢ τὰ Κελεστίου φρονησαι, καὶ τούτους εἶναι καθηρημένους ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου δεδικαίωται. Si qui autem clericorum defecerint, et ausi fuerint vel privatim vel publice quæ sunt Nestorii aut Celestii sapere; sancitum est a sancta synodo istos quoque depositos esse."

Celestini denique de Juliani et sociorum depositione sententia a patribus est confirmata: quod ipsi in literis ad eum scriptis ita significant: "Ἀναγνωσθέντων ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τῶν ὑπομνημάτων τῶν πεπραγμένων ἐπὶ τῇ καθαιρέσει τῶν ἀνοσίων Πελαγιανῶν καὶ Κελεστιανῶν, Κελεστίου, Πελαγίου, Ἰουλιανῶ, Περσιδίου, Φλώρου, Μαρκελλίνου, Ὁρεντίου, καὶ τῶν τὰ αὐτὰ τούτοις φρονούντων ἰδικαιώσαμεν καὶ ἡμεῖς, ἰσχυρὰ καὶ βέβαια μένειν τὰ ἐπ' αὐτοῖς ὠρισμένα περὰ τῆς σῆς εὐσεβείας καὶ σύμφηφοὶ πάντες ἐσμὲν, καθηρημένους ἔχοντες αὐτοὺς. Perlectis in sancta synodo commentariis actorum in depositione impiorum Pelagianorum et Celestianorum, Celestii, Pelagii, Juliani, Persidii, Flori, Marcellini, Orentii, et eadem cum illis sententium: quæ a pictate tua de ipsis decreta et constituta sunt, judicavimus et nos ea solida firmaque permanere debere; et idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes."

Atque ita, "secundum sacrosanctam universitatis et antiquitatis consensionem," ut Vincentius Lirinensis^f notat, "Pelagius, Celestius, Nestorius, jure meritoque damnati sunt." De quo Prosper in chronico: "Congregata apud Ephesum plus ducentorum synodo sacerdotum, Nestorius cum hæresi nominis sui, et cum multis Pelagianis, qui cognatum errori suo juvabant dogma, damnatur." Et alibi^g de papa Celestino verba faciens: "Per hunc virum orientales ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt; quando Cyrillo Alexandrinæ urbis antistiti, gloriosissimo fidei Catholicae defensori, ad execrandam^h Nestorianam impietatem apos-

^e Act. concil. Ephesin. Græco-latin. pag. 254. edit. Colon.

^f Vincent. commonitor. advers. hæreses, cap. ult.

^g Prosp. contra Collator. cap. 41.

^h *Extirpandam.*

tolico auxiliatus est gladio; quo etiam Pelagiani, dum cognatis confæderantur erroribus, iterum prosternerentur." Quænam vero hæc fuerit inter utramque hæresim cognatio, dum quod a Pelagianis de membris Christi perverse est traditum, ad ipsum corporis caput a Nestorianis impie est traductum, ex actis occidentalium episcoporum adversus Nestoriana et Pelagiana dogmata, ita explicat Photius¹:

“ Οἱ μὲν Κελεστιανοὶ περὶ τοῦ σώματος ἦτοι τῶν μελῶν τοῦ Χριστοῦ (τουτέστι τῆς ἐκκλησίας) ἀποθρασύνονται ὅτι πὲρ οὐχὶ ὁ Θεὸς (τουτέστι τὸ πνεῦμα τὸ ἕγιον) τὴν τε πίστιν αὐτοῖς καὶ πάντα τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν καὶ σωτηρίαν διαιρεῖ ἰδίᾳ ἐκάστῳ καθὼς βούλεται· ἀλλ’ ὅτι πὲρ ἡ καταταγμένη τοῦ ἀνθρώπου φύσις (ἡ διὰ τὴν παράβασιν καὶ τὴν ἁμαρτίαν τῆς μὲν μακαριότητος ἐκπεσοῦσα καὶ τοῦ Θεοῦ χωρισθείσα, τῷ δὲ θανάτῳ παραδοθείσα) αὕτη κατὰ τὴν τῆς προαιρέσεως ἄξιαν τὸ πνεῦμα τὸ ἕγιον καὶ προσκαλεῖται καὶ ἀποθελῖται. Οἱ δὲ Νεστοριανοὶ καὶ περὶ αὐτὴν τὴν τοῦ σώματος κεφαλὴν, τὸν Χριστὸν, τὴν αὐτὴν διάνοιαν καὶ τόλμαν ἔχουσι λέγουσι γὰρ, ὅτι ἐπεί τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐστὶν ὁ Χριστὸς, ὁ δὲ Θεὸς πάντας ἀνθρώπους ὁμοίως θέλει σωθῆναι, καὶ οἰκίᾳ προαιρέσει ἕκαστον τὸ ἑαυτοῦ πταῖσμα ἐπανορθώσασθαι, καὶ ἄξιον ἑαυτὸν αὐτοῦ ποιῆσαι. Διὰ τοῦτο οὐκ ἔστιν ὁ Λόγος ὁ τηχθεὶς; ἀλλ’ ὁ γεννηθεὶς ἐκ Μαρίας, διὰ τὴν τῆς φυσικῆς προαιρέσεως ἄξιαν, εἶχεν ἐπόμενον τὸν Λόγον, μόνῃ τῇ ἄξιᾳ καὶ τῇ ὁμωνυμίᾳ κεκοινωνηκῶς τῷ Λόγῳ τῆς υἰότητος. Celestiani de corpore seu membris Christi, hoc est, de Ecclesia petulanter ista jactant. Non Deum ipsum, id est, Spiritum sanctum fidem ipsis, omniaque ad vitam, pietatem et salutem necessaria, privatim dividere unicuique, prout velit: sed constitutam hominis naturam (quæ per transgressionem et peccatum beatitudine excidit, atque a Deo separata, morti tradita est) pro merito voluntatis uniuscujusque Spiritum sanctum et appellare et repellere. Nestoriani vero de ipso etiam corporis capite Christo eadem sentire et affirmare audent. Asserunt enim, quandoquidem nostræ Christus naturæ sit particeps factus, et Deus omnes homines SIMILITER salvos fieri velit; unum-

¹ Phot. bibliothec. num 54.

quemlibet etiam per arbitrii sui libertatem proprium peccatum corrigere, et Deo dignum se facere. Idcirco non genitum esse Verbum; sed eum qui ex Maria natus est, ob naturalis voluntatis dignitatem, habuisse Verbum concomitans: cum sola ista nobilitate, et eadem appellatione communicaret cum ratione filiationis."

Addit ibidem de hæresi Pelagiana Photius: "Ἀναθεματίσθη αὐτὴ ἢ αἵρεσις καὶ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἀγία συνόδῳ. Hæc eadem hæresis anathemate item damnata est in sacra Ephesina synodo." Item: "Μετὰ θάνατον τοῦ ἐν ἀγίοις Ἀύγουστινου ἤρξαντό τινες τῶν ἐν τῷ κλήρῳ τὸ μὲν δυσσεβῆς κρατύνειν δόγμα, κακῶς δὲ λέγειν Ἀύγουστίνου καὶ διασύρειν, ὡς ἀναίρεσιν τοῦς αὐτεξουσίου εἰσηγησάμενον· ἀλλὰ καὶ Κελεστίνος ὁ Ῥώμης ὑπὲρ τε τοῦ Θείου ἀνδρὸς, καὶ κατὰ τῶν ἀνακινούντων τὴν αἵρεσιν τοῖς ἐγχωρίοις γράφων ἐπισκόποις, τὴν κινουμένην πλάνην ἔστησεν. Post sancti Augustini mortem cœperunt quidam in clero impium illud dogma asserere; male etiam loqui de Augustino, atque adeo conviciis incessere, tanquam arbitrii libertatem tollendam docuisset. Verum Celestinus Pontifex Romanus, pro sancto viro, et contra eos qui hanc hæresim resuscitarent, ejus oræ episcopis scribens, errorem revocatum cohibuit." Unde de eodem Celestino, Prosper^k: "Per hunc virum intra Gallias istis ipsis qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt maleloquentiæ est adempta libertas, quando consultantium actione suscepta, et librorum qui errantibus displicebant pietate laudata, quid oporteret de eorum auctoritate sentiri, sancto manifestavit eloquio: evidenter pronuncians, quantum sibi præsumptionis istius novitas displiceret, qua auderent quidam adversus antiquos magistros insolenter insurgere, et indisciplina calumnia prædicationi veritatis obstrepere."

Nempe hic ipse Prosper, et Hilarius ille quem ab Arelatensi episcopo distinguendum fuisse ostendimus, Romam profecti, Gallicanos quosdam presbyteros, qui Augustini jam vita functi scriptis liberius obtrectabant, apud Celestinum accusarunt. Ea occasione ad Venerium Massili-

^k Prosper contra Collator. cap. 42.

ensem, in cujus ecclesia presbyteri munere fungebatur Cassianus, Leontium Forojuliensem (ad quem spectabat ordinatio clericorum insulæ Lirinensis, cujus tum abbas erat Faustus presbyter) et cæteros Galliarum antistites, a Celestino scripta est epistola: in qua episcopus ille culpat, quod ipsis tacentibus presbyteros loqui, et novis quæstionibus Ecclesiam turbare, permetterent: "Fili," inquit, "nostri præsentés Prosper et Hilarius, quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensionis ecclesiarum studeant, sunt apud nos persecuti; ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia veritati. Sed vestræ dilectioni justius imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi."

Deinde, pluribus interjectis, addit: "Super his multa jam dicta sunt eo tempore, quo ad fratris Tuentii dedimus scripta responsum. Nunc tamen repetentes sæpius admonemus, ut vitentur hujusmodi, qui laborant per terras aliud, quam ille noster jussit agricola, seminare. Nec tamen mirari possumus, si hæc erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare. Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus; nec unquam hunc sinistræ suspensionis saltem rumor adpersit: quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper præcessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt; utpote, qui ubique cunctis et amori fuerit, et honori. Unde resistendum talibus, quos male crescere videmus." Epistolæ etiam, de gratia Dei et libero voluntatis arbitrio, quædam habentur subjuncta capitula; ex Innocentii et Zosimi epistolis atque synodi Carthaginiensis anathematismis desumpta: quæ Celestini quoque nomine a Petro¹ diacono et Cresconio^m sunt citata.

¹ Petr. in lib. de incarnat. et gratia Christi ad Fulgentium; cap. 8.

^m Crescon. Breviar. Canonum, tit. 289, 290, &c.

Indefessi ejusdem in Pelagianis ubique reprimendis studii testes etiam tres illæ sunt epistolæ Idibus Martii, Aetio et Valerio consulibus, hoc est, anno CCCXXXII. quo et mortuus est, in orientem ab eo missæ. In prima enim, quæ ad synodi universalis Ephesinæ episcopos scripta est, de his hæreticis hujusmodi ab eo facta est mentio: “ Quod” loquimur, Celestianorum testantur exempla; quod spem de synodo hucusque gesserunt. Habent, si respiscunt, copiam revertendi: quod his solis non permittitur, quos proprie cum authoribus hæreseos omnium fratrum constat subscriptione damnatos. Per Dei namque misericordiam aliquos ex eorum numero ad nos jam rediisse gaudemus.” In secunda Maximianum, qui deposito Nestorio Constantinopolitanus factus est episcopus, sic adversus eos incitat: “ Locum^o impietas novella non habeat, et compresso olim per totum orbem sua damnatione noto Celestiano errori tua vigilantia resistatur; ut quicumque hujus dogmatis sunt sequaces, ab omni societate hominum repellantur. Obsistat illis per te Spiritus sanctus his in omnibus, qui ad has quascunque conantur provincias pervenire; ne eorum impia prædicatio resurgat. Obsistite eis: ita enim, ut damnentur quocunque perveniunt, innotescunt; et tanquam non illis sententia toties repetita sufficiat, longinquas terras remotasque provincias inquietant. Sed eos ille persequitur, cujus fidem sua pravitate persequi nitebantur: et quo se abscondant, ad quas latebras confugiant, sua se impietate prodentes, invenire non possunt.”

In tertia clerum et populum Constantinopolitanum de Nestorio ita commonet: “ Adfuerunt^p inter alios, nec deseruerunt eum Celestiani iniquitatis operarii, quos Hymnidici nostri persequitur manifesta sententia. Jamdudum quippe *inimici^a Dei disperguntur, et pereunt qui operantur iniquitatem*: qui, sicut idem dicit, *velut cibum punis plebem Dominicam devorabant*. Habuit ergo secum sui magistros exitii: habuit hujusce rei perfectos tyro doctores.

^a Act. concil. Ephesin. part. 3. cap. 20. pag. 414. edit. Colon.

^o Ibid. cap. 22, pag. 415.

^p Ibid. cap. 23. pag. 417, 418. ^q Psalm. 92. ver. 9. al. Psalm. 91. ver. 10.

^r Psalm. 14. ver. 4. al. Psalm. 13. ver. 7.

Nam separare difficile est quos scelera sola junxerunt; quia majore ligantur glutino fœdera vitiorum. Quis tamen horum finis est? nempe ille quem legimus: *Irritavit in illo Dominus; et erunt posthæc decedentes sine honore in contumelia inter mortuos in æternum.*” Indeque sicut in Romano martyrologio “S. Celestini¹ papæ, qui Nestorium Constantinopolitanum episcopum damnavit, Pelagiumque fugavit,” celebris statuitur memoria, ut de utroque hæretico debellato titulus quidam triumphalis: ita utrique hæresi, cum infamia et dedecore pariter sepultæ, commune hoc positum est a Prospero epitaphium; quo caput istud, rebus intra Celestini pontificatum gestis explicandis destinatum, claudendum existimavimus.

Nestoriana lues successi Pelagianaë;
 Quæ tamen est utero prægenerata meo.
 Infelix miseræ geuitrix et filia natæ,
 Prodivi ex ipso germine quod peperit.
 Nam fundare arcem meritis prior orsa superbis,
 De capite ad corpus ducere opus volui.
 Sed mea dum proles in summa armatur ab imis,
 Congrua bellandi tempora non habui.
 Et consanguinæ post tristia vulnera fraudis,
 Aspera conserui prælia fine pari.
 Me tamen una dedit victam sententia letho;
 Illa volens iterum surgere, bis cecidit.
 Mecum oritur, mecum moritur², mecumque sepulchrum
 Intrat, et inferni carceris ima subit:
 Quo nos præcípites insana superbia mersit,
 Exutas donis, et tumidas meritis.
 Nam Christum pietate operum et mercede volentes
 Esse Deum, in capitis fœdere non stetimus:
 Sperantesque animi de libertate coronam,
 Perdidimus quam dat gratia justitiam.
 Quique igitur geminæ miseraris busta ruinæ,
 Ne nostro exitio consociere cave.
 Nam si quæ Domini data munera sero fatemur,
 Hæc homini credis debita, noster eris.

¹ *Irridebit illos.* Sap. cap. 4. ver. 18. ² Martyrolog. Roman. VIII. Id. April.

³ *Al. vivit.*

CAP. XII.

Semipelagiani a Prospero scriptis refutati : Pelagiani a Xysto III. et Leone I. repressi. Britanni, a Scotis et Pictis conculcati, ab Actio Romanæ militiæ magistro auxilium frustra implorant. Iidem fame confecti, recuperatis postea viribus hostes repellunt. De regibus eorum Constantino, et filio Constante Wintoniensi monacho, quid Britannica historia : de pace et rerum abundantia illis restituta, novaque vitiorum segete simul accrescente, quid Gildas tradat. Pelagiana hæresis emergens in Istria a Leone Magno, in urbe Romana a B. Prospero, in Britannia a S. Germano et Severo prostermitur. De S. Germani et Vortigerni Britannorum regis congressu fabulæ : Anglo-Saxones a Britannis invitati, Hengisto et Horsa ducibus, in insulam adveniunt. Ex quibus Germaniæ provinciis novi coloni ducti fuerint, et in quibus Britannicæ locis consederint. Tempus eorum adventus explicatum, et cum vicinorum Francorum in Gallias migratione comparatum. Quomodo, auctis viribus, ex amicis hostes effecti, Britannicam rempublicam et Ecclesiam oppræsserint. De miserorum Britannorum reliquiis solum vertere coactis : eaque occasione, de eorum in Batavia, et Britannia Armorica collocatis sedibus.

CELESTINO in sede Romana successit Xystus sive Sixtus III. quem, adhuc presbyterum, magno animo Pelagianis se opposuisse docuimus^a. Sub ejus pontificatus initiis, latius^b sese diffudentibus in Gallia Semipelagianorum erroribus, adversus mali authorem Johannem Cassianum, Collatoris nomine designatum, a Prospero Aquitanico egregius editus est commentarius : cujus descriptionis occasionem et propositum in operis exordio ipse sic enarrat : “ Gratiam^c Dei, qua Christiani sumus, quidam dicere a sanctæ memoriæ Augustino episcopo non recte esse defensam ; librosque ejus contra errorem Pelagianum conditos immoderatis calumniis impetere non quiescunt.

^a Supra cap. 10. pag. 329.

^b Hyginus, apud Rigaltium in Tertul.

^c Prosp. contra Collator. cap. 1.

Quorum intus interstrepens domestica malignitas non minus spernenda esset, quam foris latrans hæretica loquacitas: nisi ejectis extra ovile Dominicum lupis, sub nomine ovium, suffragarentur; essentque ejusmodi ut nec ordo eorum in Ecclesia, nec ingenia despicienda videantur. Si quidem habentes speciem pietatis in studio, cujus virtutem diffitentur in sensu; trahunt ad se multos ineruditos, et non habentia spiritum discretionis corda conturbant: atque in eum statum deducere causam Ecclesiæ moliuntur, ut dum nostros affirmant non veraciter pro gratia locutos, inimicos gratiæ persuadeant injuste damnatos esse."

"Non ergo negligendum est hoc malum, quod ab occultis parvisque seminibus augetur quotidie, et ab ortu suo latius longiusque distenditur: sed studendum est, in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium calumniatorum hypocrisis detegatur: qui ex ipsa injuriæ magnitudine, quam in uno cunctis ac præcipue apostolicæ sedis pontificibus intulerunt, ab indoctis et parum cautis excellentioris scientiæ judicantur; et misero perversoque successu facilem mendacio consensum eliciunt, quia reverentiam sibi præsumptione perpererunt. Nec enim, cum sint bonæ opinionis viri, creduntur ullo modo tarditate intelligentiæ aut temeritate judicii in superflua querelæ conclamationem potuisse prorumpere: ac non potius magno ingenio ac vehementi studio laborasse, ut subtilissimi tractatoris disputationibus comprehensis, censura nunc districtior et inspectio sagacior inveniret, quod antea securus favor et benignitas incuriosa non viderat."

"Unde ergo hæc diligentia tam severi emersit examinis? Unde in hanc austeritatem supercilium tam tetricæ frontis se armavit; ut mensuras sensuum, pondera locutionum, numeros syllabarum insidiosus scrutator eventilet, magnumque se aliquid conficere præsumat, si Catholico prædicatori notam erroris affigat? quasi incognitum aliquod opus et quod hactenus latuerit imperatur: ac non illa his morsibus doctrina lanietur, quæ novorum hæreticorum commenta disjecit, et diabolicum tumorem Pelagianæ elationis elisit. Viginti^d amplius annis contra inimicos gratiæ

^d Ab anno CCCCXII. vel sequente. vid. supr. cap. 9. pag. 268. 271. 273.

Dei Catholica acies, hujus viri ductu, pugnat et vincit. Vincit dico, quia non patitur respirare quos vicit; et in quorum excidium unam cunctorum sacerdotum manu sententiam scripsit. Pulsi pontificio, et communione privati, querantur quasi de felicitate nostræ victoriæ; et arment in nos linguas suas, qui exulare a veritate, quam cives esse Ecclesiæ maluerunt: nostri autem concorporales, ac participes gratiæ Dei, cur de his armis, quibus communis fides est defensata, causantur? Cur bellum confectum retractant; et munitiones securæ dudum pacis infirmant?"

Ac tandem contra eos sic concludit: "Igitur^e hujusmodi hominum pravitati, non tam disputationum studio, quam autoritatum privilegio est resistendum: ut de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere. Quia notum est, ita se falsitatis istius habere versutias, ut si eis liceat prætentæ correctionis imagine aliquod sibi faventium radicis suæ germen excipere, totam se possit in exigua sui parte reparare. Ubi enim non aliud habet summa, quam portio; non est devotionis dedisse prope totum, sed fraudis retinuisse vel minimum. Quod ne hypocritarum obtineatur insidiis, confidimus Domini protectione præstandum; ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Celestino, operetur et in Xysto: et in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata pastori, ut sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos."

Aliis præterea editis scriptis idem Prosper^f bonam Catholicorum causam tuebatur: de quo Fulgentius^g ad Monimum: "Non ignoras præterito tempore illi luculentissimo sancti Augustini operi, quod scripsit de prædestinatione sanctorum, a quibusdam Gallis objectum, quod beatus Augustinus in assertione prædestinationis divinæ peccatores non ad solum prædestinatos diceret iudicium, sed etiam ad peccatum: cujus dicta, quia ipse celeri præventus est obitu, Prosper vir eruditus et sanctus recta

^e Galfrid. hist. Britann. lib. 6. cap. 44.

^f Voss. hist. Pelagian. lib. 1. cap. 18. pag. 62.

^g Fulgent. ad Monim. lib. 1. cap. 30.

defendit fide et copioso sermone.” Cum enim quindecim^b capitula a Gallis objicerentur adversus ea quæ in Pelagianos scripserat Augustinus: ad singula respondit ille; ista libro suo præfixa præfatione: “Doctrinam (quam sanctæ memoriæ Augustinus episcopus contra Pelagianos, inimicos gratiæ Christi, et liberi arbitrii decomptores, per multos annos apostolice asseruit, literisque mandavit) quibusdam visum est aut intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere, et hoc quasi compendium cognitionis his, qui iudicio eorum ducebantur, afferre; ut quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse jactabant, brevium capitulorum indiculis prædicarent: talique commento et detestationem ejus quem impeterent obtinerent, et ab his quæ infamassent curam exterriti lectoris averterent. Ne ergo hanc persuasionem temere quis recipiat, et talem putet sensum scriptis Catholici inesse doctoris, qualem eum qui frustra calumniantur ostentant; singulis capitulis, quæ rationis titulo prænotarunt, brevi et absoluta professione respondeo: in nullo recedens a tramite earum definitionum, quæ in sancti viri disputationibus continentur: ut facile vel tenuis diligentia advertat inspector, quam injustis opprobriis Catholici prædicatoris memoria carpatur: et in quod peccatum cadant, qui aliena instigatione commoti, scriptorem celeberrimi nominis promptius habeant culpæ quam nosse.”

Respondit idem ad decem dubia, ex Augustini libris de prædestinatione sanctorum (secundo etiam libro, qui est de dono perseverantiæ, communi eo nomine comprehenso) excerpta; quæ ex Genuensi civitate explicanda illi miserant Camillus et Theodorus presbyteri: de ipso Augustino et re tota sub libelli finem ita concludens: “Quamvis nunquam tam insipienter locutus sit ad populum Christianum, et id quod mendax obtrectatio ineptissime finxit horruerit: pia tamen constantique doctrina abundanter probavit, prædicandam esse Ecclesiæ prædestinationem, in qua est gratiæ præparatio, et gratiam, in qua est prædestinationis effectus, et præscientiam Dei, qua ante secula æterna

^b Vid. supr. cap. 11. pag. 401.

quibus esset collaturus sua dona præscivit. Cujus prædicationis quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adjutor.”

Ab eodem refutata sunt et objectionum Vincentianarum sexdecim capitula: quibus non tam Augustinus (licet falso titulo responsionis ejusdem ad articulos sibi falso impositos opusculum hoc aliquando ferebatur) quam ipse Prosper et reliqui, qui ab ejus partibus stabant, orthodoxi petebantur: sicut eodem Satanæ artificio, adversus ejsdem doctrinæ defensores easdem adhiberi calumnias hodieque cernimus. De qua injuria sibi et fratribus illata, in responsonum suarum præfatione, sic Prosper conquestus est: “ Quidam Christianæ ac fraternæ charitatis obliti, in tantum existimationem nostram quoquomodo student lædere, ut suam se evertere, nocendi cupiditate, non videant. Contexunt enim, et qualibus possunt sententiis comprehendunt, ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia; eaque ostendenda et ingerenda multis publice privatimque circumferunt: asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo. Quæ falso in nos ad excitandam invidiam jacitari, facile et sufficienter subscriptione unius probaremus anathematis; nisi malignitas eorum, qui se gravari putant si de nobis bene sentiatur, ipsam subscriptionis nostræ brevitatem suspectam esset habitura. Unde ne hujus querelæ inveniretur occasio, necessarium conveniensque credidimus, ut sive ad calumniantium animos mitigandos, sive ad eos, quorum auribus tale aliquid insonuit, instruendos, quantum adjuvante Domino fieri potuerit, plene lucideque pandamus, quid de perversis definitionibus judicemus.”

Harum objectionum authorem nonnulli, haud levibus ducti conjecturis, Vincentium Lirinensem fuisse existimant, qui adversus hæreses Commonitorium, Xysto^k Romanam ecclesiam administrante, tertio^l post habitum concilium Ephesinum anno, quem nos Christi CCCXXXIV.

^l Vid. Voss. hist. Pelag. lib. 1. cap. 9.

^k Vincent. Commonitor. cap. 43.

^l Vincent. Commonitor. cap. 42.

numeramus, conscripsit. Eo vero tempore Pelagianum^m illum Julianum adhuc “se collegarum sensui, aut incorporare neglexisse, aut excorporare præsumpsisse,” meminit. Sub finem tamen pontificatus Xysti eundem in communionem Ecclesiæ insinuare se conatum, ad consulatum Theodosii XVII. et Festi, qui in annum CCCXXXIX. incidit, his verbis in chronico suo docet Prosper: “Hac tempestate Julianus Eclanensisⁿ, jactantissimus Pelagiani erroris assërtor, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis speciem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Xystus papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit: et ita omnes Catholicos de reiectione fallacis bestię gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam hæresim apostolicus gladius detruncasset.”

Erat hic diaconus Leo illo Magnus, qui anno proxime sequente Xysto in Romano successit pontificatu: a quo Julianum, in Campania sua res iterum turbantem, contritum esse, idem Prosper, cujus tunc opera in Pelagianis reprimendis ipse usus est Leo, in libello de dimidio temporis, capite sexto, ita retulit: “In Italia, nobis apud Campaniam constitutis, dum venerabilis et apostolico honore nominandus papa Leo Manichæos subverteret, et contereret Pelagianos, et maxime Julianum: ambiens tum quidam Florus nomine, spiritu seductionis arreptus, virtutem et meritum sibi sancti Sosii martyris assignans, cum haud procul a Neapolitana civitate in subversionem animarum quædam promitteret faceretque illicita; a germano venerabilis Nostriani episcopi et Hierio presbytero simul cum clericis prædictæ ecclesiæ tentus et coercitus, sic a præfata provinciæ limitibus pulsus est.” Qui impostor, ejusmodi falsis miraculis simplicium fidem subvertere molitus, Claudio Menardo^o non alius fuisse videtur quam Florus episcopus Pelagianus, cui postremum opus contra Augustinum dicavit Julianus; et quem, una cum eodem

^m Vincent. Commonitor. cap. 40.

ⁿ *Celanensis*, Gelasio in LXX. episcoporum concil. et Bedæ, præfat. in Cantic.

^o Menard. not. in Augustini imperfectum opus contra Julian. pag. 438.

et cæteris collegis a Celestino depositum, in Ephesino concilio iterum damnatum fuisse in præcedente capite audivimus.

Quam miseranda his temporibus rerum facies in Britannia fuerit, satis testatur epistolæ ad Aetium missæ flebilis illa ἐπιγραφή, AETIO III. CONSULI, GEMITUS BRITANNORUM: et lugubris quæ annexa est querimonia: “Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros. Inter hæc duo genera funerum, aut jugulamur aut mergimur.” Hic tamen, ubi in Gildæ codice a Polydoro Vergilio edito, Aetio ter consuli, legitur, monet doctissimus Camdenus^p, in exemplaribus plurimis (sicut etiam in duobus quibus ego sum usus MSS. et quæ Galfridus Mone-muthensis^q est secutus) haberi, Agitio ter consuli; in aliis sine numeri adjectione Aegitio, et in uno Æquitio consuli. In Britannica historia carminibus expressa, quæ falso Gildæ nomine est prænotata, Agretium quoque appellatum invenio. Quum enim in quinto libro cladem Britonibus a Barbaris illatam poeta cecinisset, statim subjicit:

Lactentes matresque simul, juvenesque senesque
Occumbunt gladio, nulli sua munera prosunt:
Ecclesiæ clerum reverentia nulla tuetur.
Agretius consul Romanus ferre recusat
Auxilium positus in tanta strage Britannis.

In Bedæ historiæ ecclesiasticæ^r editionibus vulgatis, Boetius nominatur: quam lectionem non solum antiquissimorum exemplarium inspectio, quæ Aetium nobis exhibent, sed etiam ipse verborum Bedæ contextus vitiosissimam esse demonstrat: “Anno (inquit, de Theodosio juniore agens) regni ejus vicesimo tertio Boetius vir illustris, qui et patricius fuit, tertium cum Symmacho gessit consulatum. Ad hunc pauperculæ Britonum reliquiæ mittunt epistolam, cujus hoc principium est: Boetio ter consuli gemitus Britannorum, &c.” Atqui Symmachum non Boetio sed Aetio tertium consuli collegam fuisse consentiunt

^p Camden. Britann. pag. 77. et 95.

^q Galfrid. hist. Britann. lib. 6. cap. 3.

^r Lib. 1. cap. 13.

omnes: et alium aliquem consulem cogitare, a quo militare auxilium expeterent Britanni, quam Aetium, qui^s “magister utriusque militiæ” erat, et in vicina Gallia tum degebat; hoc vero suaviter esset ineptire. Neque Bedam recte perversæ temporum rationis insimulat hic Camdenus^t (a Baronio^u in errorem inductus ipse) quod ad annum Theodosii junioris XXIII. Christi CCCCXXX. Aetii consulatum tertium retulerit: quem “ex fastis consularibus constat in XXXIX. Theodosii illius et Christi CCCCXLVI. annum incidisse.” Nam in ipso capitis illius exordio aperte significaverat Beda, se Theodosii junioris regnum ab anno Domini CCCCXXIII. et Honorii Augusti obitu arcessere. Cum igitur “anno regni ejus vicesimo tertio” epistolam hanc ad Aetium missam esse subjicit, non aliud dictum voluit, quam quod a Jordano sive Jornande (ut a Cuspiniano citatur) vel (ut mea fert sententia) ab Hermanno Contracto est expositum: “Anno CCCCXLVI. Britanni ab Aetio et Romanis contra Scotos et Pictavos (seu Pictos) auxilium implorant, nec impetrant.”

Eodem anno “magnam famem Constantinopolim invasisse, pestemque illico subsecutam;” et sequente quoque “famem et aerum pestiferum odorem multa millia hominum jumentorumque delevisse,” narrat Marcellinus^w comes in chronico: ex quo pleraque in jam citato loco ad verbum transcribens Beda, eandem^x “illam famem Britones magis magisque affecisse” addit: illam nimirum, cujus ita meminit in epistola sua Gildas: “Interea fames dira ac famosissima vagis ac nutabundis hæret: quæ multos eorum cruentis compulit prædonibus sine dilatione victas dare manus, ut pauxillum ad refocillandam animam cibi caperent, alios vero nunquam; quin potius de ipsis montibus, speluncis, ac saltibus dumis consertis continue rebellabant.

^s Vid. literas imperatorias ad Aetium datas Valentiano VI. Col. h. e. anno 445. inter Theodosii et Valentiniani novellas, tit. de episcoporum ordinat.

^t Camden. Britan. pag. 94.

^u Baron. ann. 446. sec. 1.

^w Vid. Valentiniani novell. tit. XI. in rescripto ad Actium Patritium.

^x Bed. hist. ecclesiast. lib. 1. cap. 14.

Et tum primum inimicis per multos annos prædas in terra agentibus strages dabant, non fidentes in homine, sed in Deo; secundum illud Philonis: Necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium."

Humanum tamen etiam hic advocatum est auxilium; si Monemuthensi Galfrido credimus. Is enim, ut in quinto capite^y a nobis dictum, ab Aldroeno Britannicæ Armoricæ rege fratrem Constantinum cum militum millibus duobus missum huc asserit; a Guitelino Londinensi archiepiscopo hisce vocibus salutatum: "Christus^z vincit, Christus imperat, regnat Christus. Ecce rex Britannicæ desertæ. Adsit modo Christus; ecce defensio nostra, ecce spes nostra et gaudium." Auxiliares istos, adjuncta sibi reliqua juventute insulæ, cum hostibus congressos victoriam adeptos esse narrat Galfridus^a: et confluentes undique Britones, prius dispersos, Cicestricæ "erexisse Constantinum in regem, regnique diadema capiti ejus imposuisse." Addit etiam, a Constantino filium primogenitum Constantem traditum "in ecclesiam Amphibali intra Wintoniam, ut monachalem ordinem susciperet:" eundemque patri, post decennium a Picto quodam interfecto, in regno successisse: quod in jam citata Britannicæ historiæ metaphrasi hisce versibus est expositum.

Interea quidam Pictus mucrone soluto
 Interimit regem, falsum nil tale timentem.
 Conveniunt igitur proceres, de substituendo
 Rege simul tractant; cum Vortigernus ad ipsum
 Constantem tendit monachum, mortemque parentis
 Nunciat ejus ei dicens, Cur veste sub atra
 Hic latitas? regnum vocat, et succedere patri
 Te faciam, si forte meis parere paratus
 Consiliis, augere velis mea jura, tibi que
 Sim propior cunctis, nostrum dum vivat uterque.
 Sic fore constanter Constans promittit, idemque
 Promissum jurat: monachali veste remota
 Induitur regale decus: vix dante Britanno
 Assensum populo, regni diademate fulget
 Quod Vortigernus (spreto moderamine juris)
 Illius imposuit capiti: nam Londoniensis

^y Supra pag. 89.

^z Galfrid, hist. Britannic. lib. 6. cap. 4.

^a Galfrid. hist. Britannic. lib. 6. cap. 5.

Præsul, cujus erat hoc jus, decesserat : alter
Pontificum non audet eum diademate regis
Insignire ; quia monachus votumque professus
In regem contra votum non debet inungi.

Habentur eadem in Floribus^b historiarum, et magna Wintoniensium tabula : quibus ex Wintoniensis ecclesiæ historia adjici etiam possunt ista : “ In veteri monasterio Constans, filius Constantini regis Britanniaë, habitum suscepit monachilem. Qui tandem post mortem patris, consilio Vortigerni ducis Gewiseorum, relicto habitu monachorum, regni diadema suscepit : et non multo post tempore, consilio ejusdem ducis, crudelissime peremptus est in ecclesia sancti Amphibali. Wintoniaë, inquit Gildas, Constantem Constantinus pater, frater Aldoeni regis Armoricanorum Britonum, filium suum monachum fecit. Cum quo concordant Moracius et Gaufridus Monumetensis in historia Britonum, necnon et Walterus Oxenfordensis archidiaconus.” Et quidem annis ante tertium Aetii consulatum XXXIX. Constantinum in Britannia a militibus imperatorem acclamatum, atque filium ejus Constantem^c ex monacho Cæsarem factum fuisse, probatae fidei authores docent ; indeque popularibus hisce narrationibus comminiscendis occasionem datam censent eruditi^d. Pro quibus fortasse fecerit et illud : quod quum Constantinum illum uxorem ex nobili Romanorum genere ortam duxisse referat Britannica^e historia, atque ex ea Aurelium Ambrosium suscepisse ; ejusdem Ambrosii parentes in Britannia purpura indutos fuisse, (hoc est, ut Beda^f explicat, regium nomen et insigne tulisse) non commentitius ille a Wintoniensibus citatus, sed verus etiam et genuinus Gildas confirmet.

Idem vero Gildas, istis de Constantio et Constante

^b Matth. Paris. et Westmonaster. ad annum 435. et 445.

^c Paul. Oros. lib. 7. cap. 40. Marcell. com. chronic. ad ann. Christi 411. Jordan. de regnor. succession. et de reb. Geticis, cap. 32.

^d Camden. in Belgis ; pag. 191. et 195. Pontan. rerum Danicar. 1. histor. 1. lib. 3.

^e Galfrid. Monemuth. lib. 6. cap. 5. Matth. Florileg. ann. 436.

^f Bed. lib. 1. histor. cap. 16. Henr. Huntingdon, histor. lib. 2.

prorsus prætermissis, de nova vitiorum segete apud Britannos, a belli et famis recenti plaga vixdum respirantes, succrescente ita narrare pergit: "In talibus induciis desolato populo sæva cicatrix obducitur famis; alia virulentiore tacite pullulante. Quiescente autem vastitate, tantis abundantiarum copiis insula affluebat, ut nulla habere tales retro ætas meminisset: cum quibus omnimodis et luxuria crescit. Crevit etenim germine præpollenti, ita ut competenter eodem tempore diceretur: *Omnino^g talis auditur fornicatio, qualis nec inter gentes.* Non solum vero hoc vitium, sed et omnia quæ humanæ naturæ accidere solent, et præcipue, quod et nunc quoque in ea totius boni evertit statum, odium veritatis cum assertoribus, amorque mendacii cum suis fabricatoribus; susceptio mali pro bono, veneratio nequitiae pro benignitate, cupido tenebrarum pro sole, exceptio Satanæ pro angelo lucis."

"Ungebantur reges non per Deum, sed qui cæteris crudeliores extarent: et paulo post ab unctoribus non pro veri examinatione trucidabantur, aliis electis trucioribus. Siquis vero eorum mitior, et veritati aliquatenus propior videretur; in hunc quasi Britanniae subversorem omnium odia telaque sine respectu contorquebantur, et omnia quæ displicuerint Deoque placuerint æquali saltem lance pendebantur, si non gratiora fuissent displicentia: ita ut merito patriæ illud propheticum, quod veteri illi populo denuntiatum est, potuerit aptari, *Fili^h, inquit, sine lege, dereliquistis Deum, et ad iracundiam provocastis sanctum Israel. Quid adhuc percutiemini apponentes iniquitatem? Omne caput languidum, et omne cor mærens: a planta usque ad verticem non est in eo sanitas.* Sicque agebant cuncta, quæ saluti contraria fuerint, ac si nihil mundo medicinæ a vero omnium medico largiretur. Et non solum hæc seculares viri, sed et ipse grex Domini ejusque pastores, qui exemplo esse omni plebi debuerint. Ebrietate quamplurimi quasi vino madidi torpebant resoluti, et animositatum tumore, jurgiorum contentione, invidiæ capacibus unguis, indiscreto boni malique iudicio

^g 1 Corinth. cap. 5. ver. 1.

^h Esai. cap. 1. ver. 4, 5, 6.

carpebantur: ita ut perspicue sicut et nunc est, *effundi videretur contemptio super principes, seduci vanis eorum, et errare in invio et non in via.*"

Hanc vitiorum sentinam Arianæ simul et Pelagianæ hæreseos accessione auctam fuisse, refert in vita B. Patricii Jocelinus: "Quia pestis," inquit ille^k, "Pelagianæ hæresis atque etiam Ariana^l perfidia pluribus in locis Britanniae fidem fœdaverat; ipse prædicando et signa multa faciendo patriotas ad viam veritatis reducebat:" quomodo et Germanum anno Domini CCCCLXIX. Arianam simul et Pelagianam hæresim prædicatione et miraculis extinxisse, in vita S. Albani affirmat Johannes Tinmuthensis. Pelagianam certe pestem in ea insula a Germano et Severo, sicut in continente Leone et Prospero, hisce temporibus repressam fuisse aliunde etiam intelligimus. De Leonis hac in re præstita opera, in bibliothecæ suæ capite quinquagesimo quarto ita scribit Photius: "Χρόνου δὲ παριόντος, καὶ τῶν ἀπὸ τῆς αἵρέσεως, διὰ τῶ^m ἀναθεματίσαι τὴν οἰκίαν αἵρεσιν, τῇ ἐκκλησίᾳ παραδεχθέντων: πάλιν ἐξ αὐτῶν ἀρχὴν ἐλάμβανε τὸ κακόν. Ἄλλὰ Σέπτιμος ἐπίσκοπος ἀρχομένης τῆς λύμης ἐπέσχε τὴν φορὰν, γράψας πρὸς Λέοντα, τὸν Ῥώμης τῆνικαῦτα προεδρεύοντα, ὅς διαπύρω ζήλω κατὰ τῆς δυσσεβείας ἠγωνίσαστο. Cum temporis progressu sectæ hujus homines absque hæresis suæ abjuratone Ecclesiæ restituti essent; iterum malum ab illis principium sumpsit. Verum Septimius episcopus nascentem luem, antequam longius serperet, coercuit, datis ad Leonem Romanæ ecclesiæ eo tempore præsentem, literis: qui ferventi zelo contra impietatem illam depugnavit:" et in capite præcedente, "Ἐγράψε δὲ καὶ Λέων ὁ Ῥώμης περὶ τῶν ἐπιστρέφόντων Πελαγίανιστῶν, ὅπως ὀφείλουσιν ἐπιστρέφοντες δεχθῆναι ἐγγράφως αὐτῶν τὸ φρόνημα ἀναθεματίζοντες. Scripsit et Leo Romanus episcopus de Pelagianistis conversis, oportere, si jam redeuntes recipi velint, scriptis opinionem suam detestari."

^l Psalm. 107. (al. 106.) 40.

^k Jocelin. vit. Patric. cap. 92.

^l Sic etiam Johan. Tinmuthensis, infra.

^m Legendum *ἀνευ* τοῦ, vel quid simile.

Hæc sancti Leonis scripta desiderari putavit Baroniusⁿ: cum illius adhuc extant tum ad Septimum Altinum episcopum, tum ad Nicetam Aquileiensem archiepiscopum, Istriæ et Venetiæ metropolitanum, hac de re scriptæ epistolæ: quarum alteram, integram; alterius, quia longior ea est, partem tantum hic describendam existimavimus.

LEO^o EPISCOPUS, SEPTIMIO EPISCOPO S.

“LECTIS fraternitatis tuæ literis, vigorem fidei tuæ, quam olim noveramus, agnovimus; congratulantes tibi, quod ad custodiam gregum Christi pastoralem curam vigilantanter exequeris, ne lupi, qui sub specie ovium subintrarunt, bestiali sævitia simplices quosque dilacerent; et non solum ipsi nulla correctione proficiant, sed etiam ea, quæ sunt sana, corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia, ad metropolitanum episcopum provinciæ Venetiæ scripta direximus: quibus ad status sui periculum cognosceret pertinere, si quisquam de Pelagianorum et Celestianorum consortio veniens, in communionem Catholicam sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. Saluberrimum enim est, et spiritualis medicinæ utilitate plenissimum, ut sive presbyteri, sive diaconi, sive alii cujuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, errorem suum, et ipsos erroris auctores damnari a se sine ambiguitate fateantur: ut sensibus pravus et dudum peremptis, nulla sperandi supersit occasio, ne ullum membrum Ecclesiæ talium possit societate violari, cum per omnia illis professio propria cœperit obviare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, ne ab iis ecclesiis, ad quas proprie pertinent, sinantur abscedere, et pro suo arbitrio ad loca non sibi deputata transire. Quod cum recte non permittitur inculpatis, multo minus debeat licere suspectis. Pro-

ⁿ Baron. ann. 444. sec. 8.

^o Leon. epist. 55. in Isidori Mercatoris collectione: in aliorum, 83. et 85. et 90.

inde dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jungat curam suam dispositionibus nostris; et cum supradicto metropolitano det operam, ut circumspecte ac velociter impleantur ea, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem, et laudabiliter sunt gesta, et salubriter ordinata."

LEO^P EPISCOPUS ROMÆ, NICETÆ AQÜILEIENSI EPISCOPO
SALUTEM.

RELATIONE sancti fratris et coepiscopi nostri Septimii, quæ in subditis habetur agnovimus quosdam presbyteros, diaconos, ac diversi ordinis clericos, quos Pelagiana sive Celestiana hæresis habuerit implicatos, ita in vestra provincia ad communionem Catholicam pervenisse; ut nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris, et pastoralibus excubiis nimium dormitantibus, lupus ovium pellibus tectus in ovile Dominicum, non depositis bestialibus animis, introiret: et quod per auctoritatem canonum decretorumque nostrorum ne insontibus quidem conceditur, usurpare, ut relictis ecclesiis, in quibus clericatum aut acceperant, aut receperant, instabilitate sua per diversa circumferantur; amantes semper errare, et nunquam in fundamento apostolico permanere. Quoniam qui nullo discussi examine, nullo sunt præjudicio suæ professionis obstricti, hunc maxime expetunt fructum, ut sub velamento communionis plures domus adeant, et per falsi nominis scientiam multorum corda corrumpant. Quod utique efficere non possent, si ecclesiarum præsules necessariam diligentiam in talium receptione servarent; ne cuiquam eorum evagari in diversa licuisset."

"Ne ergo hoc ulterius audeatur, neve per quorundam negligentiam introducta pernicies ad eversionem multarum tendat animarum, hac nostri auctoritate præcepti, industriæ tuæ fraternitatis indicimus, ut congregata apud vos synodo provincialium sacerdotum, omnes sive presbyteri,

^P Leon. epist. 56. in Isidori collect. in aliorum, 84. et 86. et 89.

sive diaconi, sive cujusque ordinis clerici, qui de Pelagianorum Celestianorumque consortio in communionem Catholicam ea imprudentia sunt recepti, ut non prius ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc, saltem postquam hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ et ipsis prodesse, et nullis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus sui superbi erroris auctores, et quicquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque decreta synodalia, quæ ad excisionem hujus hæreseos apostolicæ sedis confirmavit auctoritas, amplecti se, et in omnibus approbare, plenis et apertis ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum. Quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacunque particula dogmatis execrandi, qua se a damnatorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum. Cumque omnes definitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent atque deponere, hoc ibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt; ut gratia Dei secundum merita dari accipientium sentiatur. Quæ nisi gratis detur, non est gratia, sed merces, retributioque meritorum," &c.

" Cavendum ergo dilectioni tuæ est, magnaue diligentia providendum, ne per hujusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur: et de exciso olim dogmate aliquod in provincia tua ejusdem mali germen oriatur; quod non solum in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspitione se purgent; et obediendo nobis probent se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectarit, sive ille clericus sive sit laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur; ne perditur animæ suæ, salutem insidiatur alienam."

Post Leonis adversus nascentem istam hæresim Ecclesiæ navatam operam, de Prosperi contra Semipelagianos, e putrida veteris hæreseos stirpe Romæ denuo pullulantes, pugnam redintegrandis successu prospero,

patriarcha Photius^q ista subjicit: “Μετ’ οὐ πολὺ δὲ πάλιν, ὡσπερ ἀναφύειν τῆς πικρᾶς ρίζης ἀναισχυντούσης, ἐν τῇ Ῥώμῃ τινὲς ὑπὲρ τῆς αἰρέσεως ἐπαρρησιάζοντο: ἀλλὰ Πρόσπερός τις, ἄνθρωπος ὡς ἀληθῶς τοῦ θεοῦ, λιβέλλους κατ’ αὐτῶν ἐπιδιδωκῶς, ἀφανεῖς αὐτοὺς ἀπειργάσατο, ἔτι Λέοντος τοῦ προειρημένου τὸν Ῥωμαϊκὸν θρόνον ἰθύνοντας. Post non diu rursum veluti existere atque enasci e mala radice impudenter cum cœpisset, Romæ etiam quidam pro hæresi libere locuti sunt: quos Prosper, homo sane divinus, libellis adversus eos in vulgus editis facile dissipavit extinxitque, Leone etiamnum, quem diximus, Romanam sedem gubernante.” Adversus istos postremum ab eo editum opus fuisse videtur, quum Romæ Leonis notarium ageret, quod Περὶ ἀχαρίστων inscripsit: in quo eorum κυρίαν δόξαν, qua voluntatis divinæ efficaciam a libero humanæ voluntatis arbitrio totam pendere statuebant, ita refellit et coarguit.

Sed^s tamen hæc aliqua si vis ratione tueri,
 Et credi tam stulta cupis: jam pande quid hoc sit,
 Quod bonus omnipotensque Deus non omnia subdit
 Corda sibi, pariterque omnes jubet esse fideles?
 Nam si nemo usquam est, quem non velit esse redemptum,
 Hand dubie impletur quicquid vult summa potestas.
 Non omnes autem salvantur, magnaue pars est
 Quæ sedet in tenebris mortis, nec vivificatur.
 An varii motus animorum talia gignunt?
 Libertasque facit causam non omnibus unam?
 Ergo hominis valida arbitrio divina voluntas,
 Aut etiam invalida est, operis cui finis in illo est.
 Quem frustra juvisse velit, nisi præferat ille
 Affectum, cujus comitetur gratia cursum, &c.

At^t vero omnipotens hominem cum gratia salvat,
 Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
 Semper adest quæ gesta velit, non moribus illi
 Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.
 Nec quod sola potest, cura officioque ministri
 Exequitur, famulise vicem committit agendi:
 Qui quamvis multa admoveant mandata vocantis,
 Pulsant, non intrant animas. Deus ergo sepultos
 Suscitât, et solvit peccati compede victos.

^q Phot. bibliothec. num. 54.

^r Vid. supr. cap. 8. pag. 251.

^s Prosp. de Ingratis, cap. 13.

^t Ibid. cap. 15.

Ille obscuratis dat cordibus intellectum :
 Ille ex injustis justos facit, indit amorem
 Quo redametur amans : et amor quem conserit, ipse est.
 Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua vitam,
 Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescant,
 Quo stulti sapere incipiunt, ægrique valescunt ;
 Nemo alii dat, nemo sibi, non litera legis,
 Nec naturalis sapientia : quæ semel acta
 In præceps labi novit, consurgere nescit.

Et demum, apostrophe ad Deum facta, totum opus sic
 concludit:

Non^o autem hoc curam minui, studiumque resolvi
 Virtutum, aut opus ingenii torpere putandum est,
 Quod bona sanctorum tua sunt ; et quicquid in illis
 Aut sanum aut validum est, de te viget : ut videatur
 Nil actura hominis, te cuncta gerente, voluntas.
 Quæ sine te quid agit ? nisi quo procul exulet a te,
 Præcipientes semper calles et devia motu
 Ingressura suo : nisi fessam tu bone et ægram
 Suscipias, referas, foveas, tuearis, honestes.
 Tunc fiet cursus velox, oculique videntes,
 Libera libertas, sapiens sapientia, justum
 Judicium, et fortis virtus, et sana facultas.
 Hujus opis semper, Pater, indigeamus : ab ipsa
 Prodeat arbitrium nostrum ; nihil, hac sine, sensus
 Corporei possunt, opus ut servile quiescat.
 Et tua dum in nobis agitur, non nostra, voluntas ;
 Legitima in sanctis ducamus sabbata festis.

Ad secundum S. Germani in Britanniam contra Pela-
 gianos susceptum iter jam accedo : quod non multo post
 prius tempore interposito contigisse volunt Beda^v, Vin-
 centius^x, et in quarto de vita ipsius libro Erricus Antissio-
 dorensis ita canens :

Vix præsul positus humeros subduxerat armis
 Immensum fessus, propriamque reviserat urbem :
 Ecce ferebantur precibus mandata coactis
 Cunctorum, qui quæ fuerant ex parte piorum,
 In miseris iterum pestem recidisse Britannos
 Dogmatis insani.

^v Prosp. de Ingratis. cap. ultim.

^w Bed. histor. ecclesiastic. lib. 1. cap. 21.

^x Vincent. specul. historial. lib. 20. cap. 10.

Verum longius inter utrumque intercessisse spatium, ex tempore mortis S. Germani colligimus; paulo post secundam hanc legationem illum obiisse, et Constantius, et reliqui omnes consentiunt. Et quidem "ex probatissimis authoribus Germanum obiisse anno salutis CCCCXXXV." constare Camdenus⁷ ait: quum tamen ante Baronium, chronologum profecto non optimum, nullus omnino author id affirmet: et Gallicano concilio in causa Chelidonii episcopi post novennium habito Germanum interfuisse testetur, qui tum vixit, Honoratus⁸ Massiliensis episcopus. Anno CCCCXLVIII. expiravisse illum notat Carolus Sigonius⁹. Eo anno eundem, "cum Severo Treverensi episcopo iterum ad Britanniam missum, nascentem Pelagianam hæresim confutavisse, et sequente anno in Italiam profectum mortuum esse," ait vulgatus Sigebertini chronici interpolator. Anno CCCCXLVIII. Robertus Antissiodorensis, anno proxime sequente Nussiensis monachus in magno chronico Belgico, Germanum Britanniam iterum invisisse significat: Constantinus Ghinius, in sanctorum canonicorum natalibus Julii 31. vel author potius, ut ex MS. Sarisburiensi liquet, qui de translatione S. Germani tractatum illi subject: in quo ista legimus: "Sedit autem idem Dominus et apostolicus noster sanctissimus Germanus in episcopali cathedra annos triginta, dies viginti et quinque. Obiit vero plenus Spiritu sancto apud Ravennam Italiæ civitatem pridie Calendas Augustas; Valentiniano adhuc juvene imperante cum Placida matre."

Quinetiam ad annum CCCCLI. pervenisse, illa scriptoris actorum S. Genovefæ significare videntur, de secunda hac Germani profectione agentis: "Et urbe (Parisiorum) egressus, cursum est dispositi itineris executus: Eodem tempore Actila rex Hunnorum provincias Galliæ gravi cœperat populatione vastare." Matthæus Florilegus secundam hanc legationem ad annum CCCCXLIX. mor-

⁷ Camden. Britann. pag. 94, 95.

⁸ Vit. Hilarii Arelatens. in Vincentii Barralis chronolog. Lerinens. part. 1. pag. 112. ubi pro *cæli domum* reponit *Chelidonium*. Vid. tom. 1. concillior. Galliæ, pag. 79. et 597. b.

⁹ Sigon. de occidental. imper. lib. 13.

tem Germani, ex Sigeberti sententia, ad annum CCCCL. refert: quo etiam anno illum obiisse, non solum Sigebertus, (ex MSS. codicibus ab Auberto Miræo editis) sed etiam Robertus Antissiodorensis^b, Vincentius Bellovacensis^c, et Antissiodorensium^d episcoporum indiculi affirmant. Pro Sigonii tamen sententia facit Constantius: dum Calendas Maias^e, quibus S. Amator vita functus est, in quartam feriam incidisse scribit, eoque characterem ad annum CCCXVIII. recta nos ducit, atque post eum sedisse^f Germanum in episcopali cathedra annos triginta, dies viginti et quinque subjicit. Ut manifesti convincatur erroris Hector Boethius^g, qui tradit post annum demum Domini quingentesimum, Uthero Pendracone regnum Britannicum administrante, S. Germanum in Britanniam secundo adventantem “obtinuisse apud Occam Saxonum regem in Anglia, virum a Christi pietate alienum, motum tamen vitæ ipsius integritate, doctrina et miraculis, ut impune inter Saxones Christi dogma prædicaret, capitali pœna indicta in eos qui Germanum aut Severum vel levi afficerent injuria: Kenricum Saxonem, immanem in Christi cultores hostem, quod S. Germanum cum comitibus, dum Christi doctrinam piis concionibus seminaret, multa aeris intemperie noctem totam sub dio permanere coegisset, a rustica turba multis injuriis postridie acceptum, agresti manu crudeliter esse interfectum.” Germanum denique et Severum victoriam illam Alleluaticam^h obtinuisse; quam ille cum Veremundo suo ad secundum hunc, quam cum Constantio et Beda ad primum Germani ad Britanniam adventum referre maluit.

Hujus vero posterioris profectionis occasionem ita explicat Constantius: “Intereaⁱ ex Britanniiis nunciatur, Pelagianam perversitatem iterato, paucis autoribus, dilatari.

^b Chronolog. Antissiodorens. edit. Trecis, ann. 1608.

^c Vincent. Specul. historial. lib. 20, cap. 15.

^d Aut. Demochar. de sacrificio Missæ, tom. 2. cap. 19. Johan. Chenu, in episcoporum Galliæ, chronolog. pag. 224.

^e Constant. vit. S. Germani, lib. 1. cap. 5.

^f Id. lib. 2. cap. ult.

^g Boeth. Scotor. histor. lib. 9.

^h Supra, cap. 11. pag. 331.

ⁱ Id. lib. 2. cap. 1.

Rursusque ad beatissimum virum preces omnium deferuntur, ut causam Dei, quam prius obtinuerat, tutaretur. Quorum petitioni festinus occurrit; dum et laboribus delectatur, et Christo se gratanter impendit." Etsi autem vixerit tunc S. Lupus Tricassinus episcopus, atque etiam annos ad triginta S. Germano superstes fuerit; non ille tamen itineris comes jam accessit, sed "discipulus^k ipsius Severus, totius^l sanctitatis vir, (uti eum celebrat Constantius) qui tunc Treveris ordinatus episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum vitæ prædicabat." Neque enim audiendi hic Petrus Merssæus Cratepolius et Petrus Bertius, qui in Trevirensium archiepiscoporum catalogo, Severum non solum cum S. Germano et Lupo in Britanniam profectum fuisse, quod ex chronicis pontificum Treverensium a Nussiensi quoque monacho in magno chronico Belgico est proditum, sed etiam, quod temporum ratio nullo modo patitur, anno salutis nostræ CCCCXX. (circa quem et Germani obitum non minus falso Jacobus Januensis^m collocat) mortem obiisse, inconsulte pronunciaverunt. Sed secundæ hujus legationis historiam ita pergit narrare Constantius. "Intereaⁿ sinistri spiritus pervolantes per totam insulam, Germanum venire, invitis vaticinationibus, nunciabant: in tantum, ut Elaphius quidam regionis illius primus in occursum sanctorum sine ulla manifesti nuncii relatione properaverit; exhibens secum filium, quem in ipso flore adolescentiæ debilitas dolenda damnaverat, erat enim arecentibus nervis, contracto poplite, cui per siccitatem^o crucis usus negabatur vestigii. Hunc Elaphium^p provincia tota subsequitur, veniunt sacerdotes, occurrit insecia multitudo: confestim benedictio et sermonis divini doctrina profunditur. Recognoscit populum in ea quam reliquerat credulitate durantem: intelligunt culpam esse paucorum; inquirunt auctores, inventosque condemnant: cum subito

^k Bed. hist. ecclesiastic. lib. 1. cap. 21. et vit. S. Lupi, apud Surium, tom. 4. Jul. 29.

^l Constant. lib. 2. cap. 2.

^m Legend. Aur. cap. 102.

ⁿ Id. lib. 2. cap. 3. et 4.

^o *præ siccitate* (MSS.)

^p *Helasium* MS. Col.

Elaphius^a pedibus^r advolvitur sacerdotum, offerens filium ;
cujus necessitatem ipsa^s debilitas etiam sine precibus alle-
gabant. Fit communis omnium dolor : præcipue sacerdo-
tum, qui conceptam misericordiam ad divinam clementiam
contulerunt. Statimque adolescentem beatus Germanus
sedere compulit, attrectat poplitem debilitate curvatum, et
per tota infirmitatis spatia medicabilis dextra percurrit.
Salubrem tactum sanitas festina subsequitur, ariditas suc-
cum, nervi officia receperunt ; et in conspectu omnium filio
incolumitas, patri filius reformatur^t. Implentur populi
stupore miraculi, et in pectoribus omnium fides Catholica
inculcata^u firmatur. Prædicatio deinde ad plebem de
prævaricationis emendatione convertitur : omniumque sen-
tentia pravitate auctores expulsi ab insula, sacerdotibus
adducuntur, ad mediterranea deferendi ; ut et regio abso-
lutione, et illi emendatione fruerentur. Quod in tantum sa-
lubriter factum est, ut in illis locis etiam nunc fides inte-
merata perduret.”

Scripta autem hæc sunt, Antissiodorensis episcopatum
administrante Censurio : ad quem ab excessu S. Germani
quadraginta plus minus annos intercessisse, ejusdem ec-
clesiæ monachus Erricus in duorum librorum, quos de
Germani miraculis soluta oratione edidit, præfatione col-
ligit. In quarto vero librorum illorum sex, quos ad Caro-
lum Calvum de ejusdem vita carmine conscripsit, secundæ
hujus legationis historiam exponit idem ; posteriore narra-
tionis parte hisce versibus expressa :

Hinc sacer ad plebem sermo convertitur omnem
De lapsu, seu quæ reparent impendia lapsum.
Obtinet immotis columnen fundata columnis
Tuta fides : fidei pugnant pro fœdere cuncti.
Perpauci suberant detectæ fraudis alumni.
Sistuntur : cunctis eadem sententia perstat,
Mulctare exilio jugi ; sic insula felix
Tartarea tum peste carens, insignibus almæ
Nunc etiam fidei casto splendore coruscat.

De S. Germani et Vortigerni Britannorum regis con-

^a *Helasius* (MS. Cot.)

^r *Al. manibus* (MS.)

^s *Ætas et* (MSS.)

^t *restituatur.*

^u MS.

gressu, in Ninii collectaneis hæc invenimus : “ Super omnia mala adjiciens Guorthigirnus, accepit filiam suam in uxorem sibi : quæ peperit ei filium. Hoc autem cum compertum esset a sancto Germano, venit corripere regem cum omni clero Britonum. Et dum conventa esset magna synodus clericorum ac laicorum in uno concilio ; ipse rex præmonuit filiam suam ut exiret ad conventum, et ut daret filium suum in sinum Germani, diceretque quod ipse erat pater ejus : ac ipsa fecit, sicut edocta erat. S. Germanus autem eum benigne accepit, et dicere cœpit : Pater tibi ero, nec te permittam, nisi mihi novacula cum forcipe pectineque detur, et ad patrem tuum carnalem tibi dare liceat. Mox ut audivit puer, ad avum suum patremque carnalem Guorthigirnum perrexit, et dixit illi : Pater meus es tu ; caput meum tonde, et comam capitis mei pecte. Ille autem siluit, et puero respondere noluit ; sed surrexit iratusque est vehementer, et ut a facie S. Germani fugeret quærebat : et maledictus est et damnatus a B. Germano et omni Britonum concilio.”

Et, ne complendæ fabulæ quid deesset ; Samuel Benlani filius, sive quis alius ille fuerit qui Ninio centones suos assuit, dignum patella ista adjecit hoc operculum : “ Guorthomir filius Guorthigirni in synodo habita apud Guarthernaiun, postquam nefandus rex ob incestum quem cum filia commiserat a facie Germani et clericorum Britannia in fugam iret, patris nequitia consentire noluit ; sed rediens ad S. Germanum, ad pedes ejus cecidit veniam postulans : atque pro illata a patre suo et sorore S. Germano ealumniâ, terram ipsam in qua prædictus episcopus opprobrium tale sustinuit in æternum suam fieri sancivit : unde et in memoriam S. Germani Guartheuniaun nomen accepit ; quod Latine sonat, Calumniâ juste retorta : quoniam cum episcopum vituperare putaverat, semetipsum vituperio affecit.” Cambro-Britannis enim gwarth improprium vel calumniâ, uniawn rectum vel justum denotat : et apud illos regio hæc, in Powisia sita, Gurthrenion^w adhuc dicitur.

^w Vid. Humfred. Lhyudi fragment. Britannic. descrip. fol. 20, 21. et Camden. in Radnorshire. pag. 479. vid. supra, cap. 5. pag. 84.

Ex horrendo autem illo incestu sanctum Faustum natum fuisse aiunt: "quem S. Germanus," inquit Ninius, "baptizavit, enutrivit atque docuit; et condidit locum magnum super ripam fluminis quod vocatur Renis, et manet usque hodie." Is vero Remnius fluvius esse putatur; quem Monemuthenses hodie a Morganensibus disternare diximus^x.

De ipsius etiam Vortigerni exitu addit ista Ninius: "Sanctus Germanus Guorthigirno prædicabat, ut ad Dominum se converteret: at ille usque ad regionem quæ a nomine suo acceperat nomen, scilicet Guorthigirniaun, miserabiliter aufugit; ut ibi cum mulieribus suis lateret. Sanctus itaque Germanus eum persecutus est cum omni clero Britonum: et ibi quadraginta diebus totidemque noctibus mansit; et super petram orabat, ibique die ac nocte stabat. Et iterum Guorthigirnus usque ad arcem quam ædificaverat et nomen suum imposuerat, atque in regionem Dimetorum juxta flumen Teibi ignominiose accessit. Solito autem more S. Germanus eum secutus est; et ibi jejunos, cum omni clero, tribus diebus totidemque noctibus casualiter mansit. In quarta vero nocte arx tota circa mediæ noctis horam per ignem de cælo missum ex improvise cecidit, ardente igne cælesti: et Guorthigirnus, cum omnibus qui cum eo erant et cum uxoribus suis, defecit. Hic est finis Guorthigirni, sicut in libro B. Germani reperi: alii autem aliter dixerunt."

Similia de Vortigerni interitu ex eadem fabulosa B. Germani legenda (neque enim horum apud Constantium aut Bedam quicquam extat) Henricus Huntingdoniensis^y et Johannes Gerbrandus Leidensis^z retulere. Verum Galfridus^a, et eum secutus Matthæus Florilegus^b, ab Aurelio Ambrosio et exercitu ipsius combustum fuisse Vortigernum narrat, admoto igne turri ad quam confugerat in oppido Genoreu: quod ad Vagam^c fluvium positum, prope Monemutham ipsius Galfridi patriam, adhuc nomen suum

^x Supra, cap. 5. pag. 101.

^z Chronic. Belgic. lib. 1. cap. 9.

^b Flor. hist. ann. 466.

^y Huntingd. hist. lib. 2.

^a Hist. Britann. lib. 8. cap. 2.

^c Vid. supra, cap. 5. pag. 84.

retinet. Quod autem subdit Ninius, “ B. Germanum reversum esse post mortem Guorthigirni ad patriam suam, et S. Patricium fuisse in illo tempore captivum apud Scotos;” cum temporum ratione non potest consistere: nisi ante annum Domini quadringentesimum Saxones a Vortigerno accersitos fuisse statuamus; quando Britanniam sub Romanorum adhuc imperio permansisse clarum est. Sed ad illum Saxonum adventum explicandum convertendus nunc est sermo; ab actis S. Germani facto transitu,

Qui oceano fidei refugas et dogma nefandum
Reppulit, et signis te picta Britannia texit.

Hoc enim elogio, in Wandelberti Prumiensis^d diaconi martyrologio, ornatum illum legimus.

Post abitum igitur S. Germani, et mox secutum obitum, de Scotorum et Pictorum adventu subito sparsus rumor Britannorum mentes percudit; acerbissima deinde peste miserorum corpora depascente: de quibus ita Gildas, “ Volente Deo purgare familiam suam, et tanta malorum labe infectam auditu tantum tribulationis emendare; non ignoti rumoris penniger ceu volatus arrectus omnium penetrat aures, jam jamque adventus veterum hostium, volentium penitus delere et inhabitare solito more a fine usque ad terminum regionem. Nequaquam tamen ob hoc proficiunt: sed comparati jumentis insipientibus, strictis morsibus rationis frænum obfirmantes, per latam diversorum vitiorum ad mortem proclive ducentem, relicto salutari, licet arcto, itinere, discurrebant viam. Dum ergo, ut Salomon ait, *Servus^e durus non emendatur verbis; Flagellatur stultus et non sentit.* Pestifera namque lues feraliter insipienti populo incumbit: quæ in brevi tantam ejus multitudinem remoto mucrone sternit, quantam ne possent vivi humare.”

“ Sed ne hac quidem emendatur: ut illud Esaiæ prophetæ in eo quoque impleretur dicentis, *Et^f vocavit Deus*

^d Wandelbert. martyrolog. Calend. Octob.

^e Prov. cap. 29. ver. 19. et cap. 17. ver. 10. juxta LXX.

^f Esai. cap. 22. ver. 12, 13.

ad plañctum, et ad calvitium, et ad cingulum sacci: Ecce vitulos occidre et jugulare arietes, ecce manducare et bibere et dicere; Manducemus et bibamus, cras enim moriemur: appropinquabat siquidem tempus, quo ejus iniquitates, ut olim Amorræorum, complerentur. Initur namque consilium, quid optimum quidve saluberrimum ad repellendas tam ferales et tam crebras supradictarum gentium irruptiones prædasque decerni deberet. Tum omnes consiliarii, una cum superbo tyranno, cœcantur; advenientes tale præsidium imo excidium patriæ, ut ferocissimi illi nefandi nominis Saxones, Deo hominibusque invisî, quasi in caulas lupi, in insulam ad retundendas aquilonales gentes intromitterentur. Quo utique nihil ei usquam perniciosius, nihilque amarius factum est.”

At non a Britannis invitatos, sed a suis “ e Germania in exilium pulsos,” Ninius; speciatim vero “ ex Frisia depulsos,” huc eos advenisse, Johannes Leidensis^f narrat. Atque ut Galli olim, referente Trogo^h, “ abundante multitudine, cum eos non caperent terræ quæ genuerant trecenta millia hominum ad sedes novas quærendas velut peregrinatum miserunt :” ita hic quoque, ex antiqua Saxonice gentis consuetudine, hominum in ea superveniente abundantia, sorte hos electos fuisse significat Galfridus Monemuthensisⁱ, “ qui extera regna petaturi, victum sibi perquirant; ut patria ex qua orti sunt a superflua multitudine liberaretur.” De quo et Gottefridus Viterbiensis consulendus, in octodecima parte sui chronici. Cum Gilda tamen faciunt etiam Beda^k, Paulus^l diaconus, Lupus Servatus^m, Fabius Ethelwerdus, annales Anglo-Saxonici, Henricus Huntingdoniensis, Matthæus Florilegus, et alii: qui a Britannis, et eorum rege Vurtigerno sive Guortigerno, quem superbi et infausti tyranni titulo designat Gildas, accersitos accessisse commemorant. Quibus accedit et Wi-

^f Jo. Gerbrand. chronic. Belg. lib. 1. cap. 9.

^h Justin. epitom. lib. 24.

ⁱ Hist. Britan. lib. 6. cap. 20. Vid. Gottefrid. Viterbiens. chronic. part. 18.

^k Bed. hist. ecclesiast. lib. 1. cap. 14. et lib. 2. cap. 5. et in epitomæ, ad ann. 449.

^l Paul. diac. addit. ad Eutrop. lib. 14.

^m Lup. in vit. S. Wigberti cap. 1.

tichindus Saxo, Britannicæ hujus legationis acta sic exponens :

“ Famaⁿ prodente de rebus a Saxonibus prospere gestis, supplicem mittunt legationem ad eorum postulanda auxilia. Et procedentes legati ; Optimi, inquirunt, Saxones, miseri Bracti^o crebris hostium incursionibus fatigati et admodum contriti, auditis victoriis a vobis magnifice patris, miserunt nos ad vos, supplicantes ut ab eis vestra auxilia non subtrahatis. Terram latam, et spatiosam, et omnium rerum copia refertam, vestræ mandant ditioni parere. Sub Romanorum hæcenus clientela ac tutela liberaliter viximus ; post Romanos vobis meliores ignoramus : ideo sub vestræ virtutis alas fugere quærimus. Vestra virtute, vestris armis hostibus tantum superiores inveniamur ; et quicquid imponitis servitii libenter sustinemus. Patres ad hæc pauca respondent : Certos amicos Bractis Saxones sciatis, et eorum necessitatibus atque commodis æque semper affuturos. Legati læti redierunt in patriam ; exoptato nuncio socios lætiores reddentes.”

Gulielmus Malmesburiensis, utraque sententia simul juncta, rem ita gestam narrat : “ Placuit^p omnibus, Anglos et Saxones e Germania evocandos ; armis validos, sedibus vagos. Geminum futurum commodum : ut armis invicti facile hostes propulsarent ; et hæcenus locorum incerti, pro ingenti annumerarent beneficio, si vel squallidum solum jejunumque cespitem ad habitandum suscepissent. Cæterum nunquam eos aliquid contra patriam molituros ; quoniam genuinam feritatem morum emolliret memoria beneficiorum. Probato consilio, mittuntur in Germaniam legati ; spectabiles sane viri, et qui digne personam patriæ induerent. Germani audientes rem mille votis petitam a se ultro expostulari, vicino pede paruerunt ; celeritatem negotii lætitiæ stimulis maturantes. Valedicentes igitur arvis genitalibus, renunciantes parentum affectibus, fortunæ vela committunt placidoque ventorum favore, tribus longis navibus quas illi Ciulas vocant, Britanniam allabun-

ⁿ Witichind. gestor. Saxonior. lib. 1. pag. 3. edit. Basil. ann. 1532.

^o Al. *Bretti*, h. e. Britanni.

^p Malmesb. de gest. reg. Angl. lib. 1. cap. 1.

tur. Venerunt autem et tunc et sequenti tempore de tribus Germaniæ populis, Anglis, Saxonibus, Jutis.”

“ Omnis enim fere terra quæ trans oceanum Britannicum sub septentrionali axe jacet, quia tantum hominum germinat, non injuria Germania vocatur; licet multis provinciarum limitibus distincta. Quapropter sicut hi, quibus id muneris est, lascivientes arboris ramos solent succidere, ut reliquorum vitæ succo suo possit sufficere; sic incolæ aliquorum expulsionem matrem alleviant, ne tam numerosam prolem pastu exhausta succumbat: sed, ut facti minuant invidiam, sorte ducunt eliminandos. Inde est quod illius terræ homines invenerunt sibi ex necessitate virtutem; ut natali solo ejecti peregrinas sedes armis vendicarent: sicut Wandali qui olim protriverunt Africam, sicut Gothi qui possederunt Hispaniam, sicut Longobardi qui adhuc obsident Italiam, ut Normanni qui partem Galliæ armis domitantes vocaverunt Normanniam. Ex hac ergo Germania primo venit in Britanniam parva quidem manus, sed quæ paucitatem suam virtute fulciret, ducibus Hengisto et Horsa commodæ indolis fratribus, haud obscura stirpe apud suos oriundis. Erant enim abnepotes illius antiquissimi Woden, de quo omnium pene barbararum gentium regionum genus lineam trahit; quemque gentes Anglorum Deum esse delirantes, ei quartum diem septimanæ, et sextum uxori ejus Freæ perpetuo ad hoc tempus consecraverunt sacrilegio:” de quibus Barbarorum idolis Adamus Bremensis etiam est consulendus, et cum Paulo⁹ diacono conferendus.

Primi hi Anglo-Saxonum duces “erant filii Victgisli, cujus pater Vitta, cujus pater Veta, cujus pater Woden; de cujus stirpe multarum provinciarum regionum genus originem duxit:” ut habet Beda^r, ex antiquissimis exemplaribus integritati suæ hic a nobis restitutus. Vetam sive Wehtam illum, in libris editis prætermissum, Witharum appellat Fabius Ethelwerdus: de patre quoque ipsius Wodeno, “rege multitudinis Barbarorum,” ita subdens: “in tanta etenim seductione oppressi Aquilonales increduli, ut Deum colant

⁹ De gestis Longobardorum lib. 1. cap. 8. et 9.

^r Bed. hist. lib. 1. cap. 15.

usque in hodiernum diem: videlicet Dani, Northmanni quoque, et Suevi; de quibus Lucanus,

Fundit ab extremo flavos aquilone Suevos."

Quia vero hic maxima rerum in Britannia facta est conversio: non abs re fortasse fuerit, ex quibus Germaniæ provinciis advenæ illi huc migraverint, et quibus in locis sedes hic deinum fixerint, declarare.

Ex tribus Germaniæ provinciis, unde novæ huc deductæ sunt, coloniæ, Jutia antiquum adhuc nomen retinet; regni Danici membrum notissimum. Partium enim illius regni, ut in hodiernæ Daniæ descriptione habet Jonas Koldingensis, "spaciosissima et populosissima Gothia est: cujus nominis loco, syllaba priori paululum vitata, nunc cognatum retinetur, et Jutia dicitur." Antiquam tamen esse Jutiæ et Jutlandiæ appellationem, non ex Adamo Bremensi tantum et Saxone Grammatico, sed etiam ex Beda liquet; qui ejus regionis incolas non semel Jutas nominat. Sic enim omnes quos consului MSS. Bedæ codices legunt, consentientibus etiam Florentio Wigorniensis, Guilielmo Malmesburiensi, Henrico Huntingdoniensi, Matthæo Westmonasteriensi, Ranulpho Cestrensi, et aliis: non Vitas, ut libri habent editi. Legum Edvardi confessoris interpolator Gutos eos appellat; ita de eis scribens: "Guti⁵ similiter cum veniunt suscipi debent et protegi in regno isto Britannia sicut conjurati fratres, sicut propinqui et proprii cives regni hujus. Exierunt enim quondam de nobili sanguine Anglorum, scilicet de Engra civitate, et Anglici de sanguine illorum; et semper efficiuntur populus unus et gens una. Ita constituit optimus Ina rex Anglorum." Fabius Ethelwerdus Giotam provinciam appellat, et incolas Giotos; quos annales Petrobургenses Anglo-Saxonici, ut et liber Bedæ Saxonicus, *geatum* et *iotum* vocant. Quo et Asserii Menevensis illud referendum, de Oslaco Ælfredi regis materno avo verba facientis: "Oslac Gothus natione: ortus enim erat

⁵ Bed. hist. lib. 1. cap. 15. et lib. 4. cap. 16.

¹ Guil. Lambard. *Ἀρχαιολογία*, fol. 137.

de Gothis et Jutis." Ita enim ex autographo legendum est; non, ut in Francofurtensi editione vitiosissime habetur, Indis. Atque ut ad indigenas hos respectu habito, Gothorum regis titulum rex Daniæ lucusque retinet: ita videndum an non ad eorum propaginem illud Belisarii spectet, in colloquio cum Gothorum legatis, apud Procopium, libro secundo de bello Gothico: "Ἡμεῖς δὲ Γότθους Βρεττανίαν ὄλην ξυγχωροῦμεν ἔχειν, μείζω τὸ παραπολὸν Σικελίας οὔσαν, καὶ Ῥωμαίων κατήκουον τὸ ἀνέκαθεν γεγενημένην. Nos item Britanniam Gothos habere sibi permittimus, Sicilia longe præstantiorem, et Romanorum quondam ditionis effectam." Quanquam communi Gothorum nomine universas hæc aquilonares gentes eo tempore a Græcis comprehensas fuisse, Johannes Philoponus significet: *Γότθους γὰρ, αὐτὸς ἵλε^u, τοὺς βορείους πάντας βαρβάρους προσαγορεύειν εἰώθασιν.*

Sequitur "Anglia vetus, sita inter Saxones et Giotos; habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico Sleswic nuncupatur, secundum vero Danos, Haithaby," ut habet Ethelwerdus, et Guilielmus Malmesburiensis^v cum secutus. Est autem hæc Sleswicensis ducatus et episcopatus urbs notissima: de qua Adamus Bremensis: "Sliaswig, quæ et Heithebu dicitur; brachium quoddam freti Barbari (sive Balthici) alluit, quod Sliam vocant; unde et civitas nomen trahit." Inter Sliam vero et Flensburgicum sinum interposita est illa Ethelwerdi vetus Anglia; quæ adhuc etiam ab incolis Anglen, ab Alberto Krantzio et aliis Latine scribentibus Anglia appellatur. Apud Bedam^w, "illa patria Angulus dicitur, (ita enim scripti codices legunt, non ut editi, Anglia:) et ab eo tempore ut addit idem, quo Angli inde in Britanniam migraverunt, "usque hodie manere desertus inter provincias Jutarum et Saxonum perhibetur." Postea tamen a Jutis occupatam, ex Adamo Bremensi intelligimus: "Danos, quos Juthas appellant, usque ad Sliam lacum habitare" referente. Indequè Sleswicensis ducatus et olim ducatus Jutiæ dice-

^u Johan. Grammatic. in Aristotel. Meteor. lib. 1. fol. 106. b.

^v Malmesb. de gest. reg. Angl. lib. 2. cap. 2.

^w Bed. lib. 1. cap. 15.

batur, et hodie intra meridionalis Jutiæ terminos totus comprehenditur.

Angliæ veteri finitima erat Saxonia; quæ Bedæ, Asserii, et Ethelwerdi tempore Ealdsexe, sive antiquorum Saxonum regio cognominata est: et ipsa in Cimbrica Chersoneso posita: “Σάξονες, ἔθνος οἰκοῦν τῇ Κυμβρικῇ Χερρόνησῳ. Saxones, gens habitans in Cimbrica Chersoneso:” inquit Stephanus Byzantinus: nempe, “ἐπὶ τὸν ἀνχίνα τῆς Κυμβρικῆς Χερσονήσου, in cervice vel faucibus Cimbricæ Chersonesi:” ut Ptolemæus in quarta Europæ tabula, et Marcianus Heracleotes in Periplo, magis distincte explicant. Vetus enim Saxonia ea fuit quæ, quod ab Albi fluvio Boream versus protenderetur, Nortalbingia postea est dicta: fluminibus Albi, Billa et Trava, infima; Eidora vero et Sliã, suprema sui parte terminata. Et quidem eundem australem Saxonibus suis limitem statuit Ptolemæus, inter Albis et Chalusì (sive Travæ, Lubecam hodie alluentis) ostiã eos collocans: borealem, Eginhardus in annalibus* suis, ad annum Domini DCCCVIII. de Godefrido Danorum rege agens, his verbis designat: “Limitem regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit; eo modo, ut ab orientali maris sinu, quem illi Ostersalt dicunt, usque ad occidentalem oceanum totam Egidoræ fluminis aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret.” Et in libello de Daniæ et septentrionalium gentium situ ac natura, Adamus Bremensis: “Daniam a nostris Nortalbingis flumen Egdora dirimit, quod oritur in profundissimo saltu paganorum Isarnho, et extenditur secus mare barbarum usque ad Sliam lacum.” De populis vero Transalbianæ hujus (ut appellat) Saxoniam, alibi addit idem: “Transalbianorum^y Saxonum^z tres sunt populi: primi ad oceanum Dithmarsì; et eorum ecclesia Mildenthorp. Secundi Holsati, dicti a sylvis, quas accolunt. Eos Sturia flumen interfluit: quorum ecclesia Sconenfeld. Ter-

* Hist. Franc. script. ab Andrea du Chesn. edit. tom. 2. pag. 254, 255. colat. cum pag. 45. et 83.

^y Adam. hist. ecclesiastic. lib. 2. cap. 9.

^z Transalbianos etiam Saxones eos vocat Eginhardus in annalib. ad ann. 802. pag. 42.

tii, qui et nobiliores, Stormarii dicuntur, eo quod seditio-
nibus illa gens frequenter agitur: inter quos metropolis
Hamburg caput extollit." Extant Ludovici Pii imperatoris
literæ Aquisgrani datæ; in quibus de hujus metropolis
fundatione leguntur ista: "Statuimus unanimi consensu
ecclesiastico, ultima in regione Saxonica trans Albim in
loco nuncupato Hammeburgck, cum universa Nordalbin-
giorum ecclesia proprii vigoris constituere sedem:" cum
quibus et illa Helmoldi in historia Slavica sunt confe-
renda: "Hamburgensis ecclesia præscriptos habet ter-
minos suæ parochiæ, ultimam scilicet partem Saxonix,
quæ est trans Albim, et dicitur Nortalbingia, continens
tres populos; Tethmarsos, Holsatos, Stormarios."

Vetus igitur Saxonica non Westphalia est, ut Theodo-
ricus Engelhusius, Wernerus Laerius, Albertus Krant-
zius, et recentiorum alii putaverunt, licet et illam subse-
cutis temporibus ab antiquiorum Saxonum posteris occu-
patam non inficior; sed ea potius quæ Holsatiæ ducatus
hodie dicitur; Holsatiam proprie dictam, Dithmarsiam,
Stormariam et Wagriam in se complectens. In latitu-
dine a Sleswicensi ad Hamburgensem urbem, in ultima
Saxonix parte positam; in longitudine a mari occidentali
ad orientale, sive ab oceano Germanico ad sinum Bal-
thicum protenditur: et veterem Franciam sibi habet ad-
jacentem, inter Albis et Rheni ostia interjectam. Ut
enim ad Rhenum usque pertigisse Francos, libro vigesimo,
ita Saxones^a iisdem confines extitisse, libro vigesimo sep-
timo docet Ammianus Marcellinus: et utrosque "Τῶν
ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον καὶ τὴν ἑσπερίαν θάλατταν ἔθνῶν τὰ μαχι-
μώτατα, earum quæ ultra Rhenum et mare occiduum
habitant nationes omnium bellicosissimas" fuisse, ora-

^a Inter Saxones et Alemanos sita erat Francia; ut scribit Hieronymus in Hi-
larionis vita, op. tom. 4. par. 2. pag. 81. et itineraria tabula Peutingerorum, (vid.)
Saxones et Francos communi usus lingua, ex Beda colligimus, lib. 1. cap. 25.
Et ut linguam Francicam Teudicam appellat Nithardus, hist. lib. 3. Teotiscam
Frodoardus, in chronic. ad annum 948. ita apud H. Spelman. in concil. pag.
301. lin. 29. Ex Anglicana synodo apud Magdeburgenses, centur. 8. cap. 9.
col. 586. quam illis debemus.

tione prima in laudem Constantii imperatoris confirmat Julianus.

Loca vero Britanniae a tribus istis gentibus insessa, ex Beda^b cum Guilielmo Malmesburiensi^c collato, in hac subiecta tabella conspicienda exhibemus.

Qui in Britanniam venerunt ex

Jutia ; possederunt	}	Cantium.
		Vectam insulam. Southantoniensis agri partem Vectae ob- jectam, qua Homelea ^d sive Humble fluvi- us oceanum intrat : quae licet ad provinciam occidentalium Saxonum pertineret, a pri- ma tamen sua origine iutnacynn, id est, Jutarum nationis appellationem Anglo- Saxonum temporibus retinuit.

Saxonia :	}	Australes ^e : Qui Suthsexiam tenuerunt ;
		Orientales : qui occupa- runt

}	Essexiam.
	Middlesexiam.
	Hertfordiae partem austra- lem.

^b Bed. hist. lib. 1. cap. 15.

^c Malmesbur. de gest. reg. lib. 1. cap. 6. Et Radulphus Niger, in chronico ; et Matth. Florileg. ann. 586.

^d Bed. lib. 4. cap. 16.

^e "Provincia australium Saxonum, quae post Cantuarios ad austrum et ad occidentem usque ad occidentales Saxones pertingit." Bed. lib. 4. cap. 13. Et partem Surræ. Guil. Lambard. Provincia Suthriæcum Suthseaxe, i. e. medii et australes Angli (Fab. Ethelwerd. chronic. lib. 3. cap. 2.) Saxones proculdubio, ut nomen Suthseaxe demonstrat, et Suthangliæ metropolis in appendice Florentii Wigorn. 560. Dorcestria statuitur in comitatu Oxoniensi.

ratione situs dis- tinctisunt in Saxo- nes.	}	Occidentales :	Suthreia ^f , sive Surria. Southantoniam; parte illa maritima excepta, quam a Jutis occupatam dixi- mus. Bercheria. Wiltoniam. Dorsettia. Somersetia ^l . Devonia. Cornubiam; licet maxima illi- us pars a veterum Britan- norum reliquiis ad nostra usque tempora retenta fuerit ^k .
		qui ^g antiqui- tus Gevissi ^h vocabantur. Habitave- runt autem. in comitatu	
	}	Orientalibus Anglis; in agris	Northfolcia. Suthfolcia. Cantabrigia ^l : cum Eli- ensi ^m insula et parte (ut videtur) etiam Bedford- iam.
Anglia;	}	Mediterraneis Anglis, sive Middilenglis; qui Leicestrensem provinciam incolue- runt, Merciorum ditioni subditam. Unde in Merciorum regno a Radulpho Nigro collocatur Leghecestresyre et Lindeseia. Et a Matthæo Florilego Leicestrensis provincia ⁿ .	

^f Quod Suthriona Bedæ lib. 4. cap. 6. Surrae, Gloucestræ et Devoniæ partes reliquas in se continebat. Guil. Lambard.

^g Bed. lib. 3. cap. 7. Vid. Asser. Menevens. initio vitæ regis Ælfredi.

^h In illa parte Angliæ, quæ in parte australi sita est fluminis Thamesis. Rog. Wendover. Matth. Paris. et Westmon. Hist. Roffens. in hist. anni 905. Meanvarorum provinciæ in gente occidentalium Saxonum meminit Beda lib. 4. cap. 13.

ⁱ Pro qua Sarisburiensem et Bathoniensem provinciam habet hic M. Florilegus.

^k Unde hic prætermittitur a Radulpho Nigro.

^l In Merciorum regno male ponitur a Matth. Florilego. Vid. eund. pag. 228.

^m Bed. lib. 4. cap. 19.

ⁿ Girvii dicebantur qui palustrem regionem in colebant in 4 Comit. Cantabrigiensi. Huntingdoniensi. Northamptoniensi. Lincolnensi. Camden. pag. 360. Australium Girviorum meminit Beda, lib. 4. cap. 19. Vide Ingulph. fol. 517. "Ad Afnae fluenta inchoat occidentalium terminus Anglorum, necnon Myrciorum (Fab. Ethelwerd. chron. lib. 4. cap. 4.) Bradanforda juxta fluvium

originem dederunt	Merciis; qui ^o Trenta fluvio dividebantur in	{ Lincolniæ. Northantonæ, (et quæ pars illius olim fuit) Rutlandiæ. Huntingdoniæ. Bedfordiæ ^p et Hertfordiæ ^q parte boreali. Buchingamiæ. Oxoniæ ^r . Glocestriæ ^s . Warwici. Wigornæ ^t . Herefordiæ ^u . Staffordiæ. Salopiæ. Cestriæ. Derbiæ. Nottinghamiæ.
	Australes : in comitatu	
	Aquilonares : in comitatu	
	Nordanhumbris : qui ad ^w borealem Hum- bri fluminis plagam habitantes ^x , distingu- ebantur in	
	Deiros : in	{ Lancastria. Eboracensi comitatu. Westmorlandia. Cumbriæ parte australi, cis Dervationem fluvium.
	Bernicios : in	{ Cumbriæ parte boreali, cum Westmorlandiæ portione illi contigua. Dunelmensi episcopatu. Northumbriæ ^y . Scotiæ parte australi; quæ

Afene." Id. lib. 2. cap. 7. Afrens sive Sabrina ut videtur : nam et occidentalium Saxonum et Merciorum terminus est : et statim in Ethelwerdo sequitur mentio ad Sabrinæ æstuarium posit. de quo supra, et Camden. pag. 255.

^o Bed. lib. 3. cap. 24.

^p Integram hic ponit Lambardus.

^q Integram hic ponit Florilegus. Vid. tamen eund. pag. 288. lin. 18. et 20.

^r In quo Dorcestria. ^s Partem tantum Merciis tribuit Lambard. male.

^t Lambardus non habet : est Wicciorum provincia.

^u Partem tantum tribuit Lambardus.

^w Bed. lib. 2. cap. 5. et 9.

^x Id. lib. 3. cap. 1. et 14. et lib. 2. cap. 14.

^y Reges Northanhumbriorum dominabantur in omni regione quæ ultra Hum-

ab oriente et occidenti mari Germanico atque Hibernico, meridie Solvaico æstuario et Tweda fluvio, a septentrione freto Dunbritannico et Edinburgico circumscriptur: Nordanhumbroborum enim regnum ad freta ista duo extensum, eorumque altero Scotorum, altero Pictorum ditionem terminatam fuisse; ex Bedæ² et aliorum historicorum certissimis testimoniis intelligimus.

In Deiræ et Berniciæ terminis definiendis, scriptores non conveniunt. "Regnum Deirorum a fluvio Humbro usque ad flumen Tyne extendebatur; regnum vero Berniciorum a flumine Tyne usque ad mare Scoticum porrigebatur:" ait, ex Alphredo Beverlacensi, Ranulphus Cestrensis^a: et post eum, Malmesburiensis monachus, in eulogii sui libro quarto "Regnum Deirorum," inquit, "a fluvio Humbre usque ad flumen Tyne se extendebat; regnum vero Berniciorum a flumine Tyne usque ad mare Scoticum, ubi nunc est villa sancti Johannis, porrigebatur: totum enim intermedium ad regnum Berniciorum pertinebat." Richardo autem priori Hagustaldensi, in operis de ecclesiæ suæ statu principio, "Deira ab Humbra incipiens ad Tesam fluvium terminabatur:" quam distinctionem et Humfredus Lhuydus^b est secutus. Guilielmus Camdenus, aliquando^c Tinam, aliquando^d Tesim

brum est flumen, usque ad Scotiam. Malmesbur. de gest. regum lib. 1. cap. 6. Ninus, de Ida primo Nordanhumbroborum rege: Junxit arcei i. e. Dingueirin et Gurd-birnech (quæ duæ regiones fuerunt in una regione. i. e. Deur Abernet.) Anglice Deira et Bernicia. A Britannis Deira Deifyr, Bernicia Brennuyd appellatur. H. Lhuyd. fol. 24. a. Bernicios Britanni Guir a Brinaich quasi montanos dicunt. Camden. pag. 674.

² Bed. lib. 1. cap. 1. et 12. et lib. 4. cap. 26. Vide Matthæum Florilegum, ad ann. 587. Ranulph. Cestren. Polychronic. lib. 1. cap. 58. et Jo. Majorem, de gest. Scot. lib. 2. cap. 3.

^a Polychronic. lib. 1. cap. 51. "Donec Kinadius Alpini filius rex Scotorum, deletis Pictis, illud territorium, quod est inter Twedam et mare Scoticum fecerat suo regno pertinere". Ibid. cap. 58.

^b "Deera regnum continebat totam regionem ab Humbro et Trenta ad Tyssam flumen: Bernicia vero et Tyssa ad mare Scoticum quod nunc Fyrtheus vocant". Lhuyd. fragment. descript. Britann. fol. 24. "Æstus ille nunc Forthea dictus mare Picticum et postea Scoticum dicebatur. Et hucusque Northumbroborum regnum extendebatur." Ibid. fol. 40.

^c Camden. Britan. pag. 558.

^d Id. pag. 674.

fluvium horum regnorum communem limitem constituit: et utramque sententiam Johannes Timmuthensis, in regis Oswaldi vita, ita conciliare nititur: "Regnum Deirorum a flumine Humbriæ usque ad Tynam fluvium quondam se extendit: regnum vero Berniciorum a fluvio Tynæ (an Tesæ potius?) usque ad mareoticum, quod Scotice Forth dicitur, porrigebatur. Quicquid enim inter Tynam et Tesam fluvios extitit, sola eremi vastitudo tunc temporis fuit: et iccirco nullius ditioni servivit; eo quod sola indomitum et silvestrium animalium spelunca et habitatio fuit:" quod ipsum etiam in Johannis Fordoni Scotichronico similiter annotatum invenimus.

In Beda quod huc faciat illud tantum reperimus: "Eatam^e, qui Berniciorum provinciam gubernabat, in Hagustaldensi sive Lindisfarnensi ecclesia cathedram habuisse episcopalem." Ne igitur ecclesiam, non Dunelmensem solum, ad quam post Bedæ tempora Lindisfarnensis sedes est translata, sed ipsam etiam Hagustaldensem, cis Tinam fluvium positam, extra Berniciorum fines (intra quos non Richardus^f solum sed etiam Beda^g eam collocat) transferre necesse habeamus: Tesis potius quam Tinæ interpositu regna hæc disternere maluimus. Eaque ratione, ut ad orientalem Berniciæ partem Dunelmensem episcopatum et Northumbriæ comitatum hodiernum; ita ad occidentalem totum illud Cumbrense regnum (cujus in decimo quinto capite occurrit mentio) arbitramur referendum, quod everso Nordanhumbrorum Anglorum regno inter Dervationem fluvium et fretum Dunbritanicum a Cambro-Britannis est constitutum.

"Indigenas Britanniae, qui Anglis Saxones appellantur, ab eis, qui Germaniae septentrionalem tractum incolunt, Saxonibus originem ducere, documentis approbatur:" inquit Lupus Servatus^h: et Holsatiæ partem extremam, qua Jutiæ proxima est, in antiquis manuscriptis chronicis Olt Saxen, id est veterem Saxoniam dici, animadverterunt aliiⁱ. Ex insula Oghgul Hengistum, cum suis, huc adve-

^e Bed. lib. 4. cap. 12. et 27. ^f Richard. de statu eccles. Hagustaldens. cap. 2.

^g Bed. lib. 3. cap. 2. et lib. 4. cap. 12. ^h Lup. in vit. S. Wigberti, cap. 1.

ⁱ Suffrid. Petr. de origin. Frisior. lib. 2. cap. 12.

nisse in Ninio legimus: sive eo nomine integram peninsulam Cimbricam ille intelligat, sive (quod in uno exemplari ita etiam scriptum hic inveni) Angul, id est, eam Chersonesi illius partem, quam hodie Anglen appellari diximus, et ipsam peninsulæ quandam speciem præ se ferentem. Alii^k, ex chronico Leidensi, Hengistum patria Frisium fuisse referunt. Johannes Leidensis^l regem Frisæ fuisse asserit; quam et Saxoniam^m inferiorem dictam fuisse ait. "Sicut Anglicana promit historia, Saxones inferiores, qui vulgo dicuntur Frisones, cum innumera classe Britannicam expugnaverunt insulam:" inquit Johannes de Beka, in suo Trajectensium episcoporum chronico: et Guilielmus Heda in suo: "Angli et Saxones et Marcii, qui Britanniam occupaverunt, egressi fuerant ex Germania inferiore."

Suffridus Petrusⁿ Hengistum Udolphi Haronis, septimi Frisiorum ducis, filium fuisse contendit, et Suanæ filiæ Vetgisti Saxonum principis. Additque binas ab illo ductas fuisse colonias: priorem anno ætatis vigesimo secundo in Angliam veterem prope Jutiam, ubi sexaginta duobus annis versatus fuerit, partim agricultura, partim piratico genere belli colonos sustentans: posteriorem anno ætatis octogesimo quarto ex ista Anglia in Britanniam, in qua ultra annos quatuor non duraverit, anno ætatis suæ octogesimo octavo qui fuit Christi CCCCLIII. fato functus. Et ne de rei veritate quicquam dubitarem, pessimo exemplo, vir cæteroque doctus et diligens, de^o priore colonia scripsisse fingit, primo quidem ipsum Udolphum Hengisti et Horsi commentitium patrem, deinde duos ejusdem monetæ duces, Yglonem Lasconem, qui anno Christi CCCXCIX. et Hollium, qui anno CCCXXX. mortuus fu-

^k Vorper. Thaborit. hist. Fris. lib. 1. cap. 8. Cornel. Kemp. rer. Frisic. lib. 2. cap. 22.

^l Johan. Gerbrand. chronic. Belgic. lib. 1. cap. 9.

^m Vid. Vorper. Thaborit. lib. 1. cap. 3. et ejus expilatorem, Cornel. Kempium, lib. 1. cap. 10.

ⁿ Suffrid. Petr. in apologia pro antiquit. Fris. a pag. 75. ad 78.

^o Id. de scriptorib. Frisæ Decad. 3.

erit : de posteriore vero Haionem Fortemanum, qui anno Christi CCCCLXXVIII. obierit.

Yglônem enim scripsisse somniavit bonus senex,

1. De expeditionibus suis adversus Vestphalos ac Sicambros.
2. De præsiidiis ab ipso in Angria et Vestphalia collocatis.
3. De matrimonio Udolphi Haronis et filiaæ Vetgisti satrapæ Saxonum.
4. De origine Vetgisti, et cognatione ejus quam habuit cum Oldibaldo Frisiorum duce.
5. De institutione et educatione Hengisti et Horsi.
6. De decessu Hengisti et Horsi in Angliam veterem.
7. Catalogum ducum et comitum, qui classi Hengistianæ in ducenda hac colonia præfuerunt.
8. De adoptione Hengisti et Horsi facta a Vetgisto avo eorum materno.

Hollium deinde,

1. De colonia Anglicana.
2. De qualitate Angliæ
3. De piratica Frisiorum ex Anglia in mari Britannico.

Haionem denique,

1. De vocatione Hengisti ex Anglia veteri in Britanniam.
2. De pactis inter Hengistum et Vortigernum initis.
3. De præliis Hengisti et Horsi contra Pictos et Scotos, pro defensione Britannorum.
4. De causis ob quas Hengistus Britannis, ex defensore, hostis factus sit.
5. Catalogum ducum classium Hengisti, quas in Britanniam adduxit.
6. De copiis quas Hengistus ab initio usque ad obitum suum in Britanniam advexit.

Ego vero ut Hengistum et Horsum Frisios fuisse prorsus non abnuerim; ita ex Danica Frisia, potius quam ex illa Hollandiæ vicina, ortos fuisse existimaverim. In Dania enim etiam Frisia est: quam, alterius illius respectu, minorem appellat Saxo^p grammaticus. Australis Jutiæ pars ea est maxime australis (a Jutis autem Cantuarios ortos ostendimus; quorum regem Hengistum fuisse constat) ad orientem veterem Angliam, ad austrum veterem Saxoniam sibi habens conterminam, ab utraque flumine Eidora intercurrente dirempta. Ejus incolæ, ab hoc flumine Eiderstedios, a litore cui insident Strand-frisios, vulgo denominant. “ Hos a Frisonum gente conditos, nominis et

^p Saxo, in Danicæ suæ historiæ præmio.

linguæ societas testimonio est:" ut inquit Saxo⁹. Eos enim a tot jam sæculis linguam patriam incorruptam adhuc retinere, confirmat etiam Ubbo Emmius^r; de Frisica illud etiam adjiciens, "in^s universum cum Anglico sermone tantum cognationis et similitudinis habere, ut ad nullum omnino aliarum gentium, ne quidem finitimarum, propius accedat." Cui et illud addendum, quod ex Leidensi profertur^t chronico: "S. Willebrordus cum suis ex Anglia veniens, primum applicuit in Valachria insula Zelandiæ, et venit Westcapellam ubi deus erat Mercurius: ibique evangelium lingua Frisconica, quasi Friso Frisonibus prædicavit."

Jam si Frisii hi utrique ejusdem fuerint originis, et communi etiam tam inter se quam cum Anglis sermone fuerint usi; minus erat mirandum, Frisones quoque a Beda inter eas gentes connumerari, a quibus nostri Anglo-Saxones genus traxerint. Verba illius, libro quinto historiæ ecclesiasticæ, capite decimo (vel, ut antiqui MSS. distinguunt, nono) hæc sunt: "Eo tempore venerabilis et cum omni honorificentia nominandus famulus Christi et sacerdos Ecgbertus, quem in Hibernia insula peregrinam ducere vitam pro adipiscenda in cœlis patria retulimus, proposuit animo pluribus prodesse; id est, inito opere apostolico verbum Dei aliquibus earum quæ nondum audierant gentibus evangelizando committere. Quarum in Germania plurimas noverat esse nationes, a quibus Angli vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus et originem duxisse noscuntur. Unde hactenus a vicina gente Britonum corrupti Germani nuncupantur. Sunt autem Fresones, Rugini, Dani, Hunni, antiqui Saxones, Boructuarii." Ubi notandum, ante illud tempus de quo Beda agit, quodque in finem septimi post Christum seculi incidit, Francis in Gallias quas occupaverant commigrantibus, Saxonas in sedes ab eis derelictas paulatim concessisse, et non modo oram maritimam inter Albi et Rhenum

⁹ Saxo, hist. lib. 14.

^r Hist. Frisic. lib. 2. pag. 69.

^s Hist. Frisic. lib. 2. pag. 76.

^t A Vorpero Thaborita, lib. I. hist. Fris. cap. 8. et Cornel. Kempio, lib. 2. rer. Frisic. cap. 22.

interjectam insedissee, sed etiam ad interiores Germaniæ partes penetrasse: indeque factum, ut in proxime sequente capite idem Beda provinciam antiquorum Saxonum ad Rheni ripam, a citeriore Frisia per quadraginta fere millia passuum dissitam, collocaverit: ne quis tum iisdem eos finibus conclusos fuisse existimet, quibus ante adventum in Britanniam continebantur.

Sunt quidem qui existiment ante^u ductas, vel ab Anglis in Britanniam, vel a Francis in Galliam colonias, Saxonas portuosum illud emittendis ac recipiendis navibus aptissimum litus inter Albi Rhenumque consedissee: sed nulla firma, quantum adhuc ego video, autoritate subnixi. Diocletiani ævo, Francos æque ac Saxones per tractum Belgicæ et Armoricæ mare infestasse, libro nono historiæ suæ testatur Eutropius: atque “agilem fuisse piratico in opere gentem Saxonum in tota maritima a Rheno fluvio usque in Doniam urbem quæ vulgo Danmarc nuncupatur,” eo tempore quo in Britanniam sunt advocati, in primo annalium suorum libello affirmat Fabius Ethelwerdus. Per oram illam maritimam fecisse piraticam Saxonas non negamus: in continente vero tractus illius eos sedes fixisse, nondum invenimus. Nam ne Zosimo assentiamur qui Quados^w, Saxonum partem, Bataviam pulsas inde Francis Saliis occupavisse, et Julianum Saliis tutatum Quados in deditionem redegissee narrat; illud primo facit, quod Quadi pars Saxonum nulla fuerit, deinde quod Eunapius Sardianus^x (cujus Zosimus historiam transcripsit^y potius, quam novam ipse scripsit) neque Quados istos, neque, quos eorum loco apud Zosimum substituit Cluverius, Cauchos, neque omnino Saxonas, sed Chamavos fuisse retulit: ipso quoque Juliano, in epistola^z ad senatum populumque Atheniensem, rem a se gestam

^u Camden. Britann. pag. 93. Cluver. Germ. antiqu. lib. 2. cap. 36. pag. 488. et lib. 3. cap. 21. pag. 590. edit. 2.

^w Zosim. hist. lib. 3.

^x Eunap. in eelog. legation. ab Hæschelio edit. pag. 8.

^y Phot. bibliothec. num. 98.

^z Julian. oper. part. 1. pag. 511. edit. Paris. ann. 1630.

similiter exponente. “ Ὑπεδείξαμην μὲν μοῖραν τοῦ Σαλίῳν ἔθνονος, Χαμάβονος δὲ ἐξήλασα. Saliorum partem excepi; Chamavos expuli.”

Neque ullum omnino justī ponderis, præter Bedæ illud unicum jam a nobis explicatum, occurrit testimonium, quod Frisicæ originis Anglo-Saxones fuisse doceat. Antiquiora enim illa quæ tanti æstimat, Frisiæ suæ decus, Ubbo Emmius^a, me sane multum non moverunt: Marcellini in vita Suidberti, gentilis sui et laborum socii, unum; Procopii, ætati isti qua illa in Britanniam expeditio accidit haud paulo propioris, alterum. “ Ipse Suidbertus sitiebat salutem omnium hominum, et præcipue paganorum Frisorum et Saxonum, eo quod Angli ex ipsis propagati sint:” inquit Marcellinus ille; atque iterum de eodem, et reliquis Willibrordi sociis: “ Quoniam sancti doctores propagati fuerunt in Anglia de stirpe Frisonica et Saxonica; ideo convenienter potuerunt iis prædicare evangelium Christi lingua Germanica:” quibus citatis subdit Emmius, “ Hoc sane teste, qui de se suisque sociis ea scribit, et pietatis eximia laude claret, majorem requirere non debemus.” Sed virum illum sagacissimum fugit, subdititium esse Marcellinum istum: cui a Stephano Vito^b, viro antiquitatum, non Hiberniæ solum suæ sed aliarum etiam gentium scientissimo, ita larva est detracta, ut qui^c illius postea in se suscepit patrociniū, imperitum aliquem non modo “ stylum mutasse, et loco antiquorum nominum quarundam provinciarum et urbium magis recentia collocasse,” sed etiam “ nonnulla imperite de suo capite veritati minus consona addidisse; idque certum esse, et negari non posse,” coactus fuerit agnoscere.

Ex Procopii libro quarto de bello Gothico citantur ista: “ Britanniam^d insulam tres numerosissimæ gentes incolunt, quarum unicuique suus rex imperat: nominantur hæ gentes Angili, FRISONES, et, qui cum insula cognatum

^a Ubb. Emm. rer. Fris. lib. 3. pag. 98, 99.

^b Apud Gretserum, lib. 1. observation. in Philippum de Divis Eystettensib. cap. 9.

^c Edovard. Maihew, tabul. 3. de scriptorib. Anglic. ordinis Benedict. cap. 40.

^d Camden. Britann. pag. 94.

nomen habent, Britones," quibus hoc quoque epiphonema ab Emmio est subjunctum, " Et quid desideres amplius?" Verum et hoc etiam clarissimum illum virum latuit, non de Britannia scripsisse ista Procopium, sed de Brittia: quam eodem^e ipso in loco a Britannia disertis verbis discernit, atque inter Britanniam et Thulem, quæ illi Scandinavia est, sitam fuisse indicat. Unde corrigendum illud Isacii Tzetæ, scholiastæ Lycophronis: " Περὶ τὸν Ὠκεανὸν ἐστὶν ἡ Βρεττανία νῆσος (Brittiam debet dicere, vel saltem intelligere) μεταξὺ τῆς τε ἐν δύσει κειμένης Βρεττανίας, καὶ Θούλης τῆς πρὸς ἀνατολὴν. In oceano est Britannia insula, inter Britanniam ad occidentem positam, et Thulem ortum spectantem." Quæ enim Tzetæ fratres, Johannes in Hesiodi Ἔργα, et Isacius in Lycophronis Alexandram, de animabus defunctorum in Britanniam deportatis fabulati sunt, ea omnia ad Brittiam a Procopio^f relata observavimus.

Sed missis istis *παράργοις*, de tempore quo Hengistus et Horsus ad Guortigernum assesserunt, deinceps inquiremus: anno Domini CCCLXXXV. illud factum, Johannes Leidensis^g et annales^h Frisiorum tradiderunt. In antiquissimisⁱ chronicis lingua Cambro-Britannica conscriptis, " a tempore Guorthigerni usque ad bellum Badonicum, quo Arthurus dimicavit adversus Saxones et eos debellavit, centum et viginti octo anni: deinde a bello Badonico usque ad bellum de Camilan, in quo cæsus est Arthurus, duo et vigintianni numerantur. Cum autem Arthuri excessus in Britannica^k historia ad annum DXLII. sit relatus; subductis inde 128. et 22. Dominicæ æræ annus CCCXCII. relinquetur. Atqui adhuc sub Romanorum imperio vixisse Britannos, non est dubium: neque Saxonas prius in auxilium eos advocasse, quam a Romanis penitus fuissent derelicti, æque certum est. Ut nullo modo fides Fran-

^e Procop. lib. 4. Gothic. pag. 349. edit. Græc.

^f Ibid. pag. 352.

^g Jo. Gerbrand. chronic. Belgic. lib. 1. cap. 9.

^h Cornel. Kem. rer. Frisic. lib. 2. cap. 22.

ⁱ Johan. Pris. histor. Britannic. defens. pag. 121, 122.

^k Galfrid. Monemuth, lib. 11. cap. 2.

cisco Irenico sit adhibenda; qui¹ Anglo-Saxonas “inopinato ductu in Angliam trajecisse Valentiniani temporibus, ac Romanos omnes ad interneconem occidisse” comminiscitur: et eorum hic tantum sententiæ sit attendendum, qui sub Theodosii junioris vel successoris Marciani imperio rerum Britannicarum conversionem hanc contigisse tradiderunt.

Ad Felicis et Tauri consulatum, qui in annum CCCXXVIII. incidit, anonymus Nini interpolator Saxonum adventum refert. Iisdem quoque consulibus, “partem Galliarum propinquam Rheno, quam Franci (Saxonibus contermini) possidendam occupaverunt, Aetii comitis armis receptam” testatur Prosper in chronico, cui et illud addendum putaverim, quod ex aliis consularibus fastis a Gregorio Turonensi^m est productum: “Theodomerem regem Francorum, filium Richimeris quondam, et Ascilam matrem ejus, gladio interfectos:” statim enim subjungit Gregorius: “Ferunt etiam TUNC Chlogionem utilem ac nobilissimum in gente sua regem Francorum fuisse.” Anno autem CCCXXVIII. vel proxime sequente, ex Tironis chronico colligitur, regnare in Francia cœpisse Chlogionem sive Chlodium hunc: quem et Theodomeris illius filium ac successorem facit Fredegarius Scholasticusⁿ; ea omnia Theodomeri Richimeris filio adscribens, quæ vetus gestorum regum Francorum abbreviator^o, et cum eo Ado Viennensis, Aimoinus atque Sigebertus, Faramundo Marcomiri filio tribuunt.

Britannici vero illius chronographi supputationem ne quis desideret; ex duobus antiquissimis Cottonianæ bibliothecæ codicibus descriptam exhibebimus hic et illustrabimus.

A mundi principio usque ad Constantium et Rufum, quinquies mille DCLVIII. anni reperiuntur.

Item a duobus geminis, Rufo et Rubellio, usque in Stilichonem consulem, CCCLXXIII. anni sunt.

¹ Irenic. Germanic. Exeges. lib. 6. cap. 37.

^m Greg. Turon. histor. lib. 2. cap. 9.

ⁿ Pag. 95. edit. M. Freheri.

^o Ibid. pag. 58.

Item a Stilichone usque ad Valentinianum filium Placidiae et regnum Guortigirni, XXVIII. anni : et a regno Guorthini, (al. Guortigirni) usque ad discordiam Guitolini et Ambrosii, anni sunt XII. quod est Guoloppum, id est, Cat-guoloph.

Guortigirnus autem tenuit imperium in Britannia Theodosio et Valentiniano consulibus : et in quarto anno regni sui Saxones ad Britanniam venerunt, Felice et Tauro consulibus, CCCCI. anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi.

Ab anno^p quo Saxones venerunt in Britanniam, et a Guortigirno suscepti sunt, usque ad Decium et Valerianum, anni sunt LXIX^p.

Victorius Aquitanus fastos suos consulares a duorum geminorum Fusii, quem ille Rufum appellavit, et Rubellii consulatu inchoatos, in Constantini et Rufi consulatu, qui in annum^a æræ nostræ CCCCLVII. incidit, terminaverat : “ Ex tempore Dominicæ passionis, diebus Kalendarum Januariarum, et nominibus consulum, a duobus geminis, Rufo scilicet et Rubellio, usque ad consulatum Constantini et Rufi, diligenti annotatione collectis, per CCCXXX. annos, cum lunis atque temporibus : ac deinceps sine consulibus, per annos centum et duos futuros, ut DXXXII. annis omnis summa consistat, patefacere properavi.” Sic ille, in canonis paschalis præfatione ad Hilarium : ubi et Eusebianas rationes secutus, a mundi origine usque ad Constantinum et Rufum consules, quinquies mille sexcentos quinquaginta octo annis dinumerat. Hunc igitur, ut videmus, ducem secutus est Britannus noster : qui ex iisdem quoque fastis, a duobus geminis usque ad Stilichonis (cujus stre-

^p Regnante Gratiano (ut Gildæ nomen præferens liber habet) vel Martiano (ut rectius Ninii legit) secundo, Saxones a Guorthigirno suscepti sunt, anno CCCXLVII. ut habet Pseudo-Gildas, vel CCCCLVII. ut Ninii, post passionem Christi.

“ A primo anno quo Saxones venerunt in Britanniam, usque ad annum quartum Mervini regis, supputantur anni 429.” Inquit Ninii, qui in præfat. codicis MS. in publica Cantabrigiensi academia bibliotheca, scripsisse se ait anno 858. Dominicæ incarnationis, 24. vero Mervini regis Britonum. Qua ratione Saxones venissent in Britanniam anno incarnat. 409. Confer Caradoci Lancarvan. chronic. de initio Mervini Vrych. In excerptis ex Ninio vel Pseudo-Gilda potius, ad calcem Galfridi Monemuthensis in MS. D. Simondi D'Ewes circa tempus Henrici II. descripto legitur. “ A primo anno quo Saxones venerunt in Britanniam, usque ad annum quartum Mervini regis, supputantur anni CCCXXIX. anno CCCXLVII. post passionem Domini, a Wortegirno suscepti sunt. Ab eodem anno usque ad Decium et Valerianum, anni sunt LXIX. ubi tria illa Pseudo-Gildæ vel Ninii loca ἀσύγκλωστα συγκλώθει.”

nuam in Britannia a Scotorum, Pictorum et Saxonum incursionibus tutanda navatam operam Claudianus prædicat) consulatum, trecentos et septuaginta tres annos percenset; utroque nimirum, et geminorum et Stilichonis priore consulatu simul numerato. A Stilichonis deinde consulatu illo, qui in annum CCCC. incurrit, usque ad Valentinianum filium Placidiaë, et regnum Guortigirni, viginti octo annorum intervallum constituit: quum ad Theodosii XI. et Valentiniani I. consulatum, quo juxta illum Guortigernus regnum, et juxta rei veritatem Valentinianus Placidiaë filius imperium exorsus est, XXV. ad Felicis et Tauri consulatum XXVIII. ponendi fuissent. His vero consulibus Saxones huc advenisse addit; anno, non ab incarnatione ut in codicibus perperam est exaratum, sed a passione Domini CCCCI. Ad consulatum enim Felicis et Tauri annotatus habetur annus CCCCI. Victoriae periodi, a duorum geminorum consulatu deductæ; in quo Victorius, antiquissimos secutus patres, Christum crucifixum credidit. A Saxonum denique adventu hoc annos sexaginta et novem numerat noster chronologus usque ad Decium et Valerianum: quod postremum par consulum in Victorianorum fastorum continuatione, quæ ad manus ipsius pervenerat, extitisse verisimile est. Anno autem vulgaris nostræ epochæ CCCXCVIII. Decium Paulinum consulem invenimus: non Valeriano tamen, sed Johanne Scythæ collega addito.

In breviori illo chronico quod Tironi Prospero tribuitur, ad annum post excessum Honorii XVIII. ante obitum vero Theodosii junioris IX. circa annum videlicet Christi CCCXXI. annotatum legimus: "Britanniaë, usque ad hoc tempus variis cladibus eventibusque lacerataë, in ditionem Saxonum rediguntur;" indeque in chronico quod Marci Maximi Cæsaraugustani episcopi præfert titulum; ad annum CCCXLIV. "Britanniaë, usque ad hoc tempus variis cladibus dilacerataë, tandem per deditionem Saxonibus traduntur." Sed horum chronicorum incerta est auctoritas: ut ea præponderari non debere videatur, vel Gildæ Britanni fides, qui ante tertium Aetii consulatum eos huc advocatos non fuisse indicat; vel Anglo-

Saxonicorum omnium annalium testimonium, qui ante annum CCCCLV. Hengisti^q regnum non incipiunt. Quæ enim ex B. Germani vita contra sunt objecta, quam nullas vires habeant, in superioribus satis declaravimus.

Anglos "applicuisse in Britanniam anno ab incarnatione Domini CCCCLV. anno Theodosii imperatoris decimo quinto" scribit Radulphus Niger in chronico. In ipsum annum CCCCLVI. quo tertium consulatum gessit Aetius, eorum adventum Sigebertus conjicit: cum quo et antiquior in bibliotheca Cottoniana consentit chronographus, "annum Dominicæ incarnationis DCCLVII. cum anno CCCCVIII. adventus Anglorum in Britanniam" componens. Turgotus in Dunelmensis ecclesiæ historia, "annum Dominicæ incarnationis DCXXXV. annum adventus Anglorum in Britanniam CLXXXVIII." esse affirmans; a Christo ad eorum adventum ea ratione CCCCLVII. annos dinumerat. Annos CCCCLVIII. Johannes de Garlandia, in libro primo de triumpho ecclesiæ, ita constituit,

Sunt quadringenti, deciesque quater, simul octo
Sunt anni, peperit ut pia virgo Deum:
Fortes ad validos Angli venere Britannos;
Qui gladiis regnum supposuere sibi.

Latino-Saxonici annales, quos Cottonianæ bibliothecæ a Camdeno relictos fuisse memoravimus^r, ad annum CCCCLVIII. referunt: cum quibus etiam facit quod Cuspinianus^s ex Jordani sive Jornandis, ut ille putat, ineditis annalibus protulit. Nos vero annales illos cum Hermanni Contracti chronico ab Henrico Canisio edito eosdem fuisse deprehendimus: indeque locum hunc, qui mutilus a Cuspiniano est productus, ita restituimus: "Angli-Saxones, a Britannis contra Pictos et Scotos [auxilio asciti, insulam petunt, et hostibus fugatis in socios] arma convertunt; et post multa bella, magna ex parte insula subacta potiti sunt."

^q Bedæ lib. 2. cap. 5. cum eo etiam filium Oisc. venisse scribit. qui anno 512. vitam finiit.

^r Supra cap. 3. pag. 55.

^s Jo. Cuspin. commentar. in Cassiodori consulare, pag. 542.

Fabius Ethelwerdus, et cum eo annales lingua Anglo-Saxonica conscripti, nec non Guilielmus Mahnesburiensis, Henricus Huntingdoniensis, Alanus de insulis, Matthæus Florilegus et alii, annum CCCXLIX. eorum adventui assignant: illis, ut videtur, venerabilis Bedæ verbis adducti "Anno" ab incarnatione Domini quadringentesimo quadragésimo nono (ita enim ex MSS. legendum; non, ut habent editi codices, quadringentesimo nono) Marcianus cum Valentiniano quadragésimus sextus ab Augusto regnum adeptus, septem annis tenuit. Tunc Anglorum sive Saxonum gens invitata a præfato rege (Vurtigerno) Britanniam tribus longis navibus advehitur." Verum quum ante annum proxime sequentem Marcianum imperium non iniisse certo constet, vel ad Valentiniani et Avieni consulatum, id est, annum CCCCL. cum Florentio Wigorniensis eorum adventus potius fuisset referendus; vel, ut in vulgato Mariani Scoti chronico habetur, ad consulatum Herculani et Asporatii, quem in annum CCCCLII. incurrisse ex fastis liquet. Neque enim in ipso præcise imperii initio, sed intra septennium illud quo Marcianus rebus præfuit, huc appulisse Anglos significare Beda voluit: vel intra quinquennium potius quo una cum Valentiniano imperium administravit. "Horum enim tempore Anglos, a Britonibus accersitos, Britanniam adiisse," in historiæ suæ ἀνακεφαλαιώσει chronica ipse indicat. Ut^w multo rectius ad annum CCCCLIV. Johannes Clinnus Kilkenniensis, et annales ecclesiæ S. Trinitatis apud Dublinienses, eorum adventum retulerint; quam Hector Boethius^x, qui post CCCCLXXXII. demum annum, Congallo Scotis imperante, Hengistum et Orsum, "lectis cum decem armorum millibus triginta triremibus rostratisque navibus" (quum Beda trium tantum longarum navium meminerit) in Britanniam transmisisse asserit.

Gensericum Vandalorum regem, post captam Cartha-

¹ Inter quos Polydorus Vergilius, histor. lib. 3. ^u Bed. lib. 1. histor. cap. 15.

^w Anno 454. venerunt Saxones in Britanniam. Johannes Clynn in chronico. Angli venerunt in Angliam. annales Eccles. S. Trinit. Dublin. annales Rosenses ad annum 456. referunt.

^x Boeth. Scotor. histor. lib. 8.

ginem, non modo in Siciliam, sed etiam “ in Scotiam ac Britanniam transivisse, ibique se retinuisse, usque dum Attilæ superbia deferbuerat,” contra historiæ fidem affirmat Franciscus Irenjcus^y. Etsi enim per cunctas Romani imperii provincias Gensericum piraticam passim fecisse constat; adeo nullo locorum habito delectu, ut feratur^z quondam, quum e Carthaginis portu velis passis soluturus esset, interrogatus a nauclero, quo tendere populabundus vellet, respondisse, Quo Deus impulerit: tamen ad Britanniam aut Scotiam nostram aliquando eum accessisse, neque in nostrorum neque in exterorum monumentis uspiam invenimus. Ad Attilæ vero superbiam, cujus ab Irenico hic injecta mentio, quod attinet: eam anno CCCCLI. ab Aetio compressam fuisse notum est, memorabili illo in Campaniæ Gallicanæ campis Catalaunicis commisso prælio; de quo Jornandes: “ In^a hoc famosissimo et fortissimarum gentium bello ab utrisque partibus CLXII. millia cæsa referuntur, exceptis XC. millibus Gepidarum et Francorum, qui ante congressionem publicam noctu sibi occurrentes, mutuis concidere vulneribus; Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus.”

Francos enim, cum vicinis suis Saxonibus, auxiliares Romanis hic adfuisse testatur idem^b: licet inter eos qui Attilæ castra sunt secuti Francos quoque connumeret Apollinaris Sidonius, in panegyrico quem Avito Augusto socero suo dixit, Hunnici exercitus copias ita recensens:

———pugnacem Rugum comitante Gelono,
Gepida trux sequitur; Scotum^c Burgundio cogit:
Chunnus, Bellonotus, Neurus, Basterna, Toringus,
Bructerus, ulvosa quem vel Nicer abluit unda,
Prorumpit Francus.

Unde vero acciderit, ut una Francorum pars Aetio, altera Attilæ se adjunxerit, causam Francicarum rerum scriptori-

^y Irenic. Germaniæ exeges. lih. 6. cap. 25.

^z Procop. Vandalic. lib. 1.

^a Jornand. de reb. Geticis, cap. 41.

^b Jornand. de reb. Geticis, cap. 36. et Pauli diacon. addit. ad Eutrop. lib. 15.

^c Ita legunt vulgati codices: licet in MSS. Scerum aut Scœrum haberi notent Sidonii scholiastæ, Savaro et Sirmondus.

bus hactenus ignoratam, ita nobis in historia sua aperuit Priscus Panites, Græcus Rhetor: “ Τῷ^d Ἀττίλῃ ἦν τοῦ πρὸς Φράγγους πόλεμον πρόφασις ἢ τοῦ σφῶν βασιλείως τελευτῇ, καὶ ἡ τῆς ἀρχῆς τῶν ἐκείνου παιδῶν διαφορὰ. Τοῦ πρεσβυτέρου μὲν Ἀττίλῃαν, τοῦ δὲ νεωτέρου Αἰτίου ἐπὶ συμμαχίᾳ ἐπάγεσθαι ἐγνωκότος· ὃν κατὰ τὴν Ῥώμην εἶδομεν πρεσβευόμενον, μήπω ἰούλου ἀρχόμενον, Ξανθὸν τὴν κόμην, τοῖς αὐτοῦ περικεχυμένην διὰ μέγεθος ὤμοις· θετὸν δὲ αὐτὸν ὁ Αἰτίας ποιησάμενος παῖδα, καὶ πλεῖστα δῶρα δούς, ἅμα τῷ βασιλεύοντι ἐπὶ φιλίᾳ τε καὶ ὁμαιχίᾳ ἀπέπεμψε. Francos bello lacessendi Attilæ causa fuit regis ipsorum obitus, et de regno inter liberos controversia. Seniori Attila studebat, juniorem Aetius tuebatur: quem Romæ vidimus legationem obeuntem, nondum lanugine efflorescere incipiente, flava coma, et capillis propter densitatem et magnitudinem super humeros effusis. Hunc autem Aetius in filium adoptaverat, et pluriim̄is donis ornatum ad imperatorem, ut amicitiam et belli societatem cum eo contraheret, miserat.”

Atque hinc Gregorii Turonensis narrationi lux aliqua affulget: qui cum dixisset: “ Aetium^e cum Francis Gothicque conjunctum adversus Attilam confixisse,” et Gothorum rege in prælio occumbente, Thorismodo filio ipsius post partam victoriam ut in patriam festinaret persuasisse, “ ne insistente germano, patris regno privaretur;” addit, eundem Aetium “ simili et Francorum regem dolo fugavisse:” ac si illi quoque author fuisset ad proprias sedes remeandi, ne paternum regnum eo absente a fratre ipsius similiter occuparetur. Regem vero hunc qui Aetio subsidio venit, non alium quam Meroveum fuisse, a quo sequentes Francorum reges Merovingorum tulerunt nomen, Robertus Gaguinus, Paulus Æmilius, Carolus Sigonius et reliqui, pro certo sumunt atque concesso: temporis quoque ratione non refragante. Regni enim Merovei initium circa annum CCCCLVIII. (quod Sigebertus Gemblacensis et Matthæus Florilegus retinent) vel CCCCLIX.

^d Eclog. legationum, ab Hæschelio edit. pag. 27.

^e Gregor. Turon. histor. lib. 2. cap. 7.

in Tironis chronico videmus collocatum. Atque ut Clodioni sive Chlogioni (eujus supra meminimus) immediate successisse agnoscunt omnes, ita etiam de hujus stirpe, ut notat Gregorius^f, “quidam Meroveum regem fuisse adserunt :” non affinem^g utique, ut Aimoinus^h voluit, sed potius filium. Id enim ut credamus, non tam Guilielmi Malmesburiensisⁱ, qui Faramundi nepotem fuisse ait, vel Fredegarii Scholastici^k, qui, crassa licet addita fabella, ex Clodionis saltem uxore susceptum fuisse tradit, vel Sigeberti Gemblacensis^l, etiam, qui expresse filium Clodii fuisse dicit, et Blondi^m, qui Meroveum Clodioni patri mortuo successisse scribit, nos movet testimonium; quam Prisci autoritas, qui ipsum Meroveum (si modo illum fuisse demus qui adhæsit Aetio) conspexit, et præcedentis regis filium fuisse expresse tradidit.

Ad Anglos jam redeo: de quibus homo Italus, nostrarum rerum rudis, Pomponius Lætus: “Qui in Britannia erant, cum Scotorum et Pictorum rapinas et impetus ferre non possent, Anglorum regem Vertigomarum ad opem ferendam poposcerunt.” Et in Hercule suo Prodicio Stephanus Vinandus Pighius, “Saxones Angli, Vertigomaro duce, Britanniam occuparunt.” Hunc de rege Anglorum errorem sane joculari unde illi exculperint nescio, nisi ex his forte verbis Pauli Aquilegiensisⁿ diaconi: “Residui Britannorum, dum continuos Scotorum impetus formidarent, ultra jam de Romanorum præsidio diffidentes, Anglicorum gentes cum suo rege Vertegerno, ad defensionem suæ patriæ invitavere: quos amicabili societate exceptos, versa in contrario vice, hostes pro adiutoribus impugnatoresque sensere:” Quod vero subdit Paulus; “Sequenti deinceps tempore gens Anglorum sive Saxonum Britanniam tribus longis navibus advehitur,”

^f Gregor. Turon. histor. lib. 2. cap. 9.

^g Cognatum ejus appellat Scotichron.

^h Aimoin. de gest. Francor. lib. 1. cap. 6.

ⁱ Malmesbur. de gest. reg. Anglor. lib. 1. cap. 3.

^k Fredegar. epitom. Gregor. cap. 9. pag. 95. edit. Freheri.

^l Sigebert. chronic. año 448.

^m Blond. Decad. 1. lib. 2.

ⁿ Paul. diacon. addit. ad Eutrop. lib. 14. Sic et Munsterus in cosmograph.

non ad sequentem aliquam, sed ad illam ipsam cujus antea meminerat Anglorum expeditionem, esse referendum, non ex Beda solum liquet, quem ille in his rebus authorem sequi solet, sed etiam ex Gilda, primum horum adventum ita enarrante : “Tum^o erumpens grex catulorum de cubili lænæ Barbariæ, tribus ut lingua ejus exprimitur cyulis, nostra longis navibus, secundis velis (omine auguriisque quibus vaticinabatur, certo apud eum præsagio, quod ter centum annis patriam cui proras librabat insideret ; centum vero quinquaginta, hoc est, dimidio temporis sæpius vastaret) cvectus, primum in orientali parte insulæ, jubente infausto tyranno, terribiles infixit unguis ; quasi pro patria pugnaturus, sed eam certius impugnaturus.”

Ad quorum pleniorum intellectum, notandum est, I. Saxonum pandos myoparones, ut eos appellat Sidonius^p, (dromones, a cursu celeritate, eos nominat hic Ethelwerdus, celoces Galfridus^q) ab Anglis Keeles vocari ; vocabulo ad Gildæ cyulos proxime accedente : licet ob celeritatem Frisica lingua Schiulen potius dictos Suffridus Petrus^r opinetur. II. Quia Britannia olim Romana insula (ut eam vocat Prosper^s) habebatur, atque ita Romanum nomen tenebat, testante Gilda^t, “ ut non Britannia sed Romania censeretur ;” ideo Romanam linguam ab eodem Gilda suam hic appellari : Germaniam vero, unde Anglo-Saxones advenerant, Barbariæ nomine designari. Quicquid enim Romani nominis ac linguæ studiosum, Romaniæ : quicquid a Romanorum imperio et moribus alienum, Barbariæ nomine notabatur. Unde de Chariberto rege, qui ætati Gildæ suppar fuit, Venantius Fortunatus^u :

Hinc cui Barbaries, illinc Romania plaudit :
Diversis linguis laus sonat una viri.

III. Anglos ultra mille centum et octoginta jam annos in Britannia consedissee : quicquid inepti illi vates de breviori temporis spatio cecinerint. Et nugatoribus quibus-

^o Gild. epist. sec. 23.

^p Apollinar. lib. 8. epist. 6.

^q Galfrid. Monemuth. lib. 6. cap. 10.

^r Suffrid. de origin. Frisior. lib. 2. cap. ult.

^s Supra, cap. 11. pag. 367.

^t Gild. epist. sec. 5. et 10.

^u Fortunat. lib. 6. epigram. 4.

dam tamen sic arrisit hoc insomnium: ut Ambrosio quoque Merlino consimile oraculum affingendum putaverint: "Exin^w coronabitur Germanicus vermis, et æneus princeps humiliabitur. Terminus illi positus est, quem transvolare nequibit. Centum namque et quinquaginta annis in inquietudine et subjectione manebit: trecentis vero insidebit." IV. Appulisse Hengistum et Horsam in locum quem vulgo Hypwines-fleot nominatum, Ethelwerdus et Anglo-Saxonicorum annalium scriptores affirmant: quique hodie Ebsfleete esse putatur in Thanato Cantii insula. Eam autem insulam novis advenis primum fuisse traditam, præter alios, Ninius et Malmesburiensis confirmant; simulque locum hunc Gildæ illustrant, eos "primum in orientali parte insulæ terribiles infixisse unguēs," asserentis. Ut enim in orientali Britanniae plaga Cantium, ita in orientali Cantii parte Thanatos sita est.

Quid postea secutum, ita Beda^x explicat: "Inito ergo certamine cum hostibus, qui ab aquilone ad aciem venerant, victoriam sumpsere Saxones. Quod ubi domi nunciatum est, simul et insulæ fertilitas, ac segnitia Britonum; mittitur confestim illo classis prolixior armatorum, ferens manum fortiorem, quæ præmissæ adjuncta cohorti, invincibilem fecit exercitum. Susceperunt ergo qui advenierant, donantibus Britannis, locum habitationis inter eos; ea conditione, ut hi pro patriæ pace et salute contra adversarios militarent, illi militantibus debita stipendia conferrent^y." Quod a Gilda Britanno, paulo acrius, sic est expressum: "Cui supradicta^z genitrix, comperiens primo agmini fuisse prosperatum, ita mittit satellitum canumque prolixiorem catastam; quæ ratibus advecta, adunatur cum manipularibus spuriiis. Inde germen iniquitatis, radix amaritudinis, virulenta plantatio, nostris condigna meritis, in

^w Galfrid. Monemuth. lib. 7. cap. 3.

^x Bed. lib. 1. histor. cap. 16.

^y "Quinque Saxonum millia, cum uxoribus et liberis, octodecim Liburnicis delata e Germania, invitante Hengisto, in Britanniam venerunt. Cum his Hengisti conjux et Roxiena filia, virgo incredibili formositate;" Heet. Boeth. Scotor. hist. lib. 8.

^z *Barbara leana Germaniæ.* Gloss. Gild. MS.

nostro cespite ferocibus palmitibus pampinisque pullulat. Igitur intronissi in insulam Barbari, veluti militibus et magna (ut mentiebantur) discrimina pro bonis hospitibus subituris; impetrant sibi annonas dari; quæ multo tempore impertitæ, clauserunt (ut dicitur) canis faucem."

Pergit Beda: "Confluentibus certatim in insulam gentium memoratorum catervis, grandescere populus cœpit advenarum; ita, ut ipsis quoque qui eos advocaverant, indigenis essent terrori. Tum subito inito ad tempus fœdere cum Pictis, quos longius jam bellando pepulerant, in socios arma vertere incipiunt." Quæ ne sine justitiæ aliquo colore suscipere viderentur; ἐπιμήνια^a, sive stipendia menstrua, parce nimis atque ab indigenis sibi suppeditata causabantur. "Queruntur," inquit Gildas, "non affluenter sibi epimonia contribui, occasiones de industria colorantes: et ni profusior eis munificentia cumularetur, testantur se cuncta insulæ, rupto fœdere, depopulatos. Nec mora, minas effectibus prosequuntur." De his etiam et Abbo Floriacensis audiendus, in vita regis Edmundi, Anglo-Saxonum apud nos primordia hisce verbis explicans: "Acciti aliquando in Britanniam precario munere in perniciosum auxilium tres Germaniæ populi, hoc est, Saxones, Viti (sic enim habet meus MS. pro Juti) et Angli primum Britonibus interdiu fuere præsidii. Qui cum sæpius bello lacessiti se et suos defensarent fortiter (illi vero ignaviæ operam dantes quasi proletarii ad solam voluptatem domi residerent, fisci de invicta fortitudine stipendiarios militum quos sibi conduxerant) ipsos miseros indigenas domo patriaque pellere deliberant. Factumque est: et, exclusis Britonibus, statuunt inter se dividere victores alienigenæ insulam bonis omnibus fœcundissimam; indignum judicantes eam ignavorum dominio detineri, quæ ad defensionem suam idoneam posset præbere sufficientem alimoniam et optimis viris. Qua occasione inducti, orientalem ipsius insulæ partem, quæ usque hodie lingua Anglorum EAST-ANGLE vocatur, sortito nomine Saxones sunt adepti. Vitis et Anglis ad alia tendentibus, in quibus suæ sortis funiculo

^a Hoc verbum habetur in eclogis Polybii de legationib. et apud veterem scholiastam 7. satyræ Juvenalis; ut ad eum notat P. Pithæus. opusc. pag. 772.

potirentur, ne esset cum sodalibus ullum de possessionibus litigium, quibus suppeteret amplitudo terræ ad regnandi emolumentum. Unde contigit, ut per regiones et provincias divisa, plurimis primum ducibus, deinde regibus sufficeret una eademque Britannia." Ita Abbo, in eo tamen lapsus, quod East-Angliam orientalium Anglorum patriam, ipso etiam reclamante nomine, non Anglis sed Saxonibus sortito obvenisse credit.

Anno post adventum ipsorum "sexto, iniisse bellum Hengest et Horsam contra Wirthgernum in campo Egles-thrip: ibique interfectum Horsam, et Hengest cepisse regnum," scribit Fabius Ethelwerdus: anno CCCCLV. prælium hoc commissum fuisse, atque Horsa cæso Hengistum regnum iniisse, annales omnes Anglo-Saxonici consentiunt; ad quem annum, in annalibus etiam Asserio Menevensi attributis, ita annotatum legimus: "Bellum apud Cantiam in loco qui dicitur Ægelesthrep contra Brittones et regem Brittonum Guirthegirnum; in quo cecidit Horsa. Et frater ejus Hengistus regnum suscepit cum filio Oisc apud Cantuarios:" et in Florentii Wigorniensis chronico: "Hengest et Hors cum Wirthgero Britonum rege in loco qui dicitur Ægelesthrep pugnare: et licet in ea pugna Hors occisus esset, Hengest tamen victoriam habuit; et post hoc cum filio suo Æsc regnare cœpit." Ninius, et Britannica^b cum eo historia, prælium hoc a Vortimero, Vortigerni filio factum refert, post aliud ab eodem ad flumen Dervent gestum: "Primum recensens bellum super flumen Dervent. Secundum bellum super vadum quod dicitur in lingua eorum Episford, in nostra autem lingua Satheneghabail: et ibi cecidit Horsa, cum filio Guorthigirni cujus nomen erat Catigirrus."

Matthæus Florilegus^c tria hic prælia distinguit. Unum apud flumen "Derewent: ubi Vortimerus victoriam adeptus, cœpit possessiones amissas civibus indigenis restituere, ipsosque diligere, ecclesias destructas restaurare, atque viros ecclesiasticos, præcipue religiosos hono-

^b Galfrid. Monemuth. lib. 6. cap. 13. ^c Flor. histor. ann. 454, et 455.

rare." Alterum apud Aillesford: in quo victor fuerit Vortimerus. Tertium denique, in quo Horsus et Catigirinus sunt interfecti. Derwentum autem flumen, non Eboracense illud hic intelligendum, sed Darentum Cantianum; a Darentford sive Dartford oppido illi appposito satis cognitum. Secundus ille locus, qui ab aliis Æglesthrep, in annalibus Saxonibus Petroburgensibus Æglesford et hodie Aillesford dicitur: prope quem Catigirni, ut putatur, memoriae positum saxeam cernitur monumentum, Keith coty house vulgo appellatum; neque Horsted procul dissitum, quod ab Horsa accepit nomen. Tertius locus qui Horso fatalis fuit, et Ninio Episford, Henrico Huntingdoniensi Aeilstreu vel Estre est dictus, in orientalibus Cantii partibus situs fuisse videatur; in quibus ad sua usque tempora Horsam, "occisum in bello a Britonibus, monumentum habuisse suo nomine insigne," Beda^d confirmat.

Atque hic etiam illud obiter notandum, eodem fere tempore iniisse hic Hengistum regnum suum, quo apud Francos Merovingorum primus regnare cœpit Childericus: de quo, ad annum CCCCLVI. Cæsar Baronius: "Liquet, ab hujus anni tempore, cum res Romanæ collapsæ essent, et Gothicis negotium esset cum Suevis, Francos in Gallia suas firmasse sedes, regnumque stabiliisse Parisiis, Childerico regnante;" quanquam Jacobo Sirmondo^e, patriarum saltem rerum multo quam ille erat intelligentiori, certius liqueat, Childerici filium et successorem Chlodovæum (quem *Χλωθοαῖον* Agathias, Ludovicum Remigius Remensis in testamento suo, Chlothovechum in epistolæ^f ad episcopos epigrapha, ipse se appellat) "Francici regni fines adhuc angustos nec statos, devictis Romanis, subactis Alamannis, Gothicis profligatis dilatavisse, sedemque Parisiis constituisse." Childerici enim tempore "parvam rem regum regnique Francorum fuisse," a scriptore etiam vitæ Gildæ^g, ex bibliotheca Floriacensi a Johanne de Bosco

^d Bed. lib. 1. histor. cap. 15.

^e Sirmond. in Francorum regum catalogo, præfix. tomo 1. concilior. Gallia.

^f Ibid. pag. 176.

^g Vit. Gildæ, cap. 12.

editæ, est notatum. Quibus et Malmesburiensis^h nostri illam, de communi utriusque gente sermone, observationem libet adjicere: "Naturalis lingua Francorum communicat cum Anglis; eo quod de Germania gentes ambæ germinaverint:" illa nimirum lingua, quam Franci Transrhœnani terunt; et qua Carolum magnum Francorum regem usum fuisse, ex vita ipsius paulo ante confirmaverat. Quamobrem, ut linguam Francicam Teudiscam appellat Nithardus^l, et Teotiscam Frodoardus^k: ita et Anglo-Saxonicam nostram Gregorius Ostiensis Teutonicam nominat; de actis concilii Merciorum sub Offa rege habiti ad Hadrianum I. pontificem, cujus in Anglia legatus fuerat, ista referens: "In^l conspectu concilii clara voce singula capitula perlecta sunt; et tam Latine quam Teutonice, quo omnes intelligere possent, dilucide reservata sunt." Quo minus mirum videri nobis debeat, quod a Beda^m proditum invenimus; Augustinum et socios, conversionis Anglorum opus aggressos, "accepisse, præcipiente papa Gregorio, de gente Francorum interpretes."

Anno vero gratiæ CCCCLVI. ut habet Matthæus Florilegus, "Horso defuncto; Saxones Hengistum fratrem ejus in regnum Cantiaë sublimaverunt. Quo etiam anno ter contra Britones pugnasse legitur. Sed probitati Vortimeri resistere non valens, ad insulam Thanet confugit; ubi quotidie prælio navali vexabatur. Tandem Saxones cymbas suas vix ingressi, relictis mulieribus et filiis, in Germaniam redierunt:" et ante cum Henricus Huntingdoniensis in libro historiarum secundo: "Scripserunt quidam Hengistum, post interfectum fratrem Horsum, in eodem anno ter contra eos pugnasse nec potuisse resistere probitati Gortimeri: sed semel ad insulam Tenet, semel ad naves fugisse, et pro his qui abierant in patriam misisse;" et ante utrumque Ninius Britannus: "Guorthemir filius Guorthigirni cum Hengisto et Horso et illorum gente potenter pugnabat, et eos usque ad insulam

^h Guil. Malmesbur. de gest. reg. Anglor. lib. 1. cap. 3.

^l Nithard. histor. lib. 3.

^k Frodoard. chronic. ad ann. 948.

^l Histor. ecclesiast. Magdeburgensium; centur. 8. cap. 9. col. 586.

^m Bed. histor. ecclesiastic. lib. 1. cap. 25.

quæ dicitur Taneth expulit; illosque illic tribus vicibus conclusit, obsedit, percussit, comminuit, terruit. Ipsi itaque legatos trans mare usque in Germaniam miserunt, vocando ciulas cum ingenti numero bellatorum virorum et fortium: et postea pugnabant contra reges gentis nostræ. Aliquando vincebant, et dilatabant terminos suos: aliquando vincebantur, et expellebantur. Et Guorthemir quatuor bella contra eos avide gessit: quorum postremum ab eo commissum "in campo juxta lapidem tituli, qui est super ripam Gallici maris (quique a lapide illo adhuc Stonar nomen retinet, in Thanato insula non procul a Rhutupino portu positus:) ubi Barbari," inquit Ninius, "victi sunt, illeque victor fuit. Et ipsi in fugam usque ad ciulas suas reversi sunt, in eas muliebriter intrantes: ille autem post modicum intervallum temporis mortuus est."

Anno enim sequenti, ut narrare pergit Huntingdoniensis, "regnante Leone imperatore (qui regnavit septemdecim annis) morbo periit flos juvenum Gortimerus: cum quo simul spes et victoria Britonum extincta est. Hengist igitur et Æsc filius suus receptis auxiliis a patria sua, et morte juvenis freti bello se præparant apud Creganford. Britanni vero quatuor phalanges maximas quatuor ducibus munitas fortissimis bello prostituunt. Sed cum ludum belli Britones inissent, numerum Saxonum majorem solito male ferebant. Recentes quippe, qui supervenerant, et viri electi erant: securibus et gladiis horribiliter corpora Britonum findebant. Nec tamen cesserunt, donec quatuor duces eorum prostratos et cæsos viderunt: tunc vero ultra quam credi potest perterriti, a Kent usque in Londoniam fugerunt; et nunquam in Cantiam postea gratia pugnandi venire ausi sunt." Pugnam hanc ad Creccanford Cantii opidulum (ad Creccam sive Creiam fluvium non longe a Dartfordia positum, et Creiford hodie appellatum) anno CCCCLVII. quo Leo senior imperare cœpit, factam fuisse, etiam Fabius Ethelwerdus et Florentius Wigorniensis, una cum annalibus Saxonice Ecclesie Christi Cantuariensibus ac Petroburgensibus, confirmant: licet in aliis ad præcedentem annum, non ita recte, refe-

ratur. Annoⁿ CCCCLXI. Hengistum audito obitu Vortimerii, cum tribus millibus armatorum sibi sociatis in Britanniam advectum cædem hanc patrasse, in Scotchronico legimus, libro tertio, capite decimo quinto : “ Anno Domini CCCCXI. (inquit ibi Fordonus) Hengistus audito obitu Vortimerii, qui per venenum a sua noverca porrectum extinctus fuerat, cum tribus millibus armatorum sibi sociatis in Britanniam advectus est. Sed cum tantæ multitudinis adventus iterum Vortigerno in rege creato principibusque regni nunciatum fuisset, indignati valde cum illis constituunt præliari. Quod cum Hengisto filia sua, Vortigerno injuste prius copulata, per internuncios patri clam indicasset; ipse Hengistus gentem Britannicæ sub specie pacis prodere cogitavit.”

Britannorum jam aliam de Saxonibus narrationem a Ninio, licet non admodum eleganti sermone, expositam hic adjungimus; ut utriusque gentis historiæ a studioso lectore inter se conferri possint : “ Post mortem Guorthemir regis Guorthigirni filii, et post reversionem Hengisti cum suis turmis, fallax consilium hortati sunt; ut dolum Guorthigirno cum exercitu suo facerent. At illi legatos ut pacem impetrarent miserunt, et ut perpetua amicitia inter illos fieret, et Guorthigirnus cum suis majoribus natu concilium fecerunt; et scrutati sunt quid facerent. Tandem consilium omnibus fuit, ut pacem facerent: et legati Saxonum reversi sunt. Postea vero conventum adduxerunt: ut ex utraque parte Britones et Saxones sine armis convenirent statutum est; et amicitia firma adinvicem esset. Hengistus nequissimus omni familiæ suæ jussit, quod unusquisque artavum^o suum sub pede suo in medio ficonis sui poneret: et quando clamavero ad vos et dixerero, Nemet eour saxes^p; cultellos vestros ex ficonibus^q vestris educite, et in illos irruite, et fortiter contra resistite. Et regem illorum nolite occidere, sed eum ob causam filiæ

ⁿ Ita et Mat. Florileg.

^o Id est, *cultellum*; Johan. Januens. in catholico.

^p “ Quippe brevis gladius apud illos saxa vocatur. Unde sibi Saxo nomen traxisse putatur.” Theoderic. Engelhus. chronic.

^q *Thecis*: quæ a Græcobarbaris etiam *φικάρια* appellantur.

meæ quam dedi illi in conjugium tenete: quia melius est nobis, ut ex manibus nostris redimatur. Et conventum adduxerunt, et in unum convenerunt: Saxones autem amicaliter locuti sunt, et mente interim vulpeculi more agebant, et vir juxta virum socialiter sederunt. Et Hengistus, sicut dixerat, vociferatus est; et omnes seniores trecenti Guorthigirni regis jugulati sunt, ipseque solus captus et catenatus est: ac regiones plurimas pro redemptione animæ suæ tribuit illis; id est, Eastsex, Suthsex, et Middlesex.

Atque hinc Simon, in Abbendonensium abbatum historia, prima Abbendonæ suæ repetit initia: quam alii ejusdem loci cœnobitæ Constantinianis floruisse temporibus, et ante Anglorum adventum monachorum conventu celebrem fuisse tradiderunt. Quo figmento licet non sit veri multum similior ipsa hæc Simonis narratio; tamen ne quid hic etiam curiosus lector desideret, subjiciendam curavimus: "Eo tempore quo nequissimus Hengistus paganus apud Stanhengest tot nobiles consules et barones, id est, quadringentos et sexaginta, seductoria calliditate peremit; filius cujusdam consulis qui ibidem occubuit vix evasit, cui nomen erat Aben. Hic maximo timore percussus, ad quandam sylvam in australi parte Oxoniæ sitam pervenit; ibique cum feris, herbis et radicibus vitam ducens, multo tempore delituit. Cum autem aquam non haberet unde biberet; oratione facta, dedit ei Deus fontem, qui usque hodie ibidem cernitur. Cum audissent ergo homines provinciæ illius sanctitatem viri; confluebant ad eum, et ejus sermonibus multum proficiebant. Tunc construxerunt ei habitaculum et capellam in honore sanctæ Mariæ. Non ferens ergo vir ille sanctissimus hominum frequentiam, latenter recessit, et in Hiberniam profectus est; ibique bono fine in Domino quievit. Mons vero ubi vir ille manebat, et quem relinquebat, ex nomine ejus Aben-dun vocatur. Hic est mons qui juxta Bawbe sita est, juxta Pinnesgrave." Hucusque Simon.

Anno vero CCCCLXI. Hengistum, audito obitu Vortimerii, "cum tribus millibus armatorum sibi sociatis in Britanniam advectum," viros illos quadringentos et sexaginta

jugulavisse, in *Scotichronico* legimus. Galfridus Mone-muthensis^r trecenta millia armatorum Hengistum sibi asso-ciavisse narrat: atque in conventu illo, Kalendis Maii juxta Ambrii cœnobium, haud longe a Sarisburia, habito circiter quadringentos et sexaginta vel (ut alia habent ex-emplaria, quæ Johannes Tinmuthensis quoque, in vita S. Dubricii est secutus) quadringentos et octoginta barones et consules occisos; eorumque corpora a B. Eldado, Glo-cestrensi episcopo, in vicino cœmiterio, Christiano more, postmodum sepulta fuisse subjicit. Guilichmus Caxtonus, et ejus vestigiis insistens Johannes Major^s, cum quindecim hominum millibus, Britanniam ingressum esse Hengistum; et in monte illo juxta Sarisburiam MLXI. (vel MLX. ut habet Major) Britonum nobiles viros dolo Saxonas intere-misse scribit. Johannes Hardingus^t, Hengistum cum trecentis navigiis in Britanniam appulsum, quadringentos nobiles Britannos, proditione sustulisse refert. Trecentos tantum, cum Ninio, numerat Guilielmus Malmesburiensis^u. Neque plures Britannia principes ibi peremptos, ex Lei-densi chronico Vorperus Thaborita^v et Cornelius Kemp-pius^x referunt. Totidem quoque habet^y Johannes Ger-brandus Leidensis: alibi^z tamen inter eos, duodecim duces Britanniarum, quasi præcipuos recensens. Postquam enim totam Britanniam B. Germani opera ad cultum Christi secundo rediisse dixisset; “in eo Christianitatis cultu permansisse” eam addit, “usque dum Hengistus rex Frisiae paganus et Aschus ejus filius duodecim^a duces Britanniarum fere cum omnibus suis principibus et adju-toribus occiderunt. Et extunc totam Britanniam fidem Christi deseruisse” asserit: donec Gregorius Magnus per Augustinum et Mellitum Angliam ad baptismi gratiam

^r *Histor. Britannic.* lib. 6. cap. 15. cum lib. 8. cap. 5. et 9.

^s Major, de gest. Scotor. lib. 2. cap. 3. ^t Harding. *chronic.* cap. 63.

^u Malmesbur. de gest. reg. lib. 1. cap. 1.

^v Vorper. *histor. Fris.* lib. 1. cap. 8. ^x Kemp. *rer. Fris.* lib. 2. cap. 22.

^y Johan. Leidens. *chronic.* Belgic. lib. 1. cap. 9.

^z Id. lib. 2. cap. 1.

^a Anno 465. Hengistum et Æscum filium ejus, ad Wippeds-flect commisso prælio, duodecim duces Britannorum occidisse, in Fabii Ethelwerdi, Florentii Wigorniensis, et Anglo-Saxonum chronicis legimus.

tertio revocaret. Ubi veteres Britanni et novos advenas Anglos non magis ille videtur distinxisse, quam Albertus Krantzius^b, qui Gregorium scribit “ primum Angliæ prædicatores immisisse; quum jam diu abolita esset in provincia religio Christi; quam Lucius quondam Britanniae rex ab Alexandro primo ejus nominis summo pontifice impetravit in insula prædicari.”

Christianam tamen religionem ab Anglo-Saxonibus hic dominantibus miserum in modum hoc tempore fuisse oppressam negari non potest: “ Clerum^c, templa et omnia ad cultum divinum ordinata Engistus Paganus conculcat et perdit.” De qua calamitate jam tum imminente, Ambrosium Merlinum ita vaticinatum fuisse tradiderunt Britones^d. “ Cultus religionis delebitur; et ecclesiarum ruina patebit:” verum statim subjecisse. “ Prævalebit tandem oppressa; et sævitiae exterorum resistet.” Præsentia vero mala a Gilda veracissimo historico ita habemus expressa, stylo plane dithyrambico: “ Confovebatur, ultionis justæ præcedentium scelerum causa, de mari usque ad mare ignis, orientali sacrilegorum manu exaggeratus: (in orientali enim parte insulæ Saxones primas sedes posuisse jam ante dixerat:) et finitimas quasque civitates agrosque populans, non quievit accensus, donec cunctam pene exurens insulæ superficiem rubra occidentalem trucique oceanum lingua delamberet. In hoc ergo impetu, Assyrio olim in Judæam comparando, completur quoque in nobis secundum historiam, quod propheta deplorans ait, *Incenderunt igni sanctuarium tuum; in terra polluerunt tabernaculum nominis tui: et iterum, Deus^e, venerunt gentes in hæreditatem tuam: coinquaverunt templum sanctum tuum, &c.* Ita ut cunctæ coloniæ crebris arietibus, omnesque coloni, cum præpositis ecclesiæ, cum sacerdotibus ac populo mucronibus undique micantibus ac flammis crepitantibus simul solo sterne-

^b Krantz. metropol. lib. 1. cap. 6.

^c Jo. Major, de gestis Scotor. lib. 2. cap. 3.

^d Galfrid. Monemuth. lib. 7. cap. 3.

^e Psalm. 74. (al. 73.) ver. 7.

^f Psalm. 79. (al. 78.) ver. 1.

rentur : et, miserabili visu, in medio platearum una, turrium edito cardine avulsarum murorumque celsorum saxa, sacra altaria, et cadaverum frusta crustis ac sigillantibus^g purpurei cruoris tecta, velut in quodam horrendo torculari mista viderentur ; et nulla esset omnimodis, præter domorum ruinas, bestiarum volucrumque ventres, in medio sepultura : salva sanctarum animarum reverentia, si tamen multæ inventæ sunt, quæ arduis cœli id temporis a sanctis angelis veherentur. Ita enim degeneraverat tunc vinea illa, olim bona, in amaritudinem ; uti raro secundum prophetam videretur, quasi post tergum vindemiatorum, racemus vel spica."

Eadem sed contractius, ex Gilda repetit Beda : quorum hæc summa : " Ruebant^h ædificia publica simul et privata ; passim sacerdotes inter altaria trucidabantur, præsules cum populis sine ullo respectu honoris ferro pariter et flammis absumebantur : nec erat qui crudeliter interemptos sepulturæ traderet." His a se citatis Bedæ verbis Hector Boethiusⁱ, de Saxonum quodam decreto, a seipso, ut videtur, excogitato, præmittit ista : " Vetitum eò decreto, ne quispiam Britannici sanguinis in Albione extra Gualiaë fines, post eum qui vicesimus ex eo foret dies, inveniretur : neve quis profiteretur Christi dogma, Christianove ritu sacra perageret ; capitali pœna in edicto minus obtemperantes proposita. Eo prætereunte die, exercuere Saxones crudeliter pœnam in rebelles : cœperatque per procaces in utriusque sexus omnem ætatem, in regionibus quæ Saxonum cæssissent nomini, cædes evagari. Sævitus immanissime in Christi sacerdotes, templa, cœnobiaz : " posteaque octavum historiæ suæ librum hac narratione claudit : " Passi sunt complures sub idem tempus antistites et sacerdotes, propter Christi nominis confessionem a Saxonum feritate in Albione (uti qui Britannicas res memoriæ prodiderunt, literis mandaverunt) constantissimis animis martyrium. Alii alio fugientes, secundioribus se rebus servaverunt : et inter eos Patricianus episcopus vita et disciplina insigni apud Con-

^g al. *semigelantibus*, al. *sigillaribus*.

^h Bed. histor. lib. 1. cap. 15.

ⁱ Boeth. Scotor. hist. lib. 8.

gallum Scotorum regem ; a quo prædiis et agris in Mona insula donatus, vitam plane Christiano dignam docendo et exhortando ad meliora peregit. Quievit is beatissimo fine, perspicuum cunctis exemplum, studiosam vitam Deoque optimo maximo semper acceptam relinquens, Conrano rege Scotis imperitante.”

Hujus persecutionis, in anni CCCCLXII. historia, ita meminit Matthæus Florilegus : “ Ecclesias et ecclesiastica omnia ad solum usque destruebant, sacerdotes juxta sua altaria trucidabant, sacras Scripturas igne concremabant, per sanctorum martyrum sepulturas cumulos terræ congebant.” Eadem repetit Johannes Fordonus in Scotichronico : addita hac totius hujus tragædiæ veluti catastrophe : “ Viri religiosi et conjugati substantiam, conjuges, liberos et (quod majus est) libertatem relinquentes, exteris ac transmarinas petebant regiones. Nonnulli de miserandis reliquiis qui ab hac clade evadere poterant speluncas et memorialia loca, quidamque boreales patres et quidam australes, Scotiam videlicet Walliam et Cornubiam, petierunt :” quæ Gildas, qui a calamitosissima illa tempestate proxime abfui, ita deplorat : “ Nonnulli miserarum reliquiarum in montibus deprehensis acervatim jugulabantur. Alii fame confecti accedentes manus hostibus dabant in ævum servituri, si tamen non continuo trucidarentur, quod altissimæ gratiæ stabat loco. Alii transmarinas petebant regiones ; cum ululatu magno, ceu celeusmatis vice, hoc modo sub velorum sinibus cantantes : *Dedisti^k nos tanquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos.* Alii montanis collibus, minacibus præruptis, vallatis et densissimis saltibus, marinisque rupibus, vitam suspecta semper mente credentes, in patria licet trepidi perstabant.” Ex iis vero qui transmarinas petebant regiones quidam, ut Johannes Leidensis^l innuit, (licet locus in libro edito sit depravatus) “ fugientes venerunt ad terram Armoricæ dictam ; quam obtinentes nominaverunt Britanniam minorem, et illa Britannia nunc est ducatus Franciæ. Quidam autem alii Britones fugientes ad Hollandiam, atque

^k Psalm. 44. ver. 11. al. Psalm. 43. ver. 12.

^l Jo. Gerbrand. chronic. Belgic. lib. 1. cap. 13.

ad ostia Rheni fluminis ubi Rhenus intrat mare, prope Catwyck vela diviserunt: et ibidem castrum munitissimum construxerunt, quod Britton appellaverunt; vicinumque populum eis subjecerunt.”

Hoc castrum idiomate Teutonico Die burch te Britten idem alibi^m appellatum docet; quasi Brittenburgum sive Britonum castellum dixeris: eodemque sensu ab accolis Hollandis hodie Het huys te Britten, id est, Domus Britannica nuncupatur. Inⁿ Batavico litore ad medium Rheni ostium sita est arx ista: cujus hodie rudera tantum et fundamenta manent, marinis fluctibus et arenarum cumulis ita objecta, ut non nisi recedente maris æstu, et vehementiore vento continuatis flatibus litus nudante, conspicienda se præbeant. Ejus ichnographia quadrata, ducentis quadraginta pedibus quaquaversum producta, justum duorum Romanorum jugerum spatium complexam fuisse demonstrat. Præsidiarium^o enim Romanorum munimentum hoc fuisse, præter alia, veteres nummi, lapides, coctiles lateres imbricesque cum suis inscriptionibus in iisdem ruinis reperti dubitare nos non sinunt: quos in Bataviæ suæ capite decimo Hadrianus Junius, et in antiquitatum Batavarum tabulario Petrus Scriverius spectandos nobis proposuit. Ut igitur castrum hoc a Brittonibus constructum Johanni Leidensi concedere non possumus: ita a Romanis jam derelictum occupavisse illud Britones, vicinumque populum, quod ille retulit, sibi subjecisse, ne quasi quiddam incredibile existimetur, facit Procopii Cæsariensis a nobis jam productum testimonium^p; qui Justiniani temporibus Brittiā, distinctam a Britannia nostra insulam, a tribus numerosissimis nationibus, “Anglis, Frisonibus, et qui idem cum insula habebant nomen Brittonibus,” habitatam fuisse scripsit. Si verum enim est quod ille ait, ex^q adverso maxime ostiorum Rheni, in

^m Jo. Gerbrand. chronic. Belgic. lib. 5. cap. 30.

ⁿ Arcem Britannicam a Romanis contra Britonum incursions in litore extractam affirmat Guil. Lindanus apud Baron. martyrolog. Roman. Octob. 21.

^o Vid. Stephanum Vinandum Pighium, in Hercule Prodicio, pag. 45, 46.

^p Supr. pag. 458.

^q Καταντικρὺ τῶν τοῦ Ῥήνου ἐκβολῶν μάλιστα. Procop. rer. Gothicar. lib. 4.

oceanō fuisse sitam : non alia quam Batavorum insula hæc esse poterit.

Neque de Frisonibus hic quicquam miri : quum non solum Plinii^r et Taciti^s ætate Frisios hic consedissee liqueat ; sed posterioribus etiam temporibus Frisiæ partem et Trajectensem^t provinciam habitam fuisse constet, et septentrionalem Hollandiam, quæ West-Frisiæ sive occidentalis Frisiæ nomen adhuc retinet, et Hollandiæ comitibus dominorum Frisiæ titulum olim dedit. Sed unde Angili vel Angli illi huc advenerint, videndum : “ Magnam certe Anglorum copiam ex Britannia duce Hengisto in Frisiam trajecisse, ex annalibus nostris intelligimus ;” inquit Suffridus Petrus^u. “ Leidensem^w quoque civitatem ab Hengisto filio (ut ille ait) regis Frisiæ, ex Britannia pulso, primo ad ripam Rheni fundatam,” ex annalibus refert Cornelius Kempius : “ constructoque^x castello ad orientem Rheni ripam, præsidem in eo constitutum Dibaldum Borchgraviū, ut viatoribus passagium liberum præberet, et tutum negotiatoribus accessum et recessum præstaret ; unde postea et civitas sumpsit nomenclaturam vulgari idiomate Leiden.”

Id Johannes Gerbrandus Leidæ ipse ortus, plenius enarrat. Cum enim dixisset Hengistum^y “ collectis armigeris ex Saxoniam inferiori (sive Frisia) patria sua, cum Sclavensibus id est Hollandensibus” in Britanniam trajecisse : quid ab ea exercitus parte factum, quæ patrias sedes iterum repetiit, ita explicat : “ Cum^z Saxones Frisones cum Sclavensibus, id est, Hollandensibus revecti fuissent cæteris ibidem dimissis ; et jam non habentes opus præmanibus, nescirent quid agerent, et quo se verterent : perrexerunt pariter ad sylvam immitem, in manu forti, et ibidem apud cursum Rheni fluminis magnum castrum fundaverunt, quod nunc Leydis nominatum. In eodem ergo

^r Plin. natur. histor. lib. 4. cap. 15.

^s Tacit. lib. de Germania.

^t Bed. histor. ecclesiastic. lib. 5. cap. 12.

^u Suffrid. de origin. Frisior. lib. 2. cap. 11.

^w Kemp. rer. Frisc. lib. 2. cap. 1.

^x Ibid. cap. 21.

^y Johan. Leidens. chronic. Belgic. lib. 1. cap. 9.

^z Ibid. cap. 10.

Leydensi castro ordinaverunt, ex seniorum consensu, constitueruntque pro nemoris custodia quendam Burchgravi-um seu Castellanium, virum robustum, cum animosis ple-risque viris; ut idem Castellanus sive Burchgravius cum eis defenderet et secure duceret mercatores euntes et re-deuntes ab illo castro ad castrum Wiltenborch et Slaven-borch; et ideo dicebatur castrum illud Leyden, id est, ductio: quod ipsum etiam de Pyrgo sive Burgo^a illo ab Hengisto condito (ipsius enim Lugduni Batavorum oppidi structuram longe antiquiorem fuisse Ptolemæi et tabu-larum itinerariarum evincit autoritas) vulgata Hollandiæ chronica secuti, nostri quoque ævi viri^b doctiores retu-lerunt.

Et quidem Hengistiani exercitus partem non exiguam, “exterminatis dispersisque insulæ indigenis, domum recessisse,” ex antiquioribus authoribus, Gilda^c atque Beda^d, didicimus. Sed cum patriam Hengisto non Friscam illam, e Batavorum vicinia, sed Danicam jam assignave-rimus: quærendum an ille, cum Anglis suis, a Vortimero e Britannia, ut Britannica indicat historia, pulsus: an victor, fugientes Britannos insecutus, coloniam huc dedux-erit, et novam arcem præsiariam hic extruxerit quæ veteri ab eis occupato munimento semper immineret. Pro-copius enim tres istos populos, Friscum videlicet indige-nam, Anglicum et Britannicum advenas, non in unam coa-luisse rempublicam, sed suis quosque regibus subjectos fuisse significat: et a Brittenburgo non nisi duarum cir-citer horarum itinere distat Burgum illud, a quo Burggravii Leidenses nomen olim habuerunt; quod tamen non ab Hengisto, sed a Mandetho nescio quo (patre Lemanni regis Batavorum ejus nominis primi) conditum affirmat in Batavia sua Cornelius Haemrodus: ut de Philippo Clu-verio, cui^e Romanæ videtur esse structuræ, lapidibus

^a De Burch.

^b Janus Dousa, in oda 2. Lugdunens. Johan. Meurs. Athenar. Batav. lib. I. cap. 15. Gotfrid. Hegenitius, in itineralio Frisio Hollandico. Vid. Hadrian. Jun. Batav. cap. 17. pag. 269, 270.

^c Gild. epist. sec. 25.

^d Bcd. histor. lib. I. cap. 16.

^e Cluver. German. antiqu. lib. 2. cap. 36.

eamdem quam Brittenburgum specie præ se ferentibus vetustatem, et aliis, a quibus Normannorum^f opus fuisse creditur, nihil dicam. Hac enim de re quisque quod volet sentiat, per me quidem licebit.

Britannos apud Plinium^g, et Britannicianos in notitia utriusque imperii, ad Brittenburgios illos trahit Abrahamus Ortelius^h, ad Armoricanos Paulus Merulaⁱ. Verum Plinii Britannic^k, sive Brianni potius, in Arebatium finibus ab illis fuerant quærendi: et in notitiarum libro, ut Pannonicianos a Pannonia, ita etiam Britannicianos a Britannia nostra deduci quid vetat? Britannorum vero coloniam in Armoricam traductam, a Constantio quidem Chloro significat Radulphus Niger in chronico, a filio ejus Constantino Magno Guilielmus Malmesburiensis^l, a Maximo tyranno Ninius^m, Galfridus Monemuthensis, Henricus Huntingdoniensis, Giraldus Cambrensis, Matthæus Florilegus, et posterioris ævi complures alii. Verum post Saxonum adventum hoc factum, neque solus neque primus Johannes Leidensis, sed et ante et post illum tradiderunt alii. In quibus et vetus est scriptor Armoricanus; qui Fracanum consobrinum Cotonii regis Britannici, cum filio suo Wingualocoⁿ (Winwaloco et Galnutio aliis dicto) e majore Britannia in Armoricam transmigrasse ostendens, de tempore Britannicæ coloniae eo deductæ præmittit ista: "Britanniarum^o soboles quondam ratibus ad istam devecta est citra mare Britannicum terram, tempore quo gens Barbara, dudum aspera in armis, moribus indiscreta, Saxonum maternum possedit cespitem. Tunc se chara soboles in istum conclusit sinum: quo loco, magnis laboribus fessa, ad horam consedit sine bello quieta. Interca miserorum qui paterna incolebant rura, peste fœda repente exorta, cater-

^f Jo. Latius, in Hollandiæ descript. cap. 5.

^g Plin. hist. nat. lib. 4. cap. 30.

^h Ortel. thesaur. Geograph. voc. Britanni.

ⁱ Merul. Geograph. part. 2. lib. 3. cap. 31.

^k Vid. Cluveri German. lib. 2. cap. 27.

^l Malmesbur. de gest. reg. lib. 1. cap. 1.

^m Vid. supr. cap. 8. pag. 212. 214.

ⁿ At natum illum postea author narrat in Armorica.

^o Vita S. Wingualoei, MS. in bibliotheca Cottoniana.

vatim absque numero et absque sepultura miseranda sternuntur corpora. Ex hac lue, magna ex parte antiqua desolatur patria. Tandemque pauci et multo pauci qui vix anticipem effugissent gladium, aut Scoticam quamvis inimicam, aut Belgicam, natalem autem patriam linquentes, coacti acriter alienam petivere terram. Inter hos vir quidam illustris, spes prolis beatæ nomine Fracannus, Catonii regis Britannici viri secundum seculum famosissimi consobrini; cujus adhuc sacrum in lumbis latebat semen. Iste igitur cum geminis natis, Weithnocho Jacoboque parenteque eorundem Alba nomine quæ cognominatur Trimannus Armoricam (ubi tunc opacum adhuc sine clade audiebatur siluisse terræ spatium) rate conscensa aggreditur, enatato cum paucis ponto Britannico et Circio leniter flante, delatus est in portum qui Bracheus dicitur." Cujus coloniæ Riovalum duces fuisse, abbas Florentius^p nobis indicavit; ita de illo scribens, "Principabatur in transmarina sive majori Britannia, quæ modo dicitur Anglia; et postmodum, in copiosa navium multitudine ac manu valida, exteriorem sibi subiecit Britanniam."

De tempore consentit et Eginhardus in annalibus, quos anonymos Hermannus comes Nucnarius, adulterino Adelmi Benedictini titulo prænotatos Marquardus Freherus emisit. "Cum^q ab Anglis ac Saxonibus Britannia insula fuisset invasa, magna pars incolarum ejus mare trajiciens, in ultimis Galliæ finibus Venetorum et Coriosolarum regiones occupavit:" quod, illius vestigiis insistens, Paderbornensis poeta latius explicavit; in secundo Carolini sui operis libro de Armorica gente canens similiter.

Insula cujus erat fœcunda Britannia dudum
 Patria: namque illic habitabat tempore multo.
 Cumque novas Angli sedes sibi quærere vellent,
 Saxonesque simul hanc invasere feroces;
 Expulsi statim veteres cessere coloni,
 Maxima pars quorum fugiens mare transiit, atque
 Gallia qua fines habet extremos, ibi tandem
 Fluctibus Oceani quæ proxima viderat arva
 Detinuit: quibus in terris huc usque moratur,
 Indicium patriæ solo dans nomine prisæ.

^p Florent. in vita S. Judoci; apud Surium, Decemb. 13.

^q Annal. Francor. ann. 786.

Sic et author fragmenti^r historiae Francicae, ex vetusta membrana Floriacensis cœnobii a Petro Pithœo editi ad annum DCCCCXVII. “Juxta Normannos habitationem habent Britanni: qui pulsus a Britannica insula dudum a Saxonibus, eandem regionem quam modo incolunt sibi vindicantes, appellavere a sua gente Britanniam, quæ prius Cornu Gallia dicebatur:” et Johannes Gobellinus^s: “Britanni ab Anglis ex insula pulsus, in continentem navigantes, inter Guascones et Nortmannos sedes sortiti sunt, in quibus nomen et linguam retinere; multis civitatibus occupatis, quarum una est Venetensis appellata:” ut Paulum Æmilium, Albertum Krantzium, Reinerum Reineccium, et alios recentiores omittam.

Pro quibus illud maxime facit, quod ante tempora Childerici I. (quem eodem prope anno cum Hengisto regnum iniisse ostendimus^t) Britannorum Galliam incolentium nulla certa apud authores occurrat mentio. Dicit quidem Papirius Massonus^u, in notitia utriusque imperii hæc verba haberi: “Aletha civitas maritima Britannia Celtica”: sed fefellit eum memoria. Neque causam afferunt alii, quare vel Βρετανους^w Dionysii Periegetæ, vel Britones^x sive Brittones Juvenalis, Martialis et Ausonii, de minoris hujus magis quam de majoris nostræ Britannia incolis accipere debeamus. Childerico vero regnante Armoricam “a Britannis possessam et Letaviam^y dictam” fuisse, in vita Gildæ quam ex Floriacensi bibliotheca Johannes a Bosco edidit; et “Britannos de Biturica a Gothis expulsos fuisse, multis apud Dolensem vicum peremptis,” in Gregorii Turonensis^z historia; et concilio Turonico primo anno CCCCLXI. celebrato “Mansuetum^a episcopum Britannorum interfu-

^r Histor. Francor. scriptor. ab Andr. du Chesne edit. tom. 2. pag. 631.

^s Gobellin. commentar. Pii II. lib. 3. pag. 156. et lib. 6. pag. 271. edit. Roman.

^t Supra, pag. 472.

^u Masson. descript. fluminum Francia, pag. 144.

^w Vid. Camden. Britan. pag. 9. et 80.

^x Vid. Eliæ Vineti comment. in Ausonii epigram. 107. et Mosellam, sec. 246.

^y Letania perperam legitur in codice edito. Vid. supra, pag. 109.

^z Gregor. histor. lib. 2. cap. 18. ^a Tom. 1. concilior. Gallia, pag. 126.

isse et subscripsisse; et Britannos^b super Ligerim sitos," in Apollinari Sidonio disertis verbis legimus, cujus et ad Riothamum epistola^c extat, quem Riothimum Britonum regem Jornandes^d nominat, in qua Britannorum illorum mores graphice describit: "Gerulus," inquit, "epistolarum, humilis, obscurus, despicibilisque etiam usque ad damnum innocentis ignaviæ, mancipia sua, Britannis clam sollicitantibus, abducta deplorat. Incertum mihi est, an sit certa causatio: sed si inter coram positos æquanimiter objecta discingitis, arbitror hunc laboriosum posse probare quod objicit; si tamen inter argutos, armatos, tumultuosos, virtute, numero, contubernio contumaces, poterit ex æquo et bono solus, inermis, abjectus, rusticus, peregrinus, pauper audiri." Et de Brititia quidem Batavica, atque Britannia Armorica, ista dicta sufficiant.

^b Sidon. lib. 1. epist. 7.

^c Id. lib. 3. epist. 9.

^d Jornand. de reb. Getic. cap. 45. Vid. Sigebert. chronic. ann. 470.

CAP. XIII.

De Fausto Britanno Semipelagianorum coryphæo, et concilii Arelatensi atque Lugdunensi, quibus ille interfuit : de Gennadii quoque ecclesiasticorum dogmatum libello, et Lucidi Palinodia. De Gilda Albanio, Davide Menevensi, et Dubricio archiepiscopo. De Ambrosii Aureliani regno, et rebus gestis. De Gelasii Romani et Johannis Alexandrini scriptis contra Pelagianos editis : et Romanæ septuaginta episcoporum synodi decreto. De Godelberto presbytero, Paulino, Gundleo, Cadoco et Winwaloco. De Nazaleodo et Arthururo Britannorum regibus ; persecutione Saxonica, Gildæ Albani et Cadoci Lancarvanensis exitu. De Iltuto, et ejus discipulis. De synodis Breviensi et Victoriana in Britannia habitis. De Badonico prælio, et nativitate Gildæ Badonici.

ANTE Saxonum in Britanniam adventum, in Galliis Faustum Britannum consedissee ostendimus^a : qui Maximo primum in Lirinensis monasterii præfectura, deinde in urbis Reiensis episcopatu successit. Unde, in epistola ad ipsum Faustum, Apollinaris Sidonius : “ Precum^b peritus insularum, quas de palæstra congregationis eremitidis et de senatu Lirinensium cellulanorum in urbem quoque, cujus ecclesiæ sacra superinspicis, transtulisti, nil ab abbate mutatus per sacerdotem : quippe cum novæ dignitatis obtentu, rigorem veteris disciplinæ non relaxaveris.” Et alibi^c ad eundem :

————— Quæ gratia patrem

Mansit Honoratum : fuerit quis Maximus ille,
Urbem tu cujus monachosque, antistes et abbas,
Bis successor agis.

Ita, in eucharistico ad Faustum, Sidonius ; quod hoc ab eo concluditur voto :

Quicquid agis, quocunque loci es, semper mihi Faustus,
Semper Honoratus, semper quoque Maximus esto.

^a Supra, cap. 11. pag. 394. 399.

^b Sidon. lib. 9. epist. 3.

^c Sidon. carm. 16.

Episcopus jam factus, cum Auxanio collega, Romanæ interfuit synodo, in anniversario Hilari pontificatus die sub finem anni CCCCLXII. habitæ: in^d qua constitutum, ut apud Gallos concilia quotannis fierent, metropolitanis per Leontium Arelatensem episcopum^e ad illa peragenda convocatis. Inter ea unum adversus eos qui, Augustini de prædestinatione doctrina perperam intellecta, fatali cuidam necessitati res humanas subjecisse videbantur, in ipsa Arelatensi civitate est congregatum: in quo, sententiam synodi scripto explicandi cura Fausto est commissa. Id ipse in scripti illius præfatione ad Leontium (non Foro-Juliensem, uti putavit Baronius^f, sed Arelatensem illum episcopum) ita affirmat: “ Quod pro sollicitudine pastoralis, beate papa Leonti, in condemnando prædestinationis errore, concilium summorum antistitum congregastis; universis Galliarum ecclesiis præstitistis. Quod vero ad ordinanda ea, quæ collatione publica doctissime protulistis, operam infirmis humeris curamque mandastis; parum ut reor tanto negotio, parum sanctæ existimationi vestræ consulistis, et me iudicio charitatis, vos periculo electionis onerastis.” Ac demum ambiguis hisce verbis præfationem illam claudit: “ In quo quidem opusculo, post Arelatensis concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjici aliqua synodus Lugdunensis exegit.”

Hæc verba a fine totius operis huc fuisse translata, sine omni ratione, pronuntiavit Severinus Binius^g: quasi quicquam ad summam rei interesset, sive in prologo legerentur illa, sive in epilogo: “ In fine,” inquit, “ hujus commentarii et libelli ipse Faustus vel alius quis dolose addiderat hæc verba: ut scilicet aliquo fuco venditari posset, quasi scriptum de gratia et libero arbitrio commentarium duæ synodi recepissent et approbassent. Fraude hac animadversa, supra recensita verba prudenter meritoque inde sublata, et ante illud Fausti opus collocata sunt; ut sua quæque temporis et auctoribus redderentur, neve Faustus simpliciores infauste decipere posset.” Hæc ille:

^d Tom. I. Concilior. Galliæ, pag. 129, 130, 131, 134, 135.

^e Vid. concil. Arelatens. II. can. 18.

^f Baron, ann. 490. sec. 30.

^g Bin. not. in concil. Arelatens. III.

huc inepte referens, quæ Cæsar Baronius^h (ex cujus analibus suas is in concilia annotatiunculas eisdem pene verbis descripsit) ad subscriptionem, quæ Fausti epistolæ ad Lucidum legitur apposita, cum aliquo saltem verisimilitudinis colore accommodaverat. Sed verba illa in fine prologi ad Leontium ambigua sunt, ut monui: quæ sic vel possent accipi, ac si ipsius Fausti opusculo concilium Arelatense subscripsisset, vel ita, ut post absolutum Arelatense illud concilium et subscriptionibus patrum firmatum, novi alii errores in proxima Lugdunensi synodo sint deprehensi, quorum detectionem ad finem operis attexere necessarium videretur.

Si priori modo verba illa accipias: accipienda simul erit Thomæ Malvendæ Dominicanæ et (qui ejus expurgationem bibliothecæ patrum suam fecit) Johannis Mariæ Brasi-chellani, pontificii palatii magistri, censura ista: “ Neuti-quamⁱ ullus ob id existimet ab utroque concilio approbato tres (reponere duos) libros Fausti de gratia: ut ipse mendaciter innuere videtur in præfatoria epistola ad Leontium episcopum Forojuliensem;” vel Arelatensem potius, ut jam docuimus. Non extant quidem hodie conciliorum Arelatensis et Lugdunensis acta, ut quid de prædestinationis doctrina senserint certo possimus statuere: interim tamen in tot doctrina et pietate præstantes viros ita injuriosos esse nos non decet ut, unius versipellis vulpeculæ (eo enim nomine, nec injuria, Faustum notavit Baronius^k) auctoritate freti, reliquiarum Pelagianæ hæreseos patronos cos fuisse credamus. Et ut rigidiorum prædestinationis absolutæ prædicationem illi patres omnino non probaverint: nihil tamen necesse est, ut cum Fausto totos in Semipelagianorum castra concessisse existimemus. Cum, ut hodie, ita illis etiam temporibus, nonnulli mediam quandam semitam sint ingressi: in quibus præcipuum locum obtinet eruditus ille librorum de vocatione gentium auctor, quos vulgati libri Ambrosio Mediolanensi et Prospero

^h Baron. ann. 490. sec. 16.

ⁱ Tom. 1. Indicis librorum expurgandorum, edit. Romæ ann. 1607. in censura toni 4. bibliothecæ patrum.

^k Baron. not. in martyrolog. Roman. Septemb. 11.

Aquitanico, alii conjectura ducti Hilario Arelatensi (quem eundem cum Hilario¹ illo qui, una cum Prospero, Augustini contra Massilienses causam egit fuisse opinantur) haud recte adscripserunt.

Lugdunensis ille episcoporum conventus occasione fortasse dedicationis ecclesiæ Lugdunensis, a loci illius antistite Patientem^m tunc extractæ, factus est: in quo, cæteris hoc rogantibus præsulibus, Faustum celeberrimam concionem habuisse, hisce verbis qui præsens eam audiit, in epistola ad eundem postea scripta testimonium dat Apollinaris Sidonius: "Licetⁿ prædicationes tuas, nunc repentinas, nunc cum ratio poposcisset elucubratas, raucus plosor audierim; tunc præcipue, cum in Lugdunensis ecclesiæ dedicatæ festis hebdomadalibus collegarum sacrosanctorum rogatu exorareris ut perorares. Ibi te inter spirituales regulas vel forenses mediocimum quiddam concionantem, quippe utrarumque doctissimum disciplinarum, pariter erectis sensibus auribusque curvatis ambiebamus; hinc parum factitantem desiderio nostro, quia iudicio satisfecerat." Neque alio videtur referendum, quod in vetusto codice conciliorum adnotatum legitur; "De^o libro ecclesiasticorum dogmatum, quem S. Patiens protulit."

Circumfertur liber ille, tum falso Augustini^p, tum Gennadii Massiliensis^q presbyteri vero titulo prænotatus. Augustino eum tribuit non Gratianus solum, cum recentioribus; sed Rabanus Maurus etiam in fine libri quarti de universo, cui et integrum hoc scriptum inseruit: Gennadio vero, præter alios, Hadrianus^r I. papa, (qui Massiliensem episcopum^s illum appellat) Walafridus Strabus^t, et Rathirannus^u Corbeiensis monachus; in eo tamen lapsus, quod hunc cum alio ejusdem temporis et nominis, qui sedi Constantinopolitanæ præfuit, confuderit. Sic enim ille libro

¹ Vid. snpr. cap. 11. pag. 398.

^m Sidon. Apollinar. lib. 2. epist. 10.

ⁿ Id. lib. 9. epist. 3.

^o Tom. 1. concilior. Galliæ, pag. 152.

^p Tomo 8. oper. Augustin. app. pag. 75.

^q Gennad. de ecclesiast. dogmatib. edit. Hamburg. an. 1614.

^r Hadrian. respons. ad capitulare Caroli M. de imaginib. cap. 59.

^s Episcopum etiam eum appellat Sigebertus in chronico, ann. 490.

^t Walafrid. de reb. ecclesiast. cap. 20.

^u Et Cæsarius Heisterbachius, lib. 5. cap. 15.

tertio contra Græcos, nondum in lucem edito: “Gennadius Constantinopolitanus episcopus, vir multa lectione antiquorum peritus, in libro ecclesiasticorum dogmatum de Spiritus sancti processione sic loquitur.” In hujus libri capite vigesimo primo sententiam suam de gratia et libero arbitrio auctor ita explicat: “Libertati arbitrii sui commissus est homo statim in prima mundi conditione: ut, salva^w vigilantia mentis adnitente, etiam in præcepti custodia perseveraret; si vellet in eo quod creatus fuerat permanere. Postquam vero seductione serpentis per Evam cecidit, naturæ bonum perdidit pariter et vigorem arbitrii, non tamen electionem; ne non esset suum quod emendaret^x peccatum, nec merito indulgeretur quod non arbitrio diluisset. Manet itaque ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas: sed admonente prius Deo, et invitante ad salutem; ut vel eligat vel sequatur vel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione Dei. Ut autem consequatur quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit; Dei esse libere confitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus: ut acquiescamus salutari inspirationi, nostræ potestatis est; ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris; ut non labamur adepto salutis munere, solitudinis nostræ est et cœlestis pariter adjutorii; ut labamur, potestatis nostræ est et ignaviæ.”

Quæ vero in eo capite et triginta proximis sequuntur, neque apud Rabanum habentur, neque in antiquis MSS. codicibus: utpote “ab erudito quodam et recentiore scriptore interjecta, propter errores aliquot præcedentium capitum:” quemadmodum in censura appendicis tertii tomii operum Augustini Lovanienses theologi observarunt: ubi et “librum hunc non esse Catholici scriptoris” pronunciant: et “quædam habere a lectore cavenda.” Speciatim vero quod in vigesimo primo isto capite de viribus liberi arbitrii post lapsum relictis docetur, Johannes Soteallus Montidicensis^y, Johannis Hesseliï theologiæ apud Lovanienses

^w Al. sola.

^x Al. evitaret.

^y Johan. Soteall. præfat. in opera Prosperi, edit. Lovan ann. 1565.

professoris regii iudicium secutus, “Pelagianæ hæreseos esse constare” asserit: ideoque “libro huic, quoniam non satis Catholicus erat, studiosum quempiam” illa quæ diximus capitula subjecisse; quæ “sic capiti vigesimo primo libri ejusdem ex professo repugnent, ut aliquantulum consideranti satis statim eluceat, non nisi ad ejus redargutionem fuisse annexa.” Quibus addenda et vetus illa quam, Lugdunensis² ecclesiæ nomine, de eodem Florus magister tulit sententia: “Hominem absque laboris sui studio ad Deum pervenire non posse, non est Catholicum, sed Pelagianum. Invenitur in libello, cujus titulus est dogmatum ecclesiasticorum, quædam talis definitio: sed omnino (ut alia nonnulla in eodem libello) Pelagiani erroris est. Et ideo quicumque eum propter alia quædam utilia legit, cum hujusmodi ibi sensus invenerit, meminerit sollicite apostoli dicentis: *Omnia^a probate, quod bonum est tenete.*”

Et certe Gennadium Massiliensibus suis, qui ab Augustini doctrina discesserant, sese adjunxisse; libelli illi quibus Hieronymi chronicon, hæreseon indiculum et ecclesiasticorum scriptorum catalogum continuavit, manifeste ostendunt. In appendice enim ad indiculum illum de hæresibus, novo Prædestinatianorum excogitato nomine, damnatos fuisse illos qui Augustini de prædestinatione sententiam sunt amplexi, alibi^b declaravimus. Ut dubitandum non sit, ex ejusdem quoque appendice ad Hieronymianum chronicon (scripsisse enim Gennadium librum chronicarum, ubi Hieronymus dimisit, apud Bostonum Buriensem legimus) in breves illos annales qui falsum Tironis Prosperi nomen præferunt notationem illam profectam fuisse, quam ibidem commemoravimus: “Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustino accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa est:” præsertim cum in scriptorum^c catalogo de Augustino scribat: licet “ex multiloquio non effugerit peccatum, errorem

² Lugdunens. eccles. lib. adversus Johannem Scotum: tomo 9. bibliothec. patr. part. 1. pag. 1011. edit. Colon.

^a 2 Thess. cap. 5. ver. 21.

^b Hist. Gotteschalch. cap. 2. op. tom. 4. pag. 26.

^c Gennad. scriptor. ecclesiast. catalog. cap. 33.

tamen illius (sermone multo contractum, lucta hostium exaggeratum) nec dum hæresis quæstionem dedisse:" et Prosperum ibidem^d insimulet, quod "opuscula Cassiani, quæ Ecclesiæ Dei salutaria probat, ille infamet ut nociva;" et hos ipsos Fausti libros suo quoque calculo ita approbet: "Edidit^e opus egregium de gratia Dei, qua salvamur; et libero humanæ mentis arbitrio, in quo salvamur. In quo opere docet, gratiam Dei semper et invitare, et præcedere, et adjuvare voluntatem nostram; et quicquid ipsa libertas arbitrii pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum."

At quantum frandis in ista gratiæ prædicatione lateat, aperuerunt illi, qui ex ipso opere integram Fausti de necessitate gratiæ et naturalibus liberi arbitrii viribus sententiam explicarunt: quod inter recentiores Alphonsus Alvarez^f præstitit; audiendos esse negans, "qui Faustum inter patres referunt, cum non inter patres sed inter hostes gratiæ Christi sit computandus:" inter antiquos Johannes Maxentius^g, qui suo quoque tempore nonnullos Faustum Catholicum conatos fuisse defendere speciatim monet, quod "primas partes non homini sed gratiæ Dei tribueret;" prolato eam in rem testimonio ipsius^h, sententiam apostoli ita edisserentis: "*Gratia Dei*, inquit, *sum id quod sum*. Primas partes soli gratiæ pie subjectis adscribit, media quæque laboris magisterio et obedientiæ deputat; utrumque in consummatione moderatus, gratiam laboremque conjungit. Non dicit, Ego sine gratia; aut, Gratia sine me: sed, Gratia Dei mecum." Verum eadem gratiæ acceptione homonyma, qua usus olim fuerat Pelagius, lectori fucum hic fecisse ostendit Maxentius: "Gratiam," inquit, "cui hoc loco Faustus primas partes tribuit, non eam qua per Spiritum sanctum fit ut verbo Dei forinsecus intonanti assensum præbeamus et obedientes efficiamur, sed prædicationem divinorum asserit eloquiorum: ut videlicet gratiæ sit, quod nobis

^d Gennad. scriptor. ecclesiast. catalog. cap. 84.

^e Ibid. cap. 85.

^f Alvarez. de auxiliis, lib. 1. disput. 2.

^g Tomo 6. bibliothec. patr. pag. 380, 381. edit. Colon.

^h Faust. de grat. et libero arbitr.

ⁱ 1 Cor. cap. 15. ver. 10.

divina eloquia prædicantur; nostrum autem sit, ut eidem prædicationi consentiamus:" quod etiam ipsius Fausti verbis hisce, ex libri primi capite vigesimo octavo (quod nobis decimum septimum est) productis confirmat: "Clamat voluntas: quia sola per se elevari nescit infirmitas. Ita Dominus [invitat volentem] attrahit desiderantem, erigit adnitentem. Quid est autem attrahere, nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuenda, judicium comminari, præmium polliceri?"

Itaque Gennadii illam de hoc Fausti opere prolatam sententiam, Romani Palatii magister Brasichellanus (sive Malvenda ille fuerit) bibliothecæ patrum tertium expurgans tomum, ita castigandam censuit: "Gennadius et Faustum et ejus opera laudat: sed nulla fides in his ei adhibenda; quod eo tempore quo ista scribebat, nimium Pelagianis addictus, eorum encomia celebrabat. Notissimum autem est, Faustum erroris Semipelagianorum antesignanum, et ejus scripta a sancta Romana ecclesia repudiari: ut tomo quarto, initio operum ejusdem annotabimus:" quod etiam variis testimoniis eo^k in loco cum confirmasset, ita tandem concludit: "Ex his plene perspectum habeas, quam caute scripta Fausti sint tibi perlegenda; in quibus in errores multos Pelagiani dogmatis plerumque offendes. Si eos aves collectos inspicere; consule Joannem Maxentium in responsione ad epistolam Hormisdæ papæ ad Possessorem."

Similiter et Theophilus Raynaudus Jesuita: "Gennadius^l ex Cassiani et Fausti laudibus, Prosperi autem rejectione, non obscure se prodit Semipelagianum." Et de ipso Fausto: "Faustum^m laborasse errore Semipelagianorum quoad salutis initium, diserte asserit Petrus diaconus libro de incarnatione et gratia Christi, capite ultimo, et non posse cum nota illa eximi (quamvis subobscura plerumque errorem prodat, ac ita ut ægre teneatur) mihi videtur indubitatum, ex tam multorum illius ævi Catholi-

^k In censura tomi 4.

^l Raynaud. defens. Valerian. cap. 7. sec. 5

^m Ibid. cap. 3. sec. 6.

corum doctorum concitatione in Faustum. Ut proinde operam ludant recentiores qui pro Fausto pugnant, et eum usquequaque Catholicum fuisse tanto post tempore persuadere nituntur: decepti exilitate meriti naturalis quod respectu gratiæ admittit, et interdum vix nomine meriti dignatur, ob tenuitatem; ita ut non obstante aliquali illo merito, gratiam agnoscendam inculcans, eandem sincere asserere videatur." Et Bartholomæus Petrus Lintrensisⁿ, in academia Duacena theologiæ professor primarius: "Constat certe doctissimis ecclesiæ patribus libros duos Fausti de gratia et libero arbitrio displicuisse ut subdole scriptos; sic ut cum verbis damnet hæresim Pelagii, ipsam artificiosis viis corroboret:" deinde de recentiorum quibusdam ea fraude circumventis, addit: "Imposuit sane calliditas Fausti Erasmo, qui libros illos duos publicavit, putans esse Catholici authoris: imposuit etiam alii, qui eos curans imprimi, titulum eis dedit opus insigne:" quorum prius illud a Johanne Molano, theologiæ in Lovaniensi academia professore, et pontificio librorum censore, accepit: qui, in præfatione ad opera Fulgentii, Fausti duos libros habere nos monuit, "ab Erasmo Roterodamo, cui calliditas Fausti imposuit, sub nomine Catholici scriptoris editos."

Pluribus quoque hac de re agit in annalibus suis Cæsar Baronius, causam totam ita demum determinans: "Non^o est quidem, ut pro Fausto aliqua possit in ejus defensionem vel excusationem apologia elaborari, quem constat in universo orbe Catholico impugnatum." Et postea, "Quinam^p autem colligantur ex Fausti duobus libris illis errores scriptis S. Augustini et sententiæ ecclesiæ Catholicæ adversantes; tu vide illos collectos a Maxentio in responsione ad Hormisdam Romanum pontificem, ubi in pluribus Faustus declaratur hæreticus. Videre namque est eundem Faustum in conventibus sanctorum patrum, ut Saul inter prophetas, prophetam et ipsum apparuisse, eadem cum illis sentientem: sed privatis postea scriptis

ⁿ Barthol. Peti. in Romanæ sedis definition. veter. de gratia Dei.

^o Baron. ann. 490. sec. 33.

^p Ibid. sec. 35, 36.

dolosa arte totam de justificatione hominis destruxisse sententiam; dum captiose videre volens pugnare contra Pelagium, Pelagio favisse compertus est. Ejusmodi plane erant Pelagianorum, immo et Pelagii ipsius, fallaces artes; dum videri volentes eam hæresim confutare, eandem firmiter stabilirent. Cum igitur Fausti sententiæ ubique ab ecclesia Catholica fuerit contradictum; videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in Novatores insurgunt, ut eos confutent, a S. Augustini sententiâ de prædestinatione recedunt."

Addenda his est et antiquioris authoris, Adonis Viennensis episcopi, de Gennadii illo judicio et perverso Fausti dogmate, ab eodem producta sententiâ: "Faustus ex abbate Lirinensis monasterii apud regium Galliæ episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errorem labitur: unde qui ejus sensus in hac parte Catholicos prædicant, sicut Gennadius de illustribus viris scribens, omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus quam cæteri Catholici in Ecclesia Dei docent, ut illuminatio, virtus et salus illi a Christo, et per Christum, et cum Christo sit: Faustus vero iste ita liberum Christianum arbitrium docere conatur, ut illuminatio ejus, virtus et salus, non a Christo, sed natura sit. Contra hunc scribit lucidissima fide Avitus Viennensis episcopus, ejus redarguens errorem: similiter et Johannes vir eruditus Antiochenus presbyter." Hæc Ado Viennensis in chronico: per Avitum, celebrem illum Viennensis ecclesiæ antistitem Alcimum Avitum intelligens; cujus adhuc ad Burgundionum regem scriptum extat, quo Fausti ad benedictum Paulinum editam epistolam refutavit. De Johanne enim, quem non alium quam Maxentium hic accipimus, pluribus dicendum erit suo loco.

Ut a nostri vero temporis scriptoribus^a notatum est, contra doctrinam S. Augustini, ejus nomine suppresso, libros hosce edidisse Faustum: sic a Maxentio quoque observa-

^a Sixt. Senens. bibliothec. sanct. lib. 6. annotat. 252. Alphons. Alvarez de auxiliis, lib. 1. disput. 2. sec. 3. Johan. Lat. hist. Pelagian. lib. 2. fin. cap. 10. Gerard. Voss. hist. Pelag. lib. 4. part. 1. thes. 1. pag. 400.

tum illum fuit, doctrinæ Fausti “ ita contradixisse Augustinum, ut credas eum jam tunc non nisi contra scripta Fausti respondisse.” Augustini vero, in epistola ad Græcum diaconum, hunc in modum ipse Faustus meminit; “ In^r scriptis sancti pontificis Augustini, etiamsi quid putatur apud doctissimos viros esse suspectum: ex his quæ damnanda judicasti, nihil noveris reprehensum.” Eiusdemque in scripto hoc præsentem mentionem hanc facit perquam honorificam: “ Opus^s naturalis legis in cordibus hominum fuisse conscriptum, beatissimus pontifex Augustinus doctissimo sermone prosequitur.” Aliis quoque ejusdem patris testimoniis ad incautos decipiendos abusum fuisse, Facundus Hermianensis indicat: quæ in nostris libris non invenimus. Nam mutilum hoc opus ad nos pervenisse, ex Johannis Maxentii citationibus etiam animadvertimus: qui non solum prioris libri vigesimum octavum caput illud numerat, quod nobis non nisi decimum septimum est; sed etiam “ caput ejusdem libri decimum quintum agens contra eos qui non generale sed speciale asserunt donum esse credulitatis,” commemorat, atque hæc ex eo producit verba, “ non Augustino tantum verum etiam apostolo omnino contraria.”

“ Sed dicis quia non omnibus detur sed donum sit personale credulitas; et illis tantum credere suppetat, quibus Deus specialiter donavit ut crederent. Non ita est. Nam dum eam Dominus etiam ab incredulis exigit, omnibus insertam eam esse demonstrat. Cui autem etiam ipsa naturæ lege non suppetat credere, quando et dæmones credunt et contremiscunt?” quorum nihil in nostris habemus codicibus. Locus autem ille Facundi, ex libri contra Mutianum scholasticum initio^r petitus, sic se habet: “ Faustus Gallus in quæstione liberi arbitrii, male intellectis et incongrue adhibitis ipsius beati Augustini sententiis, fallebat et in assensionem sui erroris inducebat incautos: qui tamen a sanctæ memoriæ Fulgentio Ruspensi detectus atque convictus est.” Nam præter illa Aviti et Johannis Antiocheni ab Adone commemorata scripta: Fulgentii

^r Faust. epist. 2.

^s Id. de grat. et libero arbitr. lib. 2. cap. 7.

quoque Afri legisse se testatur Isidorus “ de^t gratia Dei et libero arbitrio libros responsionum septem, in quibus Fausto Galliae Regiensis urbis episcopo Pelagianae pravitati consentienti respondens, obnititur ejus profundam destruere calliditatem.”

Ad quam profundam calliditatem et illud referri poterit, quod non Semipelagianismo solum suo Arelatensis et Lugdunensis synodi velum prætexuerit, sed quod hac etiam prætensa specie ad suas partes Lucidum presbyterum (quem Nestorianum, sine ulla causa, Menardus^u nominat) pellexerit; quasi nihil aliud quam ipsius synodicae patrum sententiae explicationem scriptum a se editum contineret. Primo enim datis ad eum literis, et sex quibus subscriberet propositis anathematismis, Arelatensis, quæ tum agebatur, synodi censuram, ni faceret, interminatus, hominem terruit. Post habitum deinde et Arelatense et Lugdunense concilium libros illos suos (ut ex fine prologi liquet) de gratia Dei et humanæ mentis arbitrio absolvit: quorum sententia, certis quibusdam articulis comprehensa, velut in Lugdunensi recens statuta concilio, denuo Lucido est proposita, ut ad illius normam errores suos (prædestinatianos scilicet; de quibus alibi^w a nobis dictum) emendaret. Atque inde nata est illa Lucidi palinodia, episcopis viginti septem, sive, ut aliæ habent editiones, triginta aut uni et triginta directa: cujus hoc initium: “ Corruptio vestra salus publica, et sententia vestra medicina est. Unde et ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excusem, et salutifera professione me diluam. Proinde, juxta prædicandi recentia statuta concilii, damno vobiscum sensum illum, qui dicit laborem humanæ obedientiæ divinæ gratiæ non esse jungendum.” Cum aliis articulis, non^x tam ex superiore illa epistola quam privata auctoritate ad Lucidum Faustus scripserat, quam ex libris

^t Isidor. Hispal. de scriptorib. ecclesiastic. cap. 14. al. 27.

^u Claud. Menard. in notis ad Augustini opus imperfect. contra Julian. pag. 483.

^w Histor. Gotteschalch. cap. 2. op. tom. 4. pag. 26.

^x Vid. Johann. Lat. hist. Pelagian. lib. 2. fin. cap. 13.

de gratia et libero arbitrio, quibus totius concilii sensum expressum a se fuisse comminiscetur, depromptis.

In memoriam enim hic revocandum est, quod de Fausto, sive Leontii sive totius Arelatensis concilii postulato opus illud se scripsisse significante, monendum hic censuit clarissimus Vossius: "Mandati^y limites excedens, ea in libello suo inseruit, quibus Claudianus Mamertus, et alii præstantissimi viri qui synodo interfuere, nunquam, puto, subscripsissent. Sic enim prædestinatos refellit, ut in contrarium lapsus errorem, non obscure Semipelagianam defendat opinionem." Et de concilio quoque Lugdunensi: "Minime^z putamus subscripturum fuisse omnibus istis, quæ libro suo Faustus complexus fuit. Imo fortasse nec literis Lucidi, (etsi is scribere se dicat secundum recentia statuta concilii) calculum adjecisset: quandoquidem quæ fusius disserit Faustus, pene omnia hæc a Lucido paucis comprehensa videmus. Facilius tamen iis, ob ambiguitatem verborum, quaecumque mantelum invenire est, quam libro Fausti." Quod vero simul ibidem agnoscit, "Lugdunense concilium Arelatensis synodi anathematis- mos approbasse;" idque "ex præfatione Fausti apertius esse, quam ut negari possit": ad doctissimi viri sententiam ea in re non possumus accedere; quum anathematismorum aliquorum in illa præfatione nulla omnino occurrat mentio; neque literis et anathematismis Fausti ipsum Arelatensem conventum unquam subscripsisse adhuc constare arbitremur.

Johannes quidem Maria, Romani palatii magister, pro auctoritate sua rem totam ita definiit: "Sciendum^a epistolam Fausti ad Lucidum presbyterum, approbatam tot episcoporum subscriptione in concilio Arelatensi, et epistolam Lucidi presbyteri ad episcopos congregatos in synodo Lugdunensi, quæ ambæ operi Fausti præmittuntur, sanas esse atque Catholicas, judicio duarum synodorum confirmatas." Sed ignoravit ille, quod vidit Vossius, in epistola Lucidi summatim comprehensa fuisse illa, quæ fusius in libris de gratia et libero arbitrio sunt declarata:

^y Voss. hist. Pelagian. lib. 1. fin. cap. 8.

^z Id. lib. 7. part. 1. thes. 5.

^a Ind. expurgator. Roman. in tom. 4. bibliothec. patr.

alias epistolam illam ut sanam et Catholicam non commendasset, qui de ipso Fausti opere hanc tulerat sententiam, “ Certissimum est Faustum fuisse Semipelagianorum antesignanum, et scriptionem istam ejus multis Pelagianorum erroribus refertam.” Et quum alteram illam “ epistolam Fausti ad Lucidum presbyterum approbatam tot episcoporum subscriptione in concilio Arelatensi” commemorat; eorum non videtur numeravisse nomina, qui præter ipsum Faustum decem tantum sunt, vix pars eorum tertia quibus suam epistolam inscripsit Lucidus.

Neque vero dissimulavit Baronius^b, quem duce hic sive Malvenda sive palatii magister est secutus, Henricum Gravium professorem Lovaniensem (cui, ut^c “ exiniæ prohibitatis spectatæque eruditionis viro,” tumulum ipse posuit; quemque in rebus ad Pelagianam historiam pertinentibus apprime versatum fuisse, notæ quibus septimum Augustini tomum illustravit satis testantur) “ non esse legitimam subscriptionem illam ad epistolam Fausti” existimavisse: quam et irreptitiam fuisse, vel ipse præfixus titulus suspicionem cuivis injicere potuisset. “ Et subscripserunt episcopi, qui ordine subsequuntur, qui in EA quoque synodo adfuerunt.” Ubi, quum relativum illud cum antecedente contextu minus cohærere animadvertisset contaminator ille conciliorum Severinus Binius, novum hunc a se confictum titulum antiquioris illius loco supposuit, “ Ab^d Arelatensi concilio adjecta subscriptio et approbatio hæc est.” Qui Gallicana concilia postea edidit, titulum^e prorsus prætermittere maluit. Sed pro Gravio facit vetustus codex MS. bibliothecæ S. Galli; in^f quo episcoporum subscriptiones nullæ extant: nisi illa fortasse ipsius Fausti unica: “ Item alia manu: Faustus exemplar epistolæ meæ relegi, et subscripsi.” Atque ut maxime daremus, Faustum episcopis aliis, ambiguitate verborum circumventis, ut epistolæ ad ipsos nihil attinenti nomina sua apponcrent persua-

^b Baron. not. in martyrolog. Roman. Septemb. 11.

^c Franc. Sweert. Athen. Belgic. in Hen. Gravio.

^d Tom. 2. concil. part. 1. pag. 633. edit. Clon. ann. 1618.

^e Tom. 1. concilior. Gallicæ, pag. 150. edit. Paris. ann. 1629.

^f Henr. Canis. antiqu. lection. tom. 5. part. 2.

sisse: cur tamen toti Arelatensi synodo subscriptio ista tribueretur, nullam videmus rationem; cum et paucorum numero episcoporum ea sit, neque inter illos pauculos Arelatensis archiepiscopi, totius concilii præsidis, nomen uspiam compareat. Leontii, inquam, illius; cui "concilii summorum antistitum congregati, et erroris (ut ille vocat) prædestinationis in eo condemnati," præcipuam laudem in operis sui præfatione ipse Faustus tribuit.

Vidit hoc perspicacissimus Vossius^g: sed Arelatensis ecclesiæ antistitum catalogo destitutus seipsum hic satis expedire non valuit: Ravennio quidem Æonium, et huic Cæsarium in Arelatensi sede successisse, statuerat primum Cæsar Baronius^h: sed quum Leontium hic desiderari postea animadverteret; eumⁱ inter Æonium et Cæsarium collocavit, quem inter Ravennium et Æonium interponere debuisset. Æonium enim immediate Leontio successisse, ex Ruricii ad eundem Æonium noviter ordinatum episcopum literis constat: quarum hoc est exordium, "Agnito^k transitu sancto, et venerabilis apud me recordationis Domini mei decessoris vestri, Leontii; animo et mente confusus diu multumque tristatus sum, quod et impediens peccatis meis tanto antistiti occurrere non merueram, et tali essem parente privatus." Æonio deinde immediate successisse Cæsarium, non minus clare testatur in vita ejusdem Cæsarii discipulus ipsius Cyprianus, "Sanctus," inquit, "Æonius episcopus clerum et cives aliquot alloquitur, ipsosque rerum dominos per internuncios appellat; ut, posteaquam ipse Domino volente decesserit, nullum alium quam Cæsarium sibi substituant:" quod ita quoque factum fuisse narrat.

Quin et apud ipsum Baronium^l Hilari papæ habentur literæ anno CCCCLXIII. ad Leontium Arelatensem episcopum datæ: agnoscitque idem^m, Auxanium, qui primo loco Fausti epistolæ subscripsisse dicitur, eundem esse cum Auxanio episcopo qui anno præcedente, una cum

^g Voss. histor. Pelagian. lib. 1. fin. cap. 50.

^h Baron. ann. 441. sec. 13.

ⁱ Id. in appendic. tom. 10. ad ann. 441. et 453.

^k Ruric. lib. 1. epist. 15.

^l Baron. ann. 463. sec. 15, 16.

^m Id. an. 490. sec. 25. cum ann. 462. sec. 7.

Fausto, Romanæ Hilari papæ synodo adfuit. Ut mirandum sit Claudium Robertum^a, qui in Arelatensium archiepiscoporum serie invertenda Baronium errantem est secutus, hic verum dicentem deseruisse, et Auxanium qui “interfuit concilio Lugdunensi, et subscripsit epistolæ Lucidi presbyteri,” illum fuisse tradidisse, quem anno DXLIV. in Arelatensi cathedra successorem habuit Cæsarium: si in eo tamen id mirandum, qui non solum hoc in loco epistolam Lucidi presbyteri ab epistola Fausti episcopi distinguere oblitus fuerit; sed etiam in ejusdem catalogi parte præcedente, inter Arelatenses archiepiscopos Julianum Pelagianum, et quidem ante annum CCCXLIX. collocare nihil dubitaverit.

Extat Apollinaris Sidonii ad Faustum epistola; in qua de scripto quodam bipartito ab illo edito suum hoc interponit judicium, “Legimus^o opus operosissimum, multiplex, acre, sublime, digestum titulis, exemplisque congestum, bipartitum sub dialogi schemate, sub causarum themate quadripartitum. Scripseras autem plurima ardentem, plura pompose; simpliciter ista, nec argute illa nec callide: gravia mature, profunda sollicite, dubia constanter, argumentosa disputatorie, quædam severe, quæpiam blande, cuncta moraliter, lecte, potenter, eloquentissime. Itaque per tanta te genera narrandi toto latissimæ dictationis campo sequutus, nihil in facundia cæterorum, nil in ingenii facile perspexi juxta politum.” Ad duos Fausti libros de gratia Dei, et humanæ mentis libero arbitrio, spectare hæc contendit Cæsar Baronius^p, quam vere, jam non disputo, et tria de^q libris illis ex hac Sidonii epistola observat: I. “Faustum illos non omnibus communicasse: utique ex mala conscientia timentem, ut qui in eis essent laquei sub herbis latentes ab aliquo acuti ingenii viro et dogmatum callentissimo detecti, penitus dissiparentur. II. Sidonium, etsi virum pium et doctum, penetralia tamen rerum ecclesiasticarum adhuc juniorem haud fuisse perscrutatum, quippe in sacris dogmatibus (ut paulo ante dixerat) adhuc tyronem. III. In Britanniam, ubi diu vi-

^a Claud. Robert. in Gallia Christiana, pag. 18.

^o Sidon. lib. 9. epist. 9.

^p Baron. ann. 490. sec. 15.

^q Ibid. sec. 13, 14.

guit dogma Pelagii," missos fuisse libros istos : quod ex his Sidonii verbis ille colligit, " Legi volumina tua, quæ Riochatus antistes ac monachus, atque istius mundi bis peregrinus, Britannis tuis pro te reportat."

Verum pronomen illud *TUIS* non dogmatis hic communicationem denotat, sed patriæ. Etsi enim Faustum Facundus^r et ante eum alii^s Africani episcopi, in synodica sua de gratia Dei et humano arbitrio epistola, Gallum appellant; et Africanus quoque episcopus Possessor in literis ad Hormisdam natione Gallum fuisse dicat : tamen ab ipsis Gallis externum eum fuisse habitum, vel illa jam dictæ epistolæ Sidonianæ conclusio satis ostendit : " Quocirca merito te beatissimum boni omnes idque supra omnes tua tempestate concelebrabunt: cujus ita dictis vita factisque dupliciter inclaruit, ut quandoquidem tuos annos jam dextra numeraverit, (sic enim loquitur, quasi centesimum jam Faustus attigisset ætatis annum) sæculo prædicatus tuo, desiderando alieno, utraque laudabilis actione decedas, te relicturus *EXTERNIS*, tua proximis."

Atque inde est, quod ipse Faustus in epistola^t ad Felicem, patriciæ dignitatis virum, relegationis suæ meminere; et in epistola^u ad Ruricium, Lemovicensem episcopum, ita de se ipse scripserit : " Dum novos cives commercio charitatis acquirimus, dum de acquiritorum salute gaudemus; inter hæc positi bona, præsentem insultamus exilio, et patrem (lege patriam) nos non amisisse sed commutasse cognoscimus. Nam dum fideles famuli Dei in necessitatibus nostris bonitatem suæ devotionis exercent, sine sede propria possessores, sine possessione divites sumus:" et in alia^v ad eundem, " Gratius ad vos, dum vobis de patria scribimus, qui nobis patriam in peregrinatione fecistis, qui indefessa liberalitate patriæ desideria temperastis: vim quandam divinæ justitiæ, succedentibus sibi beneficiis, inferentes; ut quod intulerat ad castigationem, converteret ad honorem, conferret ad consolationem, mutaret ad requiem mentis, &c. nos vestro locupletaret obsequio, vos nostro

^r Supra, pag. 498.

^t Faust. epist. I.

^v Id. epist. 9.

^s De quibus, capite sequente.

^u Id. epist. 6.

ditaret exilio." Alcimus Avitus denique Viennensis episcopus, in epistola ad Burgundionum regem contra ipsum Faustum scripta, eum ortu^w Britannum, habitaculo Reiensem, disertis verbis fuisse asserit: e majore utique Britannia ortum; si, ut dictum est, et ante Saxonum in Britanniam adventum ad Gallos Faustus concesserit, et non prius in Armoricam a Britannis deducta fuerit colonia, quam ipsorum patriam Saxones occupavissent.

Thomas Dempsterus in Scotorum numero illum reponit: eadem vanitate, qua illum et cum Fausto episcopo Fulgentii Ruspensis et cum Congello abbate Columbani nostri præceptore eundem facit. De priore, in vita B. Fulgentii a discipulo ipsius conscripta, capite quarto, ita legimus: "Fuit tunc temporis episcopus quidam laudabiliter prædicandus, nomine Faustus; qui pro fide Catholica non longe a cathedra sua jussus fuerat relegari. De multis enim sacerdotibus hoc Hunerici tyranni persecutoris astuta malignitas ordinaverat; ut juxta patriam propriam peregrinationis incommodum sustinentes, ad negandum Deum facile flecterentur." Ubi Faustum hunc et Africanum episcopum fuisse significat, et laudabiliter prædicandum, et a Fulgentio patris loco habitum: ideoque longe diversum a Fausto illo, quem in capite vigesimo sexto episcopum Galliarum extitisse, et Pelagianis occulte favisse, et ne serperet virus ab illo sparsum, a Fulgentio detectum et refutatum fuisse, idem scriptor retulit. De abbate, Notkeri Balbuli, in martyrologio suo ad V. Idus Junias memoriam S. Columbæ celebrantis, verba hæc sunt: "Cum plurimos discipulos vel socios sanctitatis suæ pares habuisset: unum tamen, Comgellum scilicet, Latine Fausti nomine illustrem, præceptorem beatissimi Columbani, magistri Domini et patris nostri Galli, virtutum ac meritorum suorum quasi unicum, exemplo Isaac, reliquit hæredem."

Et fuisse quidem eum S. Columbani magistrum, Jonas etiam docet; de Columbano, in vitæ ejus capite tertio, ita scribens: "Dedit operam ut monachorum neceretur societati, ac monasterium cujus vocabulum est

^w Vid. Sirmon. notas ad Facund. pag. 562.

Benchor^x petiit: in quo præsul virtutum ubertate cluebat B. Congellus, egregius inter suos monachorum pater; quique et religionis studio, et regularis disciplinæ cultu, præcipuus habebatur:” Ut omnino fallatur doctissimus Meursius^y; qui in superiore illo Notkeri loco Congellum nomen proprium esse negat, et pro Græcorum syngello vel syncello accipiendum autumat. Inter S. Columbæ vero non discipulos numerandus ille (quippe educatus, ut in vita illius legimus, a S. Fintano in monasterio ipsius Cluain-Ædnech, in plebe Laiges^z, posito in aquilonali Laginensium plaga^z juxta radices montis Bladini) sed socios. Si tamen Comgallus noster idem fuerit cum Congello illo; quem abbatem fuisse monasterii, quod Scotice dicitur Cambas, Adamnanus^a significat. Nomen vero illius, non Faustum, sed Pulchrum pignus interpretati sunt alii. Ita enim de illo et Benchorensi cænobio ab illo extruendo vaticinantem S. Patricium inducit Jocelinus^b: “ Annorum sexaginta circulo completo, nascetur quidam filius vitæ, Comgallus nomine; quod interpretatur, pulchrum pignus: erit enim dilectus Deo et hominibus; atque ob morum meritorumque pulchritudinem intendens prospere procedet, et regnabit cum Christo inter ipsius pignora computandus. Ipse in loco luce præostenso ecclesiam sanctorum ædificabit; in qua innumera filiorum lucis et vitæ agmina Christi servitio mancipanda coadunabit.” Omninoque Fausti Reiensis episcopi et Comgalli Benchorensis ætate invicem collata apparet, prius vita decessisse Faustum quam in lucem editus fuerit Comgallus: ut Dempsterus istos inter se inepte admodum confuderit.

Quo tempore Reiensem episcopatum apud Gallos administravit Faustus, in Britannia claruerunt Gildas Albanus et Dubricius Cambrius. Gildam Badonicum, qui de Britanniae excidio epistolam scripsit toties a nobis laudatam, et Gildam Albanum in unum conflavit vitæ S. Gildæ scriptor, quem ex Floriacensis bibliothecæ veteribus mem-

^x Vid. supra, cap. 6. pag. 160.

^y Jo. Meurs. Gloss. Græco-Barbar. voc. Σύγκελλος.

^z *Læsiæ*, in reginæ comitatu.

^a Lib. 1. cap. penult.

^b Jocelin. de vit. Patricii, cap. 98.

branis Johannes a Bosco in lucem edidit: quum unum ab altero distinguendum temporum ratio necessario requiratur. Albanii vitam habeo, a Caradoco Lancarvanensi descriptam: quod rude illud distichon ad scripti calcem adjectum indicat:

Lancarbanensis dictamina sunt Caratoci:
 Qui legat emendet, placet illi compositor.

Is, de juvenis in Galliam suscepto itinere et in Britanniam reditu, tradit ista: “Transfretavit^c mare Gallicum, in civitatibus Galliae remansit, studens optime spatio septem annorum: et in termino septimi anni, cum magna mole diversorum voluminum, remeavit ad majorem Britanniam. Audita fama famosissimi advenae confluerunt ad eum scholares undique. Audierunt ab eo septem disciplinarum scientiam subtilissime: unde ex discipulis magistri effecti sunt sub magistrali honore. Religio sapientissimi doctoris magnificabatur et collaudabatur intantum a Britannigenis omnibus, quod nec par ei inveniebatur nec poterat inveniri, pro suis meritis excellentibus.” Deinde haec de praedicatione ejus subjicit: “Praedicator erat clarissimus per tria regna Britanniae. Reges timebant timendum: cui obediebant, audita acceptabili sua praedicatione. Praedicabat omni Dominica die apud maritimam ecclesiam quae stat in Pepidiauc regione, in tempore Trifuni regis; innumerabili multitudine plebis illum audiente. Et dum inciperet praedicare, retenta est vox praedicationis in praedicante.” Est autem Pepidiauc Pembrochiensis comitatus promontorium, a Cambro-Britannis Cantred Dewi, ab Anglis Saint David’s land appellatum; quod natus ibi fuerit S. David, eodemque Meneviam sedem archiepiscopalem transtulerit.

David hic Arthuri regis avunculus, Sancti (filii Cereti regis, qui Ceretica^d provinciae nomen dedisse dicitur) et Nonnitae cujusdam filius fuisse perhibetur. Quum mater vero infantulum in utero ferret, “Contigit,” inquit in ejus vita Giraldus Cambrensis, illam a Lancarvanensi coeptam

^c Vid. Andr. Saussayi martyrolog. Gallican. pag. 83.

^d Cardigan.

narrationem pertexens, “ ut ecclesiam quandam in loco sitam cui nomen Cair morva, id est, urbs maritima vel castrum, orandi gratia more consueto mulier intrasset; in qua doctor egregius Gildas sermonem tunc forte ad populum faciebat. Qua ingressa, statim obmutuit: adeo ut nec unum prædicationis verbum amplius enunciare valuerit. Interrogatus autem a populo cur ita diutius interrupto sermone taceret, respondit: Ego quidem communi loquela vos alloqui possum: prædicare vero, nescio quo eventu, nullatenus possum.” Ex quibus corrigendus est Alanus de insulis, qui Merlini illud vaticinium exponens, “ Prædicator Hiberniæ propter infantem in utero crescentem obmutescit,” post Augustini in Angliam adventum, quem plus centum annis nativitate Davidis posteriorem fuisse constat, hoc factum retulit: “ Sanctus David,” inquit, “ Britonum Walensium archiepiscopus, dum adhuc in materno utero clauderetur, et die quadam prædicator Hiberniæ, qui cum Augustino a B. Gregorio in Angliam misso venerat et ab eodem Augustino in Hiberniam missus fuerat, verbum Dei populo prædicaret; superveniente matre sancti David, repente obmutuit. Qui postmodum resumpto usu loquendi, cum spiritu prophetiæ, instar Zachariæ patris B. Johannis, prophetavit: et dixit mulieri illi, magni meriti fore puerum quem gestabat, et excelsum in verbo gloriæ; et cui ipse merito cedere, utpote meliori, deberet et quasi obmutescere.” Quomodo vero Hiberniæ prædicator habitus fuerit Gildas, suo dicendum erit loco.

Neque enim Patricius noster hic intelligendus venit: quem totis triginta ante natum Davidem annis, relicta valle Rosina sive Menevia, in Hiberniam concessisse, ex Ricemarcho, Guilielmo Malmesburiensi^e Giraldo Cambrensi et Johanne Tinmuthensi, S. Davidis vitam enarrantibus, cognoscimus; indeque etiam subducto calculo, sub annum CCCCLXII. Davidem in lucem fuisse editum colligimus. Baptizatum vero “ in loco qui Port-cleis appellatur (qui prope Meneviam positus, nomen adhuc retinet) a Relveo Menevensium episcopo, qui divina providentia eadem illuc

^e In lib. de antiquitate ecclesiæ Glaston.

hora de Hibernia venerat," scribit Giraldus: de loco in quo nutritus est, hæc etiam subnectens: " Puer nutritus est in loco qui Vetus Rubus dicitur: qui et Cambrice Hen-meneu, Latine vero vetus Menevia vocatur. Sortitus est autem locus hic nomen ab Hibernico *Mun*, quod et Rubus sonat: unde et Kil-muni Hibernice adhuc hodie ecclesia Menevensis appellatur. Puer itaque crescebat, gratia plenus: literarumque addictus studiis, supra cœtaneos perspicacis ingenii velocitate proficiebat." Alius vitæ Davidis scriptor: " Puer Christi in loco qui dicitur vetus Rubus nutritus, crescebat jugiter in gratia et virtute, amabilis Deo et hominibus, ibique literis traditur, et ecclesiastico servitio informatur."

Porro Gildam, ut ad eum jam revertamur, annos natum triginta in Armoricam a Britannis tunc possessam, Childerico Merovei filio Francis imperante, concessisse refert liber^f Floriacensis: et primo quidem in insula quæ in Reuvicii pagi prospectu sita est aliquandiu substitisse, et vicinorum liberos magisterio et doctrinæ ipsius commendatos erudisse; - deinde vero in cōtinentem trajecisse, ibique monasterium ad quoddam castrum in monte Reuvicii in prospectu maris situm, et parvum^g oratorium super ripam fluminis Blaveti, ad quod, ubi in maris sinum se infundit, ejusdem nominis oppidum cernitur, sub quadam eminenti rupe construxisse. Denique " a^h fratribus rogatum religiosus, qui ad eum e Britanniis venerant, post decem annos ex quo inde recesserat, scripsisse epistolarem libellum; in quo quinque reges ipsius insulæ redarguit, diversis sceleribus atque criminibus irretitos." Ubi epistolaris libri scriptorem cum eo qui Childerici tempore venit in Galliam confundit, errore manifesto: quum Childerico regnante auctorem illius epistolæ nondum natum fuisse constet: quippe qui annum obsessionis montis Badonici (de quo postea) eundem et suæ nativitatis fuisse profiteatur: unde et Badonici cognomentum, quo a Gilda (de quo nunc agitur) Albano distingueretur, a nonnullis illi datum est.

Dubricii matrem Eurdilam fuisse aiunt, filiam Peibani

^f Vit. Gild. cap. 12. in bibliotheca Floriacensi Johan. a Bosco. -

^g Ibid. cap. 13.

^h Ibid. cap. 15.

reguli cujusdam Cambriæ. “ Quis vero pater ejus extiterat, ignoratur : quidam idcirco erronei cum patre carere mentiuntur ;” inquit Johannes Tinnuthensis. Alius regem Erchyng, Pepiau nomine, ex Warwicensis collegii chronicis patrem illi assignat : “ Crevit illius fama (ut vitæ scriptorem loquentem audias) cum utriusque legis novæ et veteris peritia per totam Britanniam ; ita quod ex omni parte totius Britanniae scholares veniebant. Non tantum rudes, sed etiam viri sapientes et doctores ad eum studendi causa confluebant : inprimis sanctus Thelias, Samson discipulus suus, Ubelinus, Merchiguinus, Elguoredus, Gunuinus, Longual, Arthodu, Longur, Arguistil, Junabin, Condbram, Gorvan, Guernabin, Jovan, Elleharn, Judnon, Curdocui, Aidan, Cinvarch : et cum his mille clericos per septem annos continuos in podio Hentlan super ripam Guy in studio literarum divinæ sapientiæ et humanæ retinuit ; exemplum eis præbens in semetipso religiosæ vitæ et charitatis perfectæ. Et per aliud spatium in nativitatibus suæ solo, id est Miserbdil, eligens locum unum in angulo illius insulæ opportunum sylvis et piscibus super ripam Guy, cum suis innumerabilibus discipulis mansit, per plures annos regendo studium : nomen loco imponens Moch-rhos Britannice, id est, Porci locus ; quod in somnis admonitus est, ut ibi habitaculum et oratorium fundaret, ubi scropham albam cum porcis cubantem reperit.” Warwicum, ut scribit Johannes Rossus, “ veniens sedem habuit episcopalem ubi nunc castrum Warwici situm est ; ecclesiamque in honorem B. Mariæ condidit, quæ usque dies nostros apparuit :” licet ejus extructionem Rogero, secundo e Normannico sanguine Warwici comiti, Camdenus attribuat. Landavenses, ut alibi ostendimus, Dubricium suum archiepiscopum fuisse gloriantur : alii urbis^k legionum archiepiscopum constitutum ferunt ab Ambrosio Aurelio ; de cujus regno, et re adversus Saxones bene gesta, ut aliquid dicamus locus jam postulat.

Saxonici exercitus partem non exiguam, vastata Britannia, domum rediisse ; ex Gilda et Beda in superiore

^l Supr. cap. 5. pag. 102.

^k Ibid. pag. 94.

capite¹ est dictum: "At ubi hostilis exercitus, exterminatis dispersisque insulæ indigenis domum reversus est, cœpisse et illos paulatim vires animosque resumere, emergentes de latibulis quibus abditi fuerant:" Beda^m narrat, et, quem ille secutus est, Gildas: "Tempore," inquit, "interveniente aliquanto, cum recessissent domum crudelissimi prædones, roboratæ a Deo reliquiæ, quibus confugiunt undique de diversis locis miserrimi cives tam avidè, quam apes alveario procella imminente, simul deprecantes eum toto corde et (ut dicitur) innumeris onerantes æthera votis, ne ad internecionem usque delerentur; duce Ambrosio Aureliano viro modesto (qui solus forte Romanæⁿ gentis tantæ tempestatis collisione occisis in eadem parentibus, purpura nimirum indutis, superfuerat; cujus nunc temporibus nostris soboles magnopere avita bonitate degeneravit) vires capessunt, victores provocantes ad prælium, queis victoria, Domino annuente, ex voto cessit."

Ante Saxonum adventum claruisse Ambrosium hunc significavit Ninius: Vortigerni regis historiam sic exorsus: "Guorthigirnus regnavit in Britannia: et dum ipse regnabat, urgebatur a metu Pictorum Scotorumque, et a Romano impetu, necnon et a timore Ambrosii. Interea venerunt tres ciulæ a Germania in exilio pulsæ: in quibus erant Hors et Hengist:" et ab ipso horum adventu initium regni illius deducit Sigebertus: ad annum Christi CCCXLVI. ista adnotans: "A Germania Angli Britanniam veniunt, eamque ab hostibus tutam faciunt esse: non multo post eam sibi vindicant. Ambrosium Aurelianum sibi Britanni regem statuunt: ejusque ductu per annos quadraginta quinque vario belli eventu, contra Anglos configunt:" quo temporis curriculo completo, anno CCCXCI. "Britannos, non valentes amplius ferre virtutem Anglorum, ut victos concessisse in jus et nomen eorum," contra Britannicæ historiæ fidem narrat. In chronologica appendice, cujus jam^o meminimus, ad Ninium adjecta, a regno Guorthigerni usque

¹ Supra, pag. 479.

^m Bed. lib. 1. hist. cap. 16.

ⁿ Vide supr. pag. 87. et 427.

^o Supra, pag. 460.

ad discordiam Guitolini sive Vitaliani et Ambrosii, quæ prælio Guoloppino causam dedisse dicitur, anni duodecim numerantur.

S. Germanum et Lupum, “ consentiente rege Ambrosio, Aurelio et omni clero, Dubricium archiepiscopum consecravisse,” affirmat in ejusdem Dubricii vita Johannes Tinr thensis: juxta quam rationem, anno CCCCXXX. regisset ille in Britannia. Henricus Huntingdoniensis^p anno septimo adventus Saxonum in Angliam, qui illi est Christi CCCCLVI. in prælio apud Aeilestreu commisso, primam aciem Ambrosium Aurelianum, duas reliquas Vortigerni filios Gortimerum et Catigernum duxisse scribit. Ipsum quoque Vortigernum, post filii Gortimeri sive Vortimeri mortem regni Britannici gubernacula resumentem, incendio ab Ambrosio sublatum fuisse Galfridus Monemuthensis^q retulit: quod Matthæus Florilegus anno CCCCLXVI. factum notat; in anno demum CCCXCVII. regnum Ambrosii simul cum vita terminans. Hector Boethius^r, anno CCCXCVIII. Britannorum regno admotum, septem^s pene annos illud gessisse scribit. David Pouelus, in Britannicorum regum catalogo, novemdecim regni annos illi tribuit: ab anno CCCCLXXXI. eos inchoans, et in anno quingentesimo, (quod a Georgio Buchanano^t etiam factum) eosdem finiens.

De Odobogare sive Odoacre Herulo, anno CCCCLXXVI. Italiæ regno potito, in vita S. Severini, qui Noricis evangelium annunciavit, ab Eugypio abbate descripta, ista, legimus: “ Odobogar^u rex sancto Severino familiares literas dirigens, si qua speranda duceret dabat suppliciter optionem; memor illius præ sagii, quo eum expresserat quondam regnaturum. Tantis itaque Sanctus alloquiis invitatus, Ambrosium quendam exulantem rogat absolvi. Cujus Odobogar gratulabundus paruit imperatis.” Hunc

^p Henr. Huntingd. hist. lib. 2. vide supra, pag. 472.

^q Vide supra, cap. 12. pag. 440.

^r Boeth. hist. Scotor, lib. 8.

^s Id. lib. 9.

^t Buchanan. rer. Scoticar. lib. 5. in rege 44.

^u Eugyp. vit. Severin. cap. 32. a Velsero edit. Augustæ Vindelic. an. 1595.

nostrum fuisse Ambrosium putavit Baronius^w, ad annum CCCCLXXVII. ita de illo scribens: "Hic purpuram quidem assumpsisse, non^x autem nomen imperatoris, reperitur: ipseque primus id tentavit, ut Gilda testatur, non autem et parentes, ut legitur apud Bedam^y, qui sub Zenonis imperio hæc contigisse tradit, sicut et Ado in chronico; licet quoto anno ipsius Zenonis id acciderit, nemo prodat. Nos hoc anno posuimus, sequenti nimirum a liberatione Ambrosii ab exilio sub Odoacre: si hunc eundem cum illo Ambrosio esse velimus; quod ut opinemur, multa persuadent." Cum nihil tamen in tota hac narratione occurrat, quod prudenti cuiquam hoc persuadeat; præter unum Ambrosii nomen, quod illi cum multis aliis commune fuisse constat.

Quod enim ipsum Ambrosium Aurelianum, non parentes illius, purpuram in Britannia sumpsisse asserit, mendosæ Gildæ editioni a Polydoro Vergilio procuratæ illud debet; in qua, pro indutis (quod nos ex manuscriptis Gildæ exemplaribus, lectioni Bedæ congruenter exhibuimus^z) indutus legitur: cujusmodi vitium in Bedæ quoque chronicon, quo Paulus diaconus est usus, irrepsisse videatur. Cum enim Beda scripserit; "Britones duce Ambrosio Aureliano viro modesto, qui solus forte Romanæ gentis Saxonum cædi superfuerat, occisis in eadem parentibus purpura indutis, victricem eorum gentem provocantes ad prælium vicisse:" eum secutus Paulus, rem ita extulit; "Apud^a Britanniam Ambrosius Aurelianus, qui solus forte Romanæ gentis Saxonum cædi superfuerat, purpuram induit; victoresque Saxones, Britonum ducens exercitum, superavit sæpe." Ut admodum debili nitantur hic fundamento Onuphrius Panvinius et Octavius de Strada, qui in Romanorum imperatorum catalogo "Imperatorem Cæsarem Ambrosium Aurelianum, Pium, Felicem, Au-

^w Baron. ann. 476. sec. 2. et 477. sec. 30, 31.

^x Quod tamen affirmavit Blondus sub finem lib. 2. decad. 1. Et Polydorus Vergilius Anglic. hist. lib. 3.

^y Beda de sex ætat. in Zenon. et de gest. Angl. lib. 1. cap. 16.

^z Ita correxisse ille videtur ex Paulo diacono et Blondo, Beda minime consulto.

^a Paul. diacon. in continuat. Eutrop. fin. lib. 16.

gustum" recensent: utpote "imperatorem appellatum in Britannia anno Domini CDLXXV. urbis conditæ MCCXXVII. et non longe post occisum," si illis sine ullo locuplete teste hic loquentibus cuiquam credere libeat.

Guilielmus Malmesburiensis, de Guortimeri filii Vortigerni obitu verba faciens; "Eo^b," inquit, "extincto Britonum robur emarcuit, spes imminutæ retro fluxerunt. Et jam tunc profecto pessum issent, nisi Ambrosius solus Romanorum superstes, qui post Vortigernum monarcha regni fuit, intumescens Barbaros eximia bellicosi Arthuri opera pressisset." Ac si Ambrosio æqualis fuisset Arthurus; quem post mortem Ambrosii a fratre ipsius Uthero Pendracone genitum communis aliorum est sententia. Ambrosii vero "laudes eximius Britonum historicus Gildas, præ cæteris eorum regibus, non tacuit; imo posteris eleganti stylo ejus gesta fideliter conscripta dereliquit:" quemadmodum in Scotichronico legimus. Et quidem librum quem^c Gildas de victoria Aurelii Ambrosii inscripsit, si titulus non mentitus fuerit authorem, habuisse se Galfridus Monemuthensis significat: ex quo, simul et Britannico codice quem ex Armorica delatum a Gualtero Oxoniensi archidiacono acceperat, longam hac de re historiam ipse^d pertexit; cujus summa hæc est:

E medio sublato Vortigerno, Saxones sese trans Humbrum receperunt: quos ocius insecutus Ambrosius, "cum nationes præteriret, inspiciens illas desolatas, condolebat, maxime autem propter ecclesias usque ad solum destructas; quibus restaurationem promittebat, si triumpho potiretur." Hengistus adversus eum circiter ducenta millia armatorum in campum qui dicebatur Maisbeli eduxit: sed conserto prælio fusus est ejus exercitus; ipseque juxta urbem Conani, Britannis Cair-Conan, Anglis Cuningeburg dictam, (Eboracensium Conisburgh ea est, ad Danum sive Donum fluvium posita) ab Eldole Claudiocestriæ duce captus, in hostium potestatem venit. Capta deinde urbe, cum quid de Hengisto statuendum esset deliberaretur; El-

^b Malmesbur. de gest. reg. lib. 1. cap. 1.

^c Galfrid. hist. lib. 4. cap. ult.

^d Id. lib. 8. cap. 3, 4, &c.

dadus Claudiocestrensis episcopus, frater Eldol, vir summæ prudentiæ et religionis, hunc in modum locutus est: “Etsi omnes istum liberare conarentur; ego ipsum in frustra conciderem. Insequerer namque prophetam Samuelem; qui cum Agag regem Amalech in potestate tenuisset, concidit illum in frustra, dicens: *Sicut fecisti matres sine liberis, sic faciam hodie matrem tuam sine liberis inter mulieres.* Sic ergo facite de Hengisto, qui alter Agag existit.” Quo dicto, Eldol Hengistum extra urbem ductum obtruncavit.

Anno CCCCLXXXIX. hoc factum scribit Matthæus Florilegus: addens etiam, “Hengisto successisse Osric filium ejus, cognomento Æsc, super gentem Saxonum in Cantia; a quo reges Cantiaë usque hodie Æsc-kynges vocantur,” unius tantum anni metachronismo ab Ethelwerdo et Anglo-Saxonicis annalibus discrepans: qui mortis Hengisti, ut et omnium omnino victoriarum quas a Saxonibus reportarunt Britones, mentione prorsus prætermissa, anno præcedente Æscam apud Cantuarios regnum iniisse retulerunt: ad quem annum, in Florentii Wigorniensis quoque chronico legimus: “Hengist, postquam regnum Cantuariorum triginta et quatuor annis strenuissime rexit, vitæ finem fecit. Cui successit in regnum Æsc filius suus; et viginti et quatuor annis regnavit.” De quo et Beda, libro secundo historiæ, capite quinto. “Oeric cognomento Oisc; a quo reges Cantuariorum solent Oiscingas cognominare. Cujus pater Hengist; qui cum filio suo Oisc invitatus a Vurtigerno, Britanniam primus intravit.”

Octam deinde Hengisti filium qui Eboraco se incluserat, et Eosam cognatum ejus qui in urbe Alclud (sive Dunbrittonia) se muniverat in deditionem accepisse Ambrosium narrat Galfridus, regione juxta Scotiam eis concessa: atque ita triumphatis hostibus, ecclesiis^e restaurandis et reipublicæ constituendæ enixe operam dedisse. “Nam^e tota,” inquit, “intentio ipsius versabatur circa

^e 1 Sam. cap. 15. ver. 33.

^f Vide supra, cap. 5. pag. 91.

^g Galfrid. lib. 8. cap. 9.

regni restitutionem, ecclesiarum reformationem, pacis ac legis renovationem, justitiæ compositionem. Exinde petivit Guintoniam, ut eam sicut cæteras restitueret. Cumque in restauratione ejus quæ ponenda erant posuisset: monitu Eldadi episcopi, ivit^h ad monasterium prope Cair Caradoc quæ nunc Salesberia dicitur; ubi consules et principes jacebant, quos nefandus Hengistus prodiderat. Erat ibi cœnobium trecentorum fratrum in monte Ambrii, qui, ut fertur, fundator ejus olim extiterat." Apud Johannem Tinmuthensem, in vita Dubricii, locus iste est mons Ambrosii, qui nunc vulgo Stanhenges dicitur. In quò ingentium quæ ibi conspicitur saxorum substructionem, non in principum illorum, ut vulgo creditur, ab Ambrosio, sed in ipsius Ambrosii memoriam a Britannis positam fuisse Polydorus asserit: "Britannus," inquit ille, "duci suo Ambrosio de republica bene merito magnificentium posuit sepulchrum, factum ad formam coronæ, ex magnis quadratis lapidibus, eo loco, ubi pugnando^k ceciderat; ut tanti ducis virtus ne oblivione eorum, qui tunc erant, aut reticentia posterorum insepulta esset. Extat etiam nunc id monimentum in diœcesi Sarisberiensis prope pagum, quam Amisberiam vocant:" vel Ambresburiam potius, vocabulo Ambrosii vicum denotante.

Superioribus tamen temporibus et Ambrii (si hujusmodi quis fuit) et Ambrosii memoriam reliquiarum S. Melori celebritas apud Ambresburienses obscuravit. Meliorem eum appellat Philippus Ferrarius, in catalogo sanctorum generali, ad diem III. Januarii; et anno CCCCXI. passum fuisse ex Johanne Capgravio annotat; quanquam Capgravius Calendis Octobris martyrio vitam illum finisse dicat, in ipsis Christianæ fidei a Britannis acceptæ primordiis: "Dum in exordio, inquit, Christianæ fidei apostolica doctrina per orbem terrarum in omnibus gentibus diffunderetur, conversa est Britanniae gentilitas ad fidem; et multi Domino credentes, et apostolica præcepta se-

^h Vide supr. cap. 12. pag. 473.

ⁱ Polydor. Vergil. Anglic. hist. lib. 3.

^k A Saxonibus occisum fuisse, refert etiam Hildrichus Mutius, Germanic. chronic. lib. 5. et Blondus, decad. lib. 2.

quentes, variis virtutum miraculis fulserunt: de quorum numero beatum Melorum fidenter credimus extitisse. Fuit enim beatus Melorus de nobili Britannorum genere: cujus pater Melianus ducatum Cornubiæ tenuit," &c.

Ut Saxoniorum illorum principum ab Hengisto interemptorum in ævum conservaretur memoria, Tremouno sive Tremorino urbis legionum archiepiscopo suggerente, ab Ambrosio Aurelio rege Ambrosium Merlinum¹ vatem accersitum fuisse refert Galfridus: et cum exercitu quindecim millium armatorum, cui Uther Pendraco frater regis præfuerit, in Hiberniam missum, nobilem illam structuram lapidum ex Killarao monte, Gillomauro Hiberniæ rege frustra repugnante, secum asportasse, atque in agro Sarisburiensi, in quo hodie ea cernitur, collocasse. De qua fabula, licet plane anili, communi tamen fama multum celebrata, audiatur, si placet, Alexander Nechamus in suo de divinæ sapientiæ laudibus poemate:

Nobilis est lapidum structura, Choreæ Gigantum:

Ars experta suum posse, peregit opus.

Quod ne prodiret in lucem segnius, artem

Se, viresque suas consuluisse reor.

Hoc opus adscribit Merlino garrula fama;

Filia figmenti fabula vana refert.

Illæ congerie fertur decorata fuisse

Tellus, quæ mittit tot Palamedis aves.

Hinc lantum munus suscepit Hibernia gaudens:

Nam virtus lapidi cuiilibet ampla satis.

Nam respersus aquis magnam transfudit in illas

Vim, queis curari sæpius æger eget.

Uther Pendragon molem transvexit ad Ambri

Fines, de victo victor ab hoste means.

O quot nobilium, quot corpora sacra virorum,

Illic Hengisti proditione jacent!

Intercepta fuit gens inclyta, gens generosa;

Intercepta, nimis credula, cauta minus.

Item Giraldus Cambrensis, in Hiberniæ topographia: "Fuit^m antiquis temporibus in Hibernia lapidum congeries admiranda, quæ et Choreæ gigantum dicta fuit: quia

¹ De eo videnda nostra epistolarum Hibernicarum recensio, op. tom. 4. pag. 562.

^m Girald. Topograph. distinct. 2. cap. 18.

gigantes eam ab ultimis Africae finibus in Hiberniam attulerant, et in Kildarensi planitie, non procul a castro Nasensi, tam ingenii quam virium opere mirabiliter erexerant. Unde et ibidem lapides quidam aliis simillimi, similique modo erecti, usque in hodiernum diem conspiciuntur. Mirum qualiter tanti lapides, tot etiam et tam magni unquam in unum locum vel congesti fuerint, vel erecti; quantoque artificio lapidibus, tam magnis et altis, alii superpositi sint non minores: qui sic in pendulo et tanquam in inani suspendi videntur, ut potius artificum studio, quam suppositorum podio inniti videantur. Juxta Britannicam historiam lapides istos rex Britonum Aurelius Ambrosius divina Merlini diligentia, de Hibernia in Britanniam advehi procuravit: et ut tanti facinoris egregium aliquod memoriale relinqueret, eodem ordine et arte quam prius, in loco constituit, ubi occultis Saxonum cultris Britanniae flos cecidit, et sub pacis obtentu, nequitiae telis, male tuta regni juventus occubuit."

In agro vero Kildariensi, a castro Nasensi duobus fere passuum millibus, bina ejusmodi saxa conspiciuntur, quos longos lapides vocant: quanquam Britannicae scriptor historiae Killair, in occidentali Midia sitam, intellexisse hic potius videatur; ubi lapidem quendam suo tempore Giraldusⁿ extitisse notat, "qui umbilicus Hiberniae diceretur, quasi in medio et meditullio terrae positus:" pro quo tamen umbilico, Birrae in comitatu regio alius quidam excavatus lapis hodie ostenditur. Sed ad Sarisburiensem illam de qua agimus saxorum molem nulla in Hibernia propius accedit, quam quae in agro Corcagiensi cernitur, juxta oppidum, a lapidibus illis in loco olim sylvestri positus, Cloughtekilty appellatum: in quo fundamenta etiam conspiciuntur amplissimae domus, quam nobilis illius Johannis Magnavillani (sive de Mandeville, triginta et quatuor annorum peregrinatione notissimi) fuisse tradunt accolae.

De Britannici exercitus ex Hibernia reditu subjicit Galfridus^o: "Cum gaudio in Britanniam reverti coeperunt: et prosperantibus ventis applicant; sepulturasque

ⁿ Girald. topograph. distinct. 3. cap. 4.

^o Hist. Britan. lib. 8. cap. 12.

virorum cum lapidibus apparant. Quod cum indicatum fuisset Aurelio, diversos nuncios per diversas partes Britanniae direxit: jussitque clerum ac populum submonere, submonitos vero in montem Ambrii convenire, ut cum gaudio et honore prædictam sepulturam repararent. Ad edictum ergo illius venerunt pontifices et abbates, et ex unoquoque ordine qui ei subditi fuerant: et cum omnes convenissent, instante die quæ prædestinata fuerat, imposuit Aurelius diadema capiti suo, festumque Pentecostes regaliter celebravit: tribusque sequentibus diebus continue celebrationi vacavit. Interea honores qui possessoribus carebant, domesticis suis largitur; ut eis obsequii sui laborem remuneraret. Evacuatae erant duæ metropolitanæ sedes, Eboraci videlicet atque urbis legionum, a pastoribus suis: quibus communi populorum consilio consulere volens, concessit Eboracum Sampsoni illustri viro, summaque religione famoso; urbem vero legionum Dubricio, quem divina providentia in eodem loco profuturum elegerat. Cumque hæc et cætera in regno suo statuisset: præcepit Merlino lapides circa sepulturam erigere, quos ex Hibernia asportaverat. At ille præceptis ejus obediens, eodem modo quo in Killarao monte Hiberniæ positi fuerant, exiit illos circa sepulturam: et ingenium virtuti prævalere comprobavit."

Ejusdem Merlini instinctu, "Vortigonum regem Britonum valde dilatavisse fidem Christi," scribit Wernerus Laerius in suo temporum quem appellat Fasciculo; Utheri Pendraconis fratrem (ut ex sequentibus liquet) Ambrosium eo nomine intelligens: de cujus in fide Christiana propaganda studio Hectorem Boethium^p, si placet, audias: "Migrant Ambrosii edicto populariter e Britannia in Germaniam cuncti Saxonum generis ad bellum idonei: cæteris vectigalibus factis, ea lege ut Christi dogma profiterentur in Albione manere permissis. Venientes haud multo post tempore peregrinis e regionibus Britanni, in quas Saxonum dudum arma declinantes confugerant, patrias sedes abeuntibus Saxonibus occuparunt. Christi

^p Boeth. Scot. hist. lib. 8.

templa Ambrosii pia opera restituta; pontifices sacerdotisque suas vocati in sedes; vera religio undique culta; Deorum gentilium statuæ effractæ; qui gentilitatis sacerdotes inventi in Britannia, diris suppliciis affecti. Sacris supplicationibus plures dies Londini est opera navata, sacræ ædes apertæ, &c. Verum Saxonum nonnulli in Britannia Ambrosio permittente remanentes, Christianam eminentem religionem, clam idolis litabant: qua re comperta, capti sacrificuli, cæsi loris, ulla sine commiseratione ad unum sunt cremati." Quæ eadem licentia in Ambrosii laudem sunt excogitata, qua Judæorum et hæreticorum patrociniis afflictum illi crimen est in impolitis illis Gottefridi Viterbiensis^q versiculis:

Aurelius primogenitus, regniq; monarchus,
Sic pacis sancita facit, sic prospicit actus;
Ut reparet patriæ gaudia, lata quies.
Confovet optima, dissipat horrida, regia norma;
Prælia deprimit, abdita rejicit, apta reformat:
Rex erat, imo pater, gesta paterna patent.
Attamen admissa patris feritate patrizat:
Nam prius infixæ renovat tormenta remissa,
Et tenet erroris dogmata plena dolis.
Æmulus ipse Dei, populi fit tutor Hebræi,
Atria^r scripta vehit, sectamq; fovet Manichæi;
Catholicique rei prorsus habentur ei.
Post annos paucos, post multa pericula rerum,
Suspicit Aurelius fatum finemq; dierum;
Justus apud proceres, sed reus ante Deum.

His etiam adde, si libet, Johannis Garlandini^s de Aurelio et duobus ejus successoribus nihilo magis limatum tetras-tichon:

Hengistus Saxon fidei corruptor ab hoste,
Aurelio captus, decapitatus obit.
Uter et Arthurus, fidei duo mœnia sacræ,
Exemplum dederant et speculari jubar.

Mortuo enim Aurelio successit frater ejus Uther, "qui secundum traditionem historiæ Britannicæ, si fas sit credere, ope Merlini vatis adduxit de Hibernia choream

^q Gotfrid. chron. part. 18.

^r *Arria*.

^s Joh. de Garlandia, lib. 4. de triumphis Ecclesiæ.

gigantum, quæ nunc in planis Sarum Stanbenges dicitur; Pascentium quoque filium Vortigerni et Gillomaurum regem Hiberniæ interfecit:" inquit in polychronico¹ suo Ranulphus Cestrensis: de quo Pascentio, Ninius: "Regnavit in duabus regionibus, id est, Buelt^u et Gnorthigurniaun^w, post mortem patris sui, largiente Ambrosio; qui fuerat rex in omnes regiones Britanniae:" de Gillomauro vero, alibi^x idem Ranulphus: "Hildericum Gilomaurus tyrannus, invasor Hiberniæ Britanniaeque expugnator, regno expulit; et post eum tribus annis in Africa regnavit:" ubi Gillomaurum Hiberniæ^y regem (quem junctis cum Pascentio copiis Britanniam invadentem, eo quo Aurelius Ambrosius obiit tempore, ab Uthero prope Meneviam interfectum refert historia Britannica) confundit cum Gilimere, filio^z Genzonis, filii Genserici^a, Vandalorum in Africa rege; quem, Arthuro Utheri filio Britannis impetrante, regno exiit dux exercitus Justiniani Belisarius: quod in tertio suo consulatu, hoc est, anno Christi DXXXIII. factum, ipse Justinianus, in constitutione Pandectis, sub finem ejusdem anni editis, præfixa, confirmat.

Dubricium episcopum primum Landavensem, deinde legionum urbis archipræsulem, non solum verbo Pelagiana dogmata vehementer improbasse, sed etiam librum contra Pelagianos scripsisse, Johannes Balæus^b asserit: cujus rei penes ipsum fides esto. In Dalmatiæ vero et Piceni provinciis eam hæresim hoc tempore pullulare cœpisse, ex Gelasii Romani pontificis literis anno CCCCXIII. conscriptis intelligimus. Sic enim ille, in epistola^c ad Honorium episcopum: "Nunciatum nobis est in regionibus Dalmatiarum quosdam recidiva Pelagianæ pestis zizania seminasse: tantumque illic eorum prævalere blasphemiam,

¹ Polychronic. lib. 5. cap. 4.

^u In Brechnoch-shire.

^w In Radnor-shire. vid. supr. cap. 5. pag. 83. et cap. 12. pag. 440.

^x Polychron. lib. 4. cap. ult.

^y Galfrid. Monemuth. lib. 8. cap. 12, 14, 16. ubi in lib. impress. Gillomanus perperam appellatur.

^z Procop. de bello Vandalic. lib. 1.

^a De quo supra cap. 12. pag. 463.

^b Balæ. scriptor. Britann. centur. 1. cap. 51.

^c Gelas. epist. 5. tomo 2. concilior. edit. Bini.

ut simplices quosque mortiferi furoris insinuatione decipiant. Est quidem error ipse nefarius tanto perniciosior ad subrependum, quanto ad fallendum verisimilitudinis colore versutior: præstante [tamen] Domino, adest fidei Catholicæ pura veritas, concordibus universorum patrum deprompta sentiis, quæ et subtile virus funestæ pravitatis exponat, et humano generi salvando conferat de scripturarum confectione medicinam. Nullatenus igitur discretionem rerum nondum abundantia corda conturbet: donec et occultum vulnus appareat, et salvatio singularis eluceat: quoniam quantalibet arte fallaciæ spiritus perditionis armetur; sancto gladio spiritus principalis et detegitur et necatur."

Et in alio^d ad eundem rescripto: "Non solum dilectio tua nostra non debet vigilantia permoveri, sed præsentis colloqui salutatione percepta, nobiscum potius industriam propriæ sociare solertiæ; quatenus vel sive tentata sint talia, protinus corrigantur, vel ne qualibet obreptione tententur, attentius præcavendo subintrare non valeant. De quibus autem ii, quos tua charitas destinavit, si plenius instrui voluerint, sequentes tituli cum suis responsionibus intimabunt: et quoniam se his acquiescere præfati eatenus sunt professi, ut eadem se et primitus tenuisse firment, sed ante ullius in quæstionem vocata vellent manifestius expediri: studuimus (quantum inter occupationes fieri potuit, quæ nos minime respirare patiuntur) largiente Domino, sequentes paterna vestigia, de talibus quæ cepimus non silere. Quam regulam sobrie sentiendi quisquis fideli corde sectatur, inter orthodoxos merito debeat æstimari: quisquis vero putaverit abnuenda, ab apostolicis sese non ambigat exulare doctrinis."

Idem in epistola^e ad Picensi episcopos per Romulum diaconum missa, de deliro quodam sene Pelagianæ hæreseos zizania in ea provincia disseminante scribit ista: "Oblatus est nobis miserabilis senex Seneca nomine, qui non modo totius est eruditionis alienus, sed ipsius quoque

^d Gelas. tom. 2. concil. edit. Bini. epist. 6.

^e Ibid. epist. 7.

intelligentiæ communis prorsus extraneus, in Pelagianæ voraginis cœno (sicut de quibusdam in Apocalypsi legimus) velut una ranarum imprudenter immersus, inque illa fæce horribiliter volutatus, nullatenus inde qualiter emergere posset inveniens: quia puritatem relinquens Catholicæ veritatis, quanto se per lubricum falsitatis conatur attollere, tanto magis ejus lutosus foveis circumclusus obruitur, &c. Hæc etiam ipsa quæ idem proferre videbatur, olim et ab hæreticis Pelagianis in medium producta docuimus et a Catholicis prædicatoribus competenter elisa; Pelagium, Celestium, Julianum, cæterosque complures oratoriæ facundiæ viros in hac assertione probavimus fuisse convictos, et tam ecclesiasticis constitutis, quam imperialibus etiam percussos fuisse præceptis: proinde istum ferre non posse firmavimus, in quibus illi tales tantique prostrati sunt: qui nec ipsa, quæ ab illis sunt disputata, vel intellectu capere, vel eloquio simili possit astruere." Deinde tria Pelagianæ sententiæ capita, "quæ sibi præcipue hic senex lugendus," ut ille loquitur, "ascivit," diligenter refutat:

- I. Cum in uteris matrum opere divino creentur infantes; justum non videri, quod factura Dei sine ullis propriis actionibus cuiquam peccato glignatur obstricta.
- II. Parvulos sine sacro baptisate pro solo originali peccato non posse damnari.
- III. Gratiam ad salutem non esse necessariam; illamque secundum hominum merita conferri.

Confutatione peracta, episcopos primum coarguit, qui putridum silicernium tam diu sustinuerunt: "Quapropter," inquit, "nimis incusamus fratres et coepiscopos nostros, maxime per Piceni provincias ecclesiam Domini gubernantes; qui non solum ineptissimi senis abjectæque personæ pravum non deterruere colloquium, verum et suo nutrivere consensu. Quis audiat? quis ferat? passos esse pontifices, ut cadaver nescio quod indignum, presbyterum sibi non acquiescentem audire, communionem privaret? Quomodo talis vel susceptus ab aliquo, vel patienter auditus est?" Deinde in hæreticum et ejus assecclas hanc profert sententiam: "Nusquam loci prorsus inveniatur præfatæ pestis

† Apocal. cap. 16. ver. 13.

assertor; nec accessum prorsus ecclesiæ, vel usquam participationem Catholicæ communionis inveniat, qui hæreticorum mavult subsequi nefaria professione consortium: et hi cum quibus antea probabitur noxium miscuisse colloquium, nisi resipiscunt et ab ejus societate decedunt, ab ecclesiastico remoti servitio, devota ultione plectantur, quo cæteris cavendi ministretur exemplum. Nullum adeat: nec usquam loqui damnatæ olim blasphemias jam sinantur."

Fertur etiam Gelasii adversus Pelagianam hæresim scriptum singulare, ex vetusto codice Vaticano editum: cujus hoc initium: "De Pelagianis quidem sensibus blasphemis que sacrilegis, et apud majores nostros tam divinis quam humanis legibus justa discussione damnatis, nimis est copiosa materia; quia et illorum est multiplex perniciosa perversitas (eoque nocentior, quo verisimilitudinis colore subtilior) quam de ipsius humani generis principe, pravo funestoque commento, non rite conceptam rerum consequentiam mendaciis texuerunt. Necesse est enim, ut qui a principio deviarit ab integro tramite, vagus ubique progrediens, quanto se currere fortius putet, tanto plus erret; et in his ut competit refutandis disputatio prolixa debeat adhiberi: quoniam quidem perfectæ medicinæ mos est, originem vel intelligere prius vel reserare morborum, eis que patefactis, medelam conficere congruentem: quæ cuncta, si Dominus vitam facultatemque tribuerit, in quantum cœlesti rore vegetati valebimus, alias moliemur explicare. Nunc autem hunc articulum, qui quosdam movere perhibetur, sufficienter interim duximus explicandum; ut eodem convenienter inspecto, quod in cæteris cavere jam debebant, Domino Deo nostro præstante, perpendant. Æstimant igitur quidam in hac vita posse quenquam hac perfectione consistere; ut nullis prorsus fragilitatis humanæ pulsetur affectibus, nec corporeis exagitetur illecebris." De quo articulo deinceps disserit; et hominem non vivere sine peccato, multis Scripturæ prolatis testimoniis, confirmat.

Extabat et Johannis Talaidæ Alexandrini episcopi ad Gelasium apologia; in qua Pelagio et ejus sectatoribus

anathema dictum fuisse, in bibliotheca sua testatur Photius: “Ἀναθεματίζει δὲ, inquit^ε, καὶ Ἰωάννης ὁ Ἀλεξανδρείας, ἐν τῇ πρὸς Γελάσιον τὸν Ῥώμης ἀπολογία, οὐ μόνον τὴν Πελαγίαν ἄρεσιν, ἀλλὰ καὶ Πελάγιον, καὶ Κελέστιον, καὶ ἔτι Ἰουλιανὸν, ὃς καὶ αὐτῶν ἐγνώσθη διάδοχος. Damnavit et anathemate Johannes Alexandrinus, in apologia ad Johannem Romanum episcopum, non solum Pelagianam hæresim, verum etiam Pelagium ipsum atque Celestium, una cum Juliano, qui in hac ipsa secta successisse deprehensus est.” Adhuc vero superest Romana septuaginta episcoporum synodus sub eodem Gelasio habita: in qua non modo Celestius, Pelagius, et Julianus damnantur, atque Augustini, Hieronymi et Prosperi (viri, ut ibi appellatur, religiosissimi) libri commendantur, sed etiam Cassiani presbyteri et Fausti Regiensis opuscula inter apocrypha et improbata lectionis scripta nominatim recensentur; eaque ratione tum Pelagianorum tum Semipelagianorum dogmata totius synodi decreto reprobantur: quod illum Cassiani et Fausti laudatorem Gennadium fugisse videtur, quum librum suum de ecclesiasticis dogmatibus Gelasio censendum obtulit: quanquam si quid reliquiarum Pelagianismi in eo delitesceret, partim tribus adversus Pelagium libris ab ipso editis dilui, partim sub sanctioribus illis effatis quæ huic ipsi operi sunt interspersa abscondi potuisse non diffideret. “Initium^h salutis nostræ Deo miserante habemus:” “Nullumⁱ credimus ad salutem nisi Deo invitante venire:” “Bonæ^k cogitationes semper a Deo sunt:” “Nullus^l sanctus et justus caret peccato.”

Hoc enim de fide sua opus illud esse putatur, cujus in scriptorum suorum recensione ita ipse meminit: “Ego Gennadius Massiliæ presbyter scripsi adversus omnes hæreses libros octo, adversus Nestorium libros sex, adversus Pelagium libros tres, et tractatus de mille annis [in Apocalypsi B. Johannis]. Et hoc opus de fide mea misi ad

^ε Phot. bibliothec. num. 54.

^h Gennad. ecclesiast. dogmat. cap. 21.

^k Ibid. cap. 82.

ⁱ Ibid. cap. 56.

^l Ibid. cap. 86.

Gelasium urbis Romæ episcopum:" quod pronomen demonstrativum verba ista tractatui de ecclesiasticis dogmatibus subjuncta fuisse arguit, non alteri de ecclesiasticis scriptoribus libello; cui in Suffridi Petri editione (consentientibus etiam codicibus, quibus in suis scriptorum catalogis Honorius Augustodunensis, Bostonus Buriensis et Johannes Trithemius sunt usi) attexta conspiciuntur. Hic vero in memoriam revocandum est quod supra^m indicavimus, Hieronymiani catalogi, ut hæreticorum, ita etiam scriptorum ecclesiasticorum supplementum edidisse Gennadium, quum Timotheus hæreticus adhuc viveret in exilio; a quo revocatus anno CCCCLXXV. post biennium vivere desiit. Et quidem in Timotheanis terminatur Gennadianus hæreticorum indiculus: quæ enim in libro edito sequuntur, ex Isidoro Hispalensiⁿ sunt traducta: quem hinc etiam, una cum exscriptoribus suis, Rabano^o, Honorio^p et Gratiano^q, in Bonosiacis suo loco restituendis obiter emendare liceat. Cum enim hic Bonosiaci proxime ante Acephalos sint collocati; antiquarius aliquis eorum ortum antiquiorem fuisse animadvertens, ex ea sede motos inter Donatistas et Circumcelliones temere intrusit: plane contra Isidori mentem, qui Circumcelliones describens ut supradictæ hæresis habentes doctrinam, non Bonosiacos sed Donatistas (quorum partem Circumcelliones extitisse notum est) præcessisse demonstrat.

Scriptorum ecclesiasticorum continuationem auxit postea Gennadius, et ad initia imperii Anastasii perduxit. In ipso Anastasii exordio librum ab eo fuisse editum, ex eo colligit Baronius^r, quod "de Gelasio papa agens ipsum vita functum esse ait sub Anastasio imperatore, quem constat primo Anastasii anno nondum absoluto vita functum esse; de reliquis vero scriptoribus qui post hæc floruerunt nihil scribat, ut de Avito episcopo Viennensi, et

^m Supr. cap. 11. pag. 366.

ⁿ Isidor. Origin. sive Etymolog. lib. 8. cap. 5.

^o Raban. de institut. cleric. lib. 2. cap. ult.

^p Honor. Augustodun. libell. de hæresib.

^q Gratian. caus. 24. quæst. 3. cap. penult.

^r Baron. annal. tom. 6. ann. 490. sec. 46.

aliis." Verum memoriae lapsu manifesto Gelasii exitum eo anno collocat, in quo ponendum erat pontificatus ipsius initium: neque advertit, in eadem Suffridiana catalogi Gennadiani editione, in qua mortis Gelasii facta est mentio, etiam Cæsarium Arelatensem commemorari; qui non solum sub Hormisda cum Avito Viennensi claruit, sed etiam Arausicano^s concilio triginta et tribus post mortem Gelasii annis contra Semipelagianos habito, sub Felice IV. præfuit. Ex quo dubium illud expediri facile poterit, quod verbis hisce proxime præcedentibus, de libelli ecclesiasticorum dogmatum interpolatore, ab eodem Baronio est propositum. "Quæ a capite vigesimo primo ejusdem commentarii usque ad vigesimum secundum interjacent, non esse Gennadii, sed Gennadii correctoris, optime observavit doctissima schola Lovaniensis: fueritne id factum censura Gelasii, librum ad se missum cognoscentis et emendantis, vel ejus jussione alius aliquis id præstiterit, haud affirmare omnino audeam, vel negare." Nam ut caput vigesimum secundum cum decem sequentibus ex Celestini I. capitulis^t, et trigesimum tertium cum quatuor proximis ex Africana^u synodo, ita trigesimum octavum, et tredecim sequentia ex Arausicano illo concilio tot annis post Gelasii excessum celebrato ad verbum sunt descripta; ac non modo post Gelasii sed etiam post Rabani tempora (ut ostendimus^w) recentioris alicujus critici studio, medicamento loco, suspectæ sanitatis scripto interposita.

Ante mortem vero Gelasii multoque magis ante pontificatum Felicis IV. sui de ecclesiasticis scriptoribus libelli appendicem Gennadium absolvisse (ideoque Gelasii et Cæsarii commemorationem illam, ac pari ratione additamenta illa reliqua ad veterem editionem a Suffrido Petro adjuncta, a posteriore esse manu) ex hisce authoris de Theodulo verbis deprehendisse mihi videtur. "Moritur hic scriptor ante triennium, regnante Zenone": anno enim CCCXCI. quo consulatum gessit Olybrius, Zenonem interiisse, ex fas-

^s Baron. anal. in appendic. tom. 10. ad annum 529.

^t Supra, cap. 11. pag. 415.

^u Supra, cap. 10. pag. 324.

^w Supra, cap. 13. pag. 492.

tis Cassiodori, Marcellini comitis et Victoris Tonnonensis liquet: succedente Anastasio, quem in consulatu ejusdem Olybrii filii Ariobindæ, mense Xanthico sive Aprili, feria quinta majoris Hebdomadæ, quæ eo anno in undecimum Aprilis diem incidit, indictione XIV. inauguratum fuisse, in Constantinopolitano chronico legimus, quod Alexandrini nomine a Matthæo Radero habetur editum. Ultra annum igitur **CCCCXCIV.** nequaquam processit Gennadius, Asturii atque Præsidiî consulatu prænotatum: ad quem Romanam septuaginta episcoporum synodum, absque ullo tamen veterum vel codicum vel authorum testimonio, retulit Severinus Binius. Et quum ante biennium Gelasium pontificatum iniisse constet, cujus in Honorato Massiliensi ille meminit; ipso anno **CCCCXCIV.** qui Anastasii tertius, Gelasii vero secundus fuit, supremam libro manum Gennadium apposuisse, ego mihi facile persuaserim. Num vero ad annum æræ Hispanicæ **DLXXII.** sive Christi **DXXXIV.** (quod in chronico maximo Cæsaraugustano tributo legimus) vitam ille produxerit, viderint alii.

Claruit etiam, ut^x ferunt, temporibus Anastasii Augusti, anno Domini quingentesimo, Godelbertus presbyter; qui Alcimi Aviti Viennensis episcopi, ut Sigebertus^y scribit, “studium imitatus, per historias et allegorias divinæ scripturæ ab initio mundi usque ad partum virginis heroico pede eleganter cucurrit.” De eo Thomas Dempsterus “S. Godelbertus^z presbyter, rhetor disertissimus, philosophus Platonice sectæ subtilissimus, theologus memorabilis, nec Anglo-Saxo, nec Britannus, sed Scotus (ut dicere potuisset non ab annalibus modo nostris, sed a magistro suo Balæo singularis impudentiæ Johannes Pitseus:) præceptorem habuit S. Sedulium; ad cujus imitationem, heroicum suum poema a mundo creato usque ad Christum natum summa majestate perduxit.” Atqui Scotum hunc fuisse, neque in annalibus ullis ego adhuc invenire potui, neque in Balæo, cujus de Godelberti patria verba hæc sunt:

^x Jo. Trithem. de scriptorib. ecclesiastic. in Godelberto.

^y Sigebert. de scriptorib. eccles. cap. 23.

^z Dempster. histor. ecclesiastic. Scotor. lib. 7. num. 608.

“ Ex^a aliquorum scriptorum conjecturis, genere Anglo-Saxonicus fuit : eum nihilominus poetam Britannicum Lilius Gyraldus in poetarum historiis vocat :” quanquam nec Britannicum fuisse, vel Lilius Gyraldus^b, vel scriptorum, quod ego quidem sciam, ante Balæum quisquam alius, tradiderit.

Nomen certe illius, Anglo-Saxonicae et Francicae potius quam Britannicae vel Scoticae est originis : ut si Anastasii temporibus ille claruerit, de quo mihi nondum liquet, in Francicorum scriptorum numero, cum Anglo-Saxones a Christiana fide adhuc fuerint alieni, reponendus fuisse videatur. Nam quod in sanctorum catalogum Dempsterus eum refert, et (quod Cottam^c fortasse legisset “ neque indisertum academicum pertimuisse, nec sine ista philosophia rhetorem quamvis eloquentem”) inter rhetores disertissimos atque philosophos Platonicae sectae subtilissimos eundem connumerat; commenti genus est illi homini non minus familiare, quam librorum qui nunquam scripti sunt ex ipsius otioso deprompta cerebro recensio. Trithemius, praeter poema illud a Sigeberto commemoratum, cujus titulum fuisse dicit, Allegoriae Scripturarum libri quatuor, et alia plura scripsisse Godelbertum retulit. Balæus, ne non amplius aliquid quam Trithemius vidisse putaretur, praeter illud opus non solum homiliarum et epistolarum librum unum, sed etiam alia plura composuisse addit, licet non compareant, et ne nihil quam illi plus novisse Dempsterus existimaretur, praeter homiliarum librum unum et epistolarum libros quinque (tot enim illi comminisci libuit) poematum quoque Latinorum variorum librum unum scripsisse asserit : quæ non habenda nauci sunt omnia.

Apud Britannos vero claruisse dicuntur hoc tempore Paulinus, Gundleus, et Cadocus. Paulinum Giraldus Cambrensis laudat : de Davidis Menevensis institutione ita scribens : “ Succedente tempore, crescentibus quoque virtutum meritis, ad centesimum summopere fructum aspirans, carnemque ab omni libidine servans immunem ; ad

^a Jo. Balæ. scriptor. Britann. centur. 1. cap. 49.

^b Lil. Gregor. Gyrald. poetar. hist. dialog. 5.

^c Apud Cicer. initio lib. 2. de natura Deor.

sacros gradatim ordines proventus, tandem sacerdotali dignitate est sublimatus. Exin profectus est in Vectam insulam, ubi Paulinus Germani discipulus, divinis ex toto mancipatus officiis, gratam Deo vitam agebat : ut præceptoris ejusdem tam doctrinis instructus quam exemplis informatus, longe efficacius et divinis Scripturis imbueretur, et ad patriam a vita felici cursu transveheretur." De Gundleo et Cadoco ista refert, in eorum vita, Johannes Timmuthensis : " S. Gundleus filius regis australium Britonum extitit : et post mortem patris regno in septem partes diviso, sex ejus fratres portiones suas acceperunt ; et ipsi quasi seniori in omnibus parebant. Gundleus vero ex uxore sua Gladusa filium suum nomine Cadocum genuit, virum sanctum et Deo placentem" : Postea, " regno Cadoco filio suo commendato," ecclesiam construxit ; ibique " in magna abstinentia et vitæ sanctimonia vivere cœpit." Cadocus autem monasterii Nancarbanensis sive Lhancarvanensis, in Glamorgania tribus passuum millibus a Cowbrigia positi, " Abbas^d effectus, ipsum sæpe visitans confortabat : asserens non inchoantibus coronam esse promissam, sed perseverantibus in bonum. Pascebatque Cadocus centum quotidie clericos, totidem pauperes, et totidem viduas, præter advenas et hospites ad illum crebro venientes. Licet enim abbas multos sub se monachos regeret, portionem tamen regni patris sui possidens, indigentibus necessaria distribuit. Hæc ei subito inhæsit cogitatio, ut sancta loca in quibus Patricius sanctus habitaverat inviseret, et ejus disciplina atque exemplis quasi discipulus frueretur egregiis. Hic enim ante multum temporis quasi candela lucidissima in alto collocata amplissima aspergens lumina, cunctas Hiberniæ insulæ illuminarat ecclesias : et non solum illas, sed etiam totius mundi ad quas fama ejus meritumque deferri potuissent."

Quo^e tempore viam universæ carnis ingressurus erat S. Patricius, " Ecclesiæ^f Christi eximium decus, et totius Hiberniæ splendidum sidus," S. Winwalocus Britannus

^d Ex vita MS. biblioth. Cott.

^e Jocelin. in vita Patricii, cap. 182.

^f Vit. Winwaloci, apud Surium, tom. 2. Mart. 3.

vitam apud Armoricos agens monasticam, ad insulam quamdam se transtulit; in eaque cum sociis suis triennio mansit, vitam ducens eremiticam: postea siccis pedibus, cum comitibus mare transeuntem, ad continentem rediisse, ibique loco ubi consederat aquarum penuria laborante fontem e terra uberrimum produxisse scribunt: quod eleganti carmine Jacobus Bidermannus expressit. In Tauraco monasterio postremam vitæ partem exegisse dicitur, tandemque “plenus^g dierum quinto Nonas Martias, quarta feria in prima quadragesimæ hebdomada,” (in illum vero mensis Martii diem anno DIV. dies Cinerum incidit) integer et corpore et mente obiit: anno DVIII. Cerdicum Saxonem et filium ipsius Kenricum una die quinque millia Britannorum cum rege suo Nazaleod sive Natanleod occidisse, Anglo-Saxonum tradunt annales; indeque regionem illam usque ad Cerdices-ford (ea hodie Hantoniensium Chardford est) Nazanleogæ sive Natanleagæ nomen accepisse. Hector Boethius^h Utherum Pendraconem Britannis tunc imperasse, et Nathaliado huic, “homini obscuræ originis, longa familiaritate viri magis quam virtute plectum, summam detulisse belli administrationem”; eundemque, “præstantissimum secundum regem ducem, cum quindecim hominum millibus” cæsum fuisse scribit. Matthæus Florilegus, vel ejus saltem interpolator, anno DVIII: Utherum regem, infirmitate laborantem, “ducem Nathanlioth principem militiæ Britonum ordinavisse”; eumque cum quinque millibus virorum corruisse refert: deinde de nova clade, post triennium^l ecclesiis Britanniae a Saxonibus illata, subjungit ista:

“Anno gratiæ DXI. videntes Saxones qui Britanniam inhabitant Uther Pendragon regem gravi infirmitate depressum, convenerunt omnes in unum, ut omnes insulanos a finibus suis expellerent, et junctis viribus fertilem patriam sibi in perpetuum subjugarent. Perlustrantes itaque quasque provincias, cum neminem sibi resistere cog-

^g Vit. ejusd. MS. in bibliotheca Cottoniana.

^h Boeth. histor. Scotor. lib. 9.

^l Quando ille male putat vixisse adhuc Utherum.

novissent, totam fere insulam a mari usque ad mare devastare cœperunt. Nec prælatis ecclesiarum vel rebus ecclesiasticis parcentes, Christianitatem pene totam in insula deleverunt. Insulani autem regem infirmum deserentes, ad montium abrupta et silvarum latibula confluxerunt: secundum illud antiquum proverbium;

Cui caput infirmum, cœtera membra dolent."

In hac persecutione promovenda non postremas Cerdici partes fuisse ferunt: de quo in Wintoniensis ecclesiæ historiæ capite nono ita legimus: "Bonitate fidei Christianæ per adventum Cerdici in partibus Gewisæorum exclusa, secundo monachi interficiuntur in ecclesia Amphibali, quæ vetus cœnobium vocatur in Wentana civitate: et de monasterio Christi et sancti Amphibali ecclesia illa templum efficitur Dagon CXLII. annis, usque adventum S. Birini Gewisæorum apostoli; qui missus est a B. papa Honorio, et venit in terram Gewisæorum anno quadragesimo primo post adventum S. Augustini in Angliam, anno scilicet gratiæ DCXXXV." et in antiquitatibus ejusdem ecclesiæ, similiter: "Monachi denno introducti inhabitant ecclesiam Wintoniæ in quietâ pace, a morte videlicet Diocletiani usque ad adventum Cerdicii Saxonici et pagani ac West-Saxonum regis primi, hoc est, CCX. annis. Et tunc iterum monachi occisi sunt a paganis Saxonibus, et ecclesia Wintoniæ de domo Dei et sancti Amphibali templum efficitur Dagon; videlicet CXLII. annis, usque ad adventum sancti Birini Gewisæorum primi episcopi et Kinigilsi regis. Ab adventu Cerdicii et secunda monachorum interfectione, et a tempore quo ecclesia Wintana efficitur templum Dagon, florent anni nongenti octo": (ad tempus nimirum, quo^k ista ab auctore scripta sunt:) et in majore Thomæ Rudburni chronico, "Cerdicus^l sive Cerdicius super Britones plures exercens victorias, post adventum suum anno decimo quarto monarchiam occidentalium Saxonum adeptus, regni diadema suscepit; coronatus more gentili apud Wintoniam, in loco quem de Christi Ecclesia, id est Win-

^k Vid. supra, pag. 199. 201.

^l Lib. 2. cap. 1.

toniensi, monachis interfectis, pagani templum fecerant Dagon; anno Dominicæ incarnationis DXVI. anno secundo regni Arthuri regis Britonum."

Quod si in perplexis antiquiorum istorum temporum rationibus extricandis conjecturæ locum aliquem liceat concedere: quandoquidem Natanleodum illum, de quo diximus, non modo regem Fabius Ethelwerdus, Florentius Wigorniensis et Anglo-Saxonici omnes annales, sed etiam regem maximum Britannorum Henricus Huntingdoniensis^m appellat, videndum an eo nomine alius hic possit accipi, quam ipse rex Utherus; qui proprio nomine Natanleodus dictus, Admirandi sive Horribilis (id enim Cambro-Britannis Uthr sonat) ob res fortiter a se gestas cognomentum postea obtinuerit: quomodo in notulis Ninio adjectis, de filio et successore illius Arthuro legimus: "Mab uter Britannice, Latine filius horribilis: quoniam a pueritia sua crudelis fuit. Arthur Latine translatum, sonat ursumⁿ horribilem; vel malleum ferreum, quo confringuntur molæ leonum." Hoc vero ita posito, et certior aliquanto harum rerum institui posset chronologia, et de regni Arthuriani initio aliquid haberemus tandem comperti; de quo tantopere inter scriptores videmus variari.

Inter exteros enim, Jacobus Meyerus^o anno CCCCLVIII. floruisse regnum Arthuri in Britannia asserit: sub Hilario, qui post triennium pontificatum Romanum est adeptus, illum regnavisse Martinus Polonus annotat. Circa annum Leonis imperatoris undecimum, qui ejusdem Hilarii postremus, Christi CCCCLXVII. numeratur, cœpisse illum regnare refert in speculo historiali Vincentius; et cum secutus monachus Nussiensis, in magno chronico Belgico a Pistorio edito: "Mortuo," inquit Vincentius^p, "Uther-Pendragon rege, sublimatus est in regno filius ejus Arthurus; cujus mirabiles actus etiam ora linguæve personant populorum: licet plura esse fabulosa videantur. Qui multa pro-

^m H. Huntingd. histor. lib. 2.

ⁿ Ut Græcis ἄρκρος, ita Britannis Arth ursum notat.

^o Meyer. annal. Flandr. lib. 1.

^p Vincent. lib. 20. cap. 56. Antonin. chronic. tit. 11. cap. 2. sec. 2.

bitate pollens, cunctis se amabilem exhibebat; quia cum virtute animi etiam mira liberalitate affluebat." Zenone Leonis successore imperante, Arthurum regnasse significant in chronicis suis Radulphus Niger, Valerius Anselmus Ryd et Huldricus Mutius. Anno CCCCLXXXV. (qui Zenonis fuit duodecimus) natum illum fuisse Johannes Gerbrandus^q retulit. Quindecim annorum juvenem Guilielmus Malmesburiensis^r, Galfridus Monemuthensis^s, Matthæus Florilegus^t et eulogii^u author; octavum decimum ætatis agentem annum Ranulphus Cestrensis^v, Johannes Tinmuthensis^w et Georgius Buchananus^x, regem factum fuisse narrant. Anno DXV. Radulphus de Baldoc et Thomas Rudburnus; DXVI. Matthæus Florilegus et David Pouelus; DXXVIII. Buchananus; DXXII. Heçtor Boethius^y, regnare illum cœpisse sensit.

Guilielmus Malmesburiensis libro primo de gestis regum Anglorum, capite secundo, anno dominicæ incarnationis CCCXC. Cerdicum in Britanniam venisse, ac Britones ita contudisse docet, ut "in ejus jura volentes concesserint; posteaque crebras circumquaque victorias extendentem, post adventum suum vicesimo quarto anno in occidentali parte insulæ, quam illi West-Sexam vocant, monarchiam adeptum esse." Idem vero, in Glastoniensis ecclesiæ antiquitatum libello, "hujus Cerdici anno decimo cœpisse regnare super Britones Arthurum" ait: quo etiam anno surrexisse apud Britones Arthurum belligerum, in Ranulphi Cestrensis polychronico, et Johannis Tinmuthensis aurea historia legimus; anno nimirum gratiæ, ut Henricus Marleburgensis explicat DXXVIII. West-Saxonici^z regni cum Malmesburiensi et Huntingdoniensi, ab anno DXIX. deducto principio. Addit vero Ranulphus: "In quibusdam chronicis legitur, quod Cerdicus sæpius cum Arthuro confligens, si semel vinceretur, alia vice acrior surrexit ad pugnam: tandem Arthurus extædiatus, post vigesi-

^q Johan. Leidens. chronic. Belgic. lib. 1. cap. 13.

^r Malmcsbur. de antiquitat. eccles. Glastoniens.

^s Hist. Britannic. lib. 9. cap. 1.

^t Flor. histor. ann. 516.

^u Eulog. lib. 5.

^v Polychronic. lib. 5. cap. 6.

^w Johan. in aurea historia.

^x Buchanan. rer. Scoticar. lib. 5. in rege XLV.

^y H. Boeth. Scotor. histor. lib. 9.

^z Polychronic. lib. 5. cap. 6.

num sextum annum adventus Cerdici, fidelitate sibi jurata, dedit ei Hamteschiram et Somersetam; quam partem vocavit West-Sexam." Factum hoc ex Divionensis cujusdam chronicis, refert Lelandus, non post vigesimum sextum sed post duodecimum annum adventus Cerdici; qui in æræ Christianæ DVI. incidit. Thomas Rudburnus^a, decenuio insuper addito, anno Dominicæ incarnationis DXVI. quem ille "secundum regni Arthuri numerat, Cerdicum sæpius cum Arthuro conflixisse, pertæsum Arthurum cum Cerdico deinceps prælia inire fœdus cum illo pepigisse, et concessisse Cerdicum Cornubiensibus ut sub annuo tributo ritum Christianæ religionis observarent," in majore memorat historia.

Res a Gilda Albanio in Britannia, Arthuro regnante, gestas in ejus vita Caradocus sic enarrat. "Cadocus^b abbas Nancarbanensis ecclesiæ rogavit Gildam doctorem ut regeret studium scholarium per anni spatium: et rogatus rexit utillimum, nulla mercede accepta a scholaribus, præter orationes cleri et scholarium. Ubi^c ipsemet scripsit opus quatuor evangelistarum; quod adhuc remanet in ecclesia sancti Cadóci, auro et argento undique cooperatum, ad honorem Dei et scriptoris sanctissimi et Evangeliorum. Tenent Walenses indigenæ illud volumen pretiosissimum in conjurationibus suis, nec audent aperire ad videndum; nec confirmant pacem et amicitiam inter inimicos, nisi illud affuerit imprimis appositum. Finito^d anni spatio, et scholaribus recedentibus a studio, sanctus abbas Cadocus et Gildas doctor optimus communi consilio adierunt duas insulas, scilicet Ronech et Ecni. Nolebant impediri in ecclesiastico officio a confluentia hominum: propterea nesciebant melius consilium, quam relinquere Carbanam vallem et adire insulare secretum. Dum^e sic perseveraret S. Gildas intentus jejuniis et orationibus, venerunt piratæ de insulis Orcadibus: qui affligerunt illum, raptis ab eo suis famulis servientibus et ductis in exilium, cum spoliis et omnibus suæ habitationis supellectibus, unde afflictus nimium, non potuit ibi amplius habitare."

^a Rudburn. chronic. lib. 2. cap. 1.

^b Caradoc. Lancarvan. vit. Gild. cap. 14. ^c Ibid. cap. 15.

^d Ibid. cap. 16.

^e Ibid. cap. 18.

“Reliquit^f insulam, ascendit naviculam, et ingressus est Glastoniam cum magno dolore; Meluas rege regnante in æstiva^g regione. Susceptus vir suscipiendus a Glastoniense abbate, docuit confratres et diversas plebes, seminans semen seminandum cœlestis doctrinæ. Ibi^h scripsit historias de regibus Britanniæ. Glastonia, id est, urbs vitrea: quæ nomen sumpsit a vitro et urbisⁱ nomine primitus in Britannico sermone. Obsessa^k est itaque ab Arthuro tyranno cum innumerabili multitudine, propter Guennivar uxorem suam, violatam et raptam a prædicto iniquo rege, et ibi ductam (propter refugium inviolati loci, propter munitiones arundineti et fluminis ac paludis) causa tutelæ. Quæsiverat^l rex rebellis reginam per unius anni circulum; audivit tandem illam remanentem: illico commovit exercitum totius Cornubiæ et Dibueniæ^m; paratum est bellum inter inimicos. Hoc viso abbas Glastoniæ, comitante clero et Gilda sapiente, intravit medias acies: consuluit Meluas regi suo pacifice ut redderet raptam. Reddita ergo fuit, quæ reddenda fuerat, per pacem et benevolentiam. Hisⁿ peractis, duo reges largiti sunt abbati multa territoria: qui venerunt ad templum S. Mariæ visitandum et orandum; confirmante abbate fraternitatem dilectam pro pace habita, et pro beneficiis quæ fecerant et amplius quæ facturi erant. Inde redierunt reges pacificati: promittentes veneranter obedire reverentissimo abbati Glastoniensi, et nunquam violare sanctissimum locum nec etiam subjacentia loco principali.”

“Habita^o licentia abbatis Glastoniensis, cleri et populi, cupivit religiosissimus Gildas eremitariam iterum vitam colere supra ripam fluminis^p proximi Glastoniæ: et voluntatem complevit in opere. Ubi^q ædificavit ecclesiam in nomine sanctæ et individuae Trinitatis: in qua jejunabat et orabat assidue, et cilicio indutus, exemplum donans omnibus irreprelensibile bene vivendi cum religione. Vi-

^f Caradoc. Lancarv. vit. Gild. cap. 19. ^g Somerset-shire.

^h Caradoc. Lancarv. vit. Gild. cap. 20. ⁱ Bury.

^k Caradoc. Lancarv. vit. Gild. cap. 21. ^l Ibid. cap. 22.

^m Devonix Cambrobritannix Duffneynt dictæ.

ⁿ Caradoc. Lancarv. vit. Gild. cap. 23. ^o Ibid. cap. 24.

^p Axl.

^q Caradoc. Lancarv. vit. Gild. cap. 25.

sitabant sancti viri illum visitandum, de longinquis partibus Britanniae: admoniti redibant, et audita hortamenta et consilia retinebant cum exultatione." Mortuus tandem Gildas, et ad Glastoniensem abbatiam delatus, "sepelitur in medio pavimento ecclesiae B. Mariae." Haec, in illius vita, Caradocus Lancarvanensis: quibus et hoc, ex Guilielmi Malmesburiensis de Glastoniensis ecclesiae antiquitate libello petatum, adjungimus: "Sicut a majoribus accepimus, Gildas neque insulsus neque infacetus historicus, cui Britanni debent, si quid notitiae inter caeteras gentes habent, multum annorum ibi exegit, loci sanctitudine captus: ibique anno Domini DXII. de medio factus, in vetusta ecclesia ante altare est sepultus."

Idem obitus annus et in magna Glastoniensis ecclesiae tabula illi assignatur, ubi strenuissimi regis Arthuri capellanus nuncupatur, et in vita illius a Johanne Capgravo edita; ubi migrasse etiam quarto calendas Februarii legitur. In anonymo tamen Glastoniensi chronographo, ad annum DXXII. annotatum reperi: "S. Gildas Britonum historiographus migravit ad Dominum; corpusque suum in vetusta ecclesia ante altare beatae Mariae usque ad combustionem ecclesiae requievit:" post combustionem enim illam, quam anno MCLXXXIV. contigisse ostendimus*, "in vetusta ecclesia effusa esse corpora sanctorum Patricii a dextris altaris, Indracti sociorumque ejus a sinistris, et sancti Gildae de pavimento ante altare, et in scriniis collocata," Guilielmi Malmesburiensis interpolator retulit. Quod etiam in Glastoniensis caenobii reliquiarum indiculo ita consignatum invenimus: "In feretro S. David Menevensis archiepiscopi continentur reliquiae S. Gildae Britonum historiographi: et solum deficiunt hanchiae. Qui post obitum suum sepultus fuit in vetusta ecclesia ante altare gloriosae virginis Mariae: et ibidem sexcentos, quinquaginta, et viginti duos annos usque ad combustionem ejusdem ecclesiae jacuit; et postea, sicut Domino placuit, translatus fuit in scrinio argenteo."

Philippus Ferrarius, in catalogo generali sanctorum qui in martyrologio Romano non sunt, nono Calendas Febru-

* Caradoc. Lancarv. vit. Gild. cap. 28. † Supra, cap. 6. pag. 145. 147.

arii, Benaventæ in Anglia S. Sophiæ episcopi et martyris anno CCCCXC. ibidemque S. Cadoci martyris anno D. passi, memoriam celebrari asserit. Verum Johannes Capgravius^t, ad quem nos ille remittit, unum et eundem facit Cadocum et Sophiam: neque Beneventam hic intelligit aliam, quam notissimam illam Italiæ urbem Beneventanam. Narrat enim Cadocum, Gildæ de quo jam egimus per familiarem, abbatem in monasterio suo Lancarvanensi ordinato discipulo suo Ellenio (reginæ cujusdam transmarinæ filio) de terra Britannia decessisse; et novo Sophiæ, quod sapientia Dei plenus esset, accepto nomine, Beneventanæ civitatis primo abbatem, deinde episcopum effectum, nono Calendas Februarii martyrio ibidem vitam finivisse: atque hac demum fabella totam illius legendam concludit: "In^u ejus honore fundata est ibi ecclesia magna super sepulchrum ejus; in qua nullus Britannus intrare permittitur. Futurum est enim, ut asserunt cives, quendam Britonem ex suo in Britannia monasterio, scilicet Lancarvan, illuc advenire; et reliquias corporis sancti furto inde quandoque auferre. Quinimo, quod gravius est, post ablationem corporis sancti fontem illum qui secus est urbem, quem ad operariorum usum in ædificatione murorum civitatis per illius preces de tellure manare fecit, velut mare super totam urbem et illius habitatores inundaturum præagiunt."

Hujus Cadoci, dum Lancarvanensis fuisset abbas, hortatu Iltutum^w (nobilissimi militis Bicani et Rienigulidæ filiæ regis minoris Britannia filium) seculo renunciasset ferunt; postquam a consobrino suo Arthuro rege "cum honore receptus, tandem ad regem Morganensium veniens curiam ejus sub ipso rexisset, secundus a rege factus:" quanquam a S. Germano presbyterum ordinatum fuisse affirmet scriptor vitæ Samsonis, quam ex Floriacensis bibliothecæ membranis Johannes a Bosco in lucem emisit; hæc de eo memorans: "Hildutus^x discipulus sancti Germani erat, ipseque Germanus ordinavit eum in sua juventute ad gradum presbyteratus. Ille vero Hildutus de totis scripturis Veteris ac Novi Testamenti, et in omni philoso-

^t Ex Johanne Tinmuthensi.

^u Johan. Tinmuthensis.

^w Johan. Tinmuthens. in vita Iltuti.

^x Vit. Samsonis, cap.

pliaë genere, ac metricaë et rhetoricaë disciplinis doctus erat; Scripturaë universaë peritissimus, ac futurorum præscius." Eundem etiam S. Germani fuisse discipulum, et in vita Maglorii apud Surium^y, et in Vincentii speculo^z historiali, et in Landavensi regesto^a legimus: licet id ægre temporum ratio patiatur: sive cum illis Antissiodorensium Germanum, qui plus justo senior, sive cum Andrea Sausaio^b Parisiensem, qui ætate non paulo fuit junior, hic accipere libeat. A Dubricio^c Landavensi episcopo in loco qui ab illo Lan-iltut, id est, ecclesie Iltuti accepit nomen est constitutus. Is locus, Morgania^d prope mare nec procul a Lancarvanensi Cadoci monasterio ad Bovertonum positus, paulo contractius Lan-twit hodie appellatur: ibi ecclesia primum, deinde monasterio extracto, Merchiauno cognomento Vesano Morganiaë rege approbante, gymnasium aperuit: de quo scriptor vitæ ipsius anonymus: "Confluebant ad illum scholares plurimi: quorum de numero quatuor isti; Samson, Paulinus (vel Paulus potius) Gildas et Dewi (id est, David) studebant sapienter eruditi; alique complures sicut illi," et vitæ Gildæ scriptor, ex Floriacensi bibliotheca editus: "In schola doctoris Hilduti erudiebantur plurimi nobilium filii; inter quos præclariores erant, tam generis nobilitate quam morum probitate, Samson videlicet atque Paulus: sed hos quoque mira ingenii sagacitate superabat Gildas beatus. Ex quibus Samson sanctissimus postea Britannorum extitit archiepiscopus; Paulus vero Oxismorum ecclesie præfuit episcopus." Gildas autem non Albanus (de cujus morte jam egimus) hic intelligendus sed (de cujus nativitate in fine hujus capituli erit agendum) Badonicus: Samson Dolensis, et Paulus Leonensis^f in Britannia Armorica episcopi sunt pariter accipiendi.

Dubricii Landavensis episcopi temporibus claruisse etiam Cungarum eremitam author est Capgravius^g: quem

^y Sur. vit. sanctor. tom. 5. Octob. 24. ^z Vincent. lib. 21. cap. 105.

^a Regest. Landav. in vita Samsonis.

^b Martyrolog. Gallican. Januar. 29. pag. 83.

^c Johan. Tinmuth. in vita Dubricii.

^d Glamorgan-shire.

^e Vit. Gild. cap. 3.

^f S. Poul de Leon.

^g Jo. Capgrav. in vita S. Cungari.

ab Angligenis et Walensibus, quod eos viam Domini doceret, Doccuinum vocatum fuisse ait. Eum apud Somersetenses primum, in loco qui ab ipso Cungresbiria nomen postea acceperit, deinde apud Morganenses, oratorium in honorem sanctæ et individuæ Trinitatis construxisse memorat, atque in utroque duodecim canonicos, qui regulariter viventes Deo ibidem deservirent, constituisse: circumjacente territorio; huic quidem a Poulento Glamorgantia rege, illi vero ab Iva rege Anglorum largissimo, liberaliter donato. Quis autem alius ille Iva esse poterit, quam clarissimus ille occidentalium Saxonum rex Ina? quo consentiente, episcopalem sedem translata fuisse prodiderunt alii a Cungresburia^h (in cujus nomine non tam Gungari quam Cangorumⁱ, veterum hujus tractus incolarum, deprehendi fortasse poterit vestigium) “ ad villam quæ tunc Tethiscine, nunc vero Welles nominatur; ab Ina quidem rege (ut inquit Lelandus^k) loci illustratore Fontanetum, at antiquitus a Theodoro regulo Theodorodunum dicta.” Ut quum Dubricii temporibus Inæ regnum longe posterius fuisse nullum sit dubium, de Capgravi in hac narratione fide non minus dubitare liceat, quam in ipsius Cungi parentelæ designatione; dum cujusdam Constantinopolitani imperatoris et imperatricis Luciriæ unicum filium fuisse retulit.

Prius quam Dubricio in Legionensi archiepiscopatu successor datus est David, Meneviæ, quæ vallis Rosina olim nuncupabatur, insigne construxit ille monasterium; vel saltem, a B. Patricio fundatum, restauravit: “ David,” inquit in illius vita Johannes Timmathensis, “ constructo in valle Rosina monasterio, talem cœnobialis propositi rigorem decrevit; ut monachorum quisque, quotidiano desudans operi, manuum labore suam in commune transigeret vitam, dicens: Qui^l enim non laborat, ait apostolus, non manducet. Indeque monachi illi, divinis ex toto mancipati officiis, a populari frequentia in angulari quadam

^h Supra, cap. 5. pag. 87.

ⁱ Vid. Camden. in Somerset-shire, pag. 168.

^k Jo. Leland. in elencho antiquor. nomin. subjuncto assertioni Arturii.

^l 2 Thess. cap. 3. ver. 10.

solitudine super Hibernicum mare longe remoti, quatuor his curis, manuum scilicet labore, lectione, oratione, et pauperum refectione, vitam feliciter exegere:" quemadmodum, in ejusdem Davidis vita, refert Giraldus. His etiam adde, si libet, veterem illum de Meneviensis peregrinationis precio versiculum :

Roma dabit quantum, dat bis Menevia tantum.

Quod planius illo explicabatur disticho :

Meneviam si bis, et Romam si semel ibis ;
Merces æqua tibi redditur hic et ibi.

Dubricio adhuc superstite, anno Christi^m DXIX. contra Pelagianos Breviensem synodum fuisse habitam, in capite quintoⁿ ex aliis annotavimus: cujus synodi, ut et Victorianæ eam subsecutæ, pleniorum historiam, ex Davidis Menevensis vita a Giraldo Cambrensi descripta excerptam, visum est hic subjicere: "Pelagiana labes et hæresis detestanda, per B. Germanum Antissiodorensensem et Lupum Trecensem in insulam transmissos olim extincta, recidivo morbo recidivaque malitia in fidei Catholice perniciem jam resuscitata, universali totius Cambriæ synodo colligendæ occasionem dedit. Unde et collectis in Ceretica^o regione apud Brevi episcopis et abbatibus virisque religionis diversorum ordinum multis, necnon et laicis principibus ac populis de universa regione collectis; cum a pluribus in publicâ audientia sermo factus populum, hæretica pravitate pene irrevocabiliter infectum, ad fidei reducere tramitem non prævaluisset: tandem Paulinus episcopus, cum quo David olim liberalibus disciplinis in^p pueritia studuerat, ut propter episcopum nuper a patriarcha consecratum (Davidem enim, cum Eliud, qui nunc Teliaus^q vulgo vocatur, et Paterno, Hierosolymam profectum a patriarcha episcopalem ordinationem accepisse jam narraverat biographus seu Ricemarchus) virum sanctum, discretum pariter et disertum, qui nondum advenerat, communitè ad omnibus ab tantum ecclesiæ discrimen mitteretur,

^m Ita Balæus, centur. I. cap. 55.

ⁿ Supra, pag. 104.

^o Cardigan-shire.

^p Ita Ricemarch.

^q Teliu, al. Teliens. Ricemarch.

verbis quidem suasoriis peroravit. Mittuntur itaque nuncii semel et secundo, nil proficientes. Erat enim vir sanctus contemplationi deditus: de temporalibus rebus et secularibus, nisi necessitate urgentiore compulsus, aut nihil aut parum curans. Tandem vero duo mittuntur viri sanctissimi ac fidelissimi, Daniel videlicet et Dubricius." Ab his persuasum, cum ad synodum accessisse Davidem et injunctum prædicationis officium peregisse Giraldus narra- visset, de totius rei exitu demum addit: "Sermone completo, tota, cooperante gratia, hæresis evanuit, discussa penitus et deleta. Pater autem David communi omnium, tam cleri scilicet quam populi, electione pariter et acclamatione, cui et honorem antea destinatione Dubricius cesserat, in Cambriæ totius archiepiscopum est sublimatus." Deinde alterius synodi acta, et utramque subsecutum ecclesiæ Cambricæ sub Davidis regimine florentem statum, ita explicat.

"Processu temporis et alia synodus collecta est, cui nomen Victoriæ: in qua, convocato denuo totius Cambriæ clero, ea quæ in priori synodo firmata fuerant, adjectis quoque quibusdam super Ecclesiæ commoditatibus, firmo rigoris examine sunt renovata. Ex his itaque duabus synodis omnes Cambriæ totius ecclesiæ modum et regulam, ecclesia quoque Romana auctoritatem adhibente et confirmante, susceperunt; quarum decreta, quæ ore promulgaverat, præsul David sua quoque sancta manu literis mandavit; suæque ecclesiæ, aliisque per Cambriam pluribus, reservanda commendavit. Quæ quidem, sicut et alii quamplurimi nobilis bibliothecæ thesauri egregii, tam vetustate quam incuria, piratarum quoque crebris insultibus, qui de Orcadam insulis æstivo tempore longis navibus advecti, maritimas Cambriæ provincias vastare consueverant, evanuerunt. Prædictis itaque temporibus in Cambriæ finibus ecclesia Dei floruit insignis, et multis de die in diem fructibus adolevit: multis passim in locis monasteria sunt constructa, multæ fidelium congregationes in variis ordinibus ad Christi obsequia sancta devotione collectæ. Cunctis autem pater David, tanquam in specula positus eminentissima, vitæ speculum erat et exemplar:

instruebat subditos verbo, instruebat et exemplo, efficacissimus ore prædicator, sed opere major. Erat enim audientibus doctrina, religiosus forma, egentibus vita, orphanis munimem, viduis fulcimen, pupillis pater, monachis regula, secularibus via, omnibus omnia factus ut omnia lucrifaceret Deo."

Davidem avunculum fuisse aiunt^r magni illius Arthuri; quem duodecim præliis cum Saxonibus dimicavisse refert Ninius (falso Gildæ nomine ab Henrico Huntingdoniensi^s hic citatus) in monte Badonis eorum postremo commisso. Cujus prælii genuinus Gildas, tunc natum se testatus, hisce verbis meminit: "Ex eo tempore (quo a Saxonibus scilicet victoriam Ambrosius Aurelianus reportavit) nunc cives, nunc hostes vincebant; ut in ista gente experiretur Dominus solito more præsentem Israellem, utrum diligat eum an non: usque ad annum obsessionis Badonici montis [qui prope Sabrinum ostium habetur,] novissimæque ferme de furciferis non minimæ stragis; quique quadragesimus quartus (ut novi) orditur^t annus, mense jam uno emenso, qui et meæ nativitatæ est:" et, qui illi *σύγχρονος* fuisse dicitur, Britannicorum Bardorum princeps Thaliessinus:

Gwae yntwy yr ynvydion, pan vy waiti Baddon
Arthur benn haelion y lafnen by gochion
Gwnaeth ar y alon gwaith gwyr gafynion
Gouynion gwaed daredd mach deyrn ygogledd,
Heb drais heb drossedd.

quæ in Latinum sermonem traducta ita exhibuit Dominus Johannes Prisæus:

O miseros illos nimium sub monte Badone
Quum cruor Arthuri, magnatum principis, ense
Inficeret; fusique foret jam sanguinis ultor
Heroum, quorum auxilio borealia juste
Regna steterè diu.

Galfridus Monemuthensis^u prælii hujus historiam enarrans fusius, Saxones usque ad Sabrinum mare colonorum

^r Galfrid. Monemuth. lib. 9. cap. 15. Girald. in vita Davidis.

^s H. Huntingd. hist. lib. 2.

^t MS. Cantabrig. *oritur*.

^u Britannic. hist. lib. 9. cap. 3, 4.

depopulatione facta, “ inde arrepto itinere versus pagum Badonis, urbem obsedisse” scribit: deinde Arthurum Sumersetensem provinciam ingressum, visa cominus obsidione, milites suos ad pugnam animasse; eosque S. Dubricii urbis legionum archiepiscopi benedictione hilaratos, hostium castra primum quidem ad proximum montem compulisse, die vero sequente profligavisse. Quæ Sabrini maris hic injecta mentio glossemati illi ansam dedisse videtur, quod Gildæ verbis ex bibliothecæ Cantabrigiensiis manuscripto codice attextum exhibuimus: nam urbem Badonis eandem esse recte notavit in Dubricii vita Johannes Tinmuthensis cum ea quæ nunc Bathonia vocatur. Hanc enim in Sumersetensi agro positam, Britannis Cair Badon, et montem vicinum Bannesdowne (quod excelsum^w collem sonare dicitur) et vallem ad Avonam fluvium hic procurrentem Nant Badon appellari, a Camdeno^x præterea est observatum.

Ad tempus pugnæ quod attinet: Saxonum hanc stragem Beda^y factam notat quadragesimo circiter et quarto anno adventus eorum in Britanniam: annorum illum numerum a Gilda editum ad anteriora referens; quum tempus quo scripta ab eo ista sunt spectasse potius videatur: perinde ac si dixisset, a clade Badonica quadragesimum quartum tunc numerari cœpisse annum; unico quippe anni illius mense adhuc elapso: idque ex sua ipsius ætate se novisse; quandoquidem et suæ nativitatis et illius victoriæ eundem fuisse annum a parentibus ipse didicerit. Itaque anno gratiæ DXX. prælium hoc factum fuisse prodit Matthæus Florilegus: Britannico quoque chronographo suffragante, quem a bello Badonico ad cædem Arthuri annos duos et viginti numeravisse jam^z ostendimus. Quo posito, et Gildam anno illo DXX. in lucem editum, et anno DLXIV. scriptam ab eo fuisse hanc quam illius habemus epistolam, pariter erit consecrarium.

^w Jo. Davies, in Britannico-Latino Lexico, voc. Bann.

^x Camden. in Somerset-shire, pag. 170.

^y Bed. histor. lib. 1. cap. 16.

^z Supra, cap. 12. pag. 459.





RT
U

